

SECUNDA SYNODUS

DIŒCESANA

AB ILLUSTRISSIMO, ET REVERENDISSIMO DOMINO


D. DAMIANO POLOU

Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopo Rhegino, Comite Civitatis Bovæ, Terræ Caſtellacii utili Domino, Sacræ Regiæ Majeſtatis a Latere Conſiliario &c.

IN SANCTA METROPOLITANA ECCLESIA RHEGINENSI CELEBRATA

Feria II. III. IV. VIII. IX. X. menſis Novembris anno Domini MDCCLI.

BENEDICTO XIV. P. M.



NEAPOLI, Typis Joannis de Simone MDCCLV.

Superiorum permiſſu.

ILLUSTRISSIMO SENATUI

NOBILIS INSIGNIS FIDELIS CORONATÆ URBIS

VALENTIÆ EDETANORUM

DAMIANUS POLO' U

ARCHIEPISCOPUS RHEGINUS

S. P. AC F.

D. D. FRANCISCO DRIGET HISPANIARUM REGI A Supremis Ærarii Consiliis, Rei Maritimæ, ac Regii Exercitus, & in Regno Valentino, ac Murciano Quæstori Primario, ac Regio, nec non Valentinæ Urbis Prætori, Marchioni de Malespina, &c. D. EMMANUELI FERNANDEZ DE MARMANILLO RAMIREZ DE LA PISCINA: D. PETRO PASQUAL, & SISCÀR: D. VINCENTIO PUEYO, & NAYRÒ, Centurioni Alæ Equitipedestrium Palmensium: D. LAURENTIO MERITA, & LLAZER, J. U. D. in Regiis Auditoriis causarum Patrono: D. JOSEPHO MIRALLES, & CEBRIAN, Academiæ Regiæ Historico-Matritensis Socio Honorario: D. JOACHIMO VALERIOLA PROXITA, & CASTELVÌ, Domino in Locis de Ajacòr, & Masalsasàr: D. FRANCISCO ROIG, & DEÒNA: D. JOSEPHO DURÀN, & TALLADA: D. FRANCISCO DE VALDA, & ANDÌA, Primipilari Cohortis Longobardiæ: D. JOSEPHO DESPUIG, & GARCIA DE SALAT BOU VIVES DE CANAMAS: D. LUDOVICO ALMUNIA PEREZ CALVILLO, Marchioni de Almunia, Centurioni primæ Alæ Equitum Alcantarensium: D. BARTHOLOMÆO LASSO DE LA VEGA, Primipilari Alæ Equitipedestrium Numantinorum: D. JOSEPHO NARVAEZ, & PORTOCARRERO, in Villa de Hellin Prætori: D. FRANCISCO PASCHASIO CASTILLO ISCO, & QUINCOZES, Phil. Mag. J. U. D.: D. JOANNI CHRYSOSTOMO GRANÈL, & RIBÈS J. U. D. Generali Urbis Procuratori, & Regii Patrimonii a sua Majestate Fiscali Patrono: D. VINCENTIO GINÈR: D. PHILIPPO MUSOLES, & XIMENO, J.U.D. in Regiis Auditoriis

cau-

causarum Patrono: D. JOSEPHO NEBOT, & SANZ, J. U. D. in Regiis Auditoriis causarum Patrono: D. ONUPHRIO VINCENTIO DANVILA, & SOLSONA, J.U.D.: D. FRANCISCO NAVARRO, & MADRAMANY, J. U. D.: D.MAURO OLLER.

SOLERTISSIMIS VALENTIN. URBIS RECTORIBUS.

D. Josepho Ignatio Alfonso: D. Joachimo Solsona, & Soler, Regii Matritensis Patronorum Collegii Alumno, & suis in casibus Decimarum, Primitiarum, & Tertiarum hujus Civitatis, ac Regni Valentini, à sua Regia Majestate privativo Judici, Regii Palatii hujus Civitatis particulari Assessori: D. Josepho Gisbert, & Sanchiz, in Regiis Auditoriis Causidico, Regii Militaris Ordinis Montesiani Ordinario Advocato, nunc ejus Causarum Fisci Regio Patrono, atque ejusdem Regii Tribunalis Receptæ, ac Magistralis Mensæ administrationis Assessori: D. Petro Vincentio Traver, J.U. DD. & severissimis CC. Consultissimis causarum Urbis Patronis. D. Thomæ Vincentio Tinagero de la Escalera, Regi, Civitati, & Academiæ Valentinæ a Secretis.



Udum animo præconceperam, SENATORES ILLUSTRISSIMI, veteris meæ erga Vos observantiæ publicum aliquod, & perenne monumentum, simulque mei in urbem vestram pignus amoris extruere poste-

posteritati; quo vestra olim in me egregia voluntas, meique haud immemoris gratum in Vos officium nulla oblivione deleretur. At vero tametsi vicissitudines temporum, succedanea tot laborum serie in procuranda amplissima Diœcesi, gravescente etiam in dies valetudine, impedimento hactenus mihi fuerint, quo minus optato muneri satisfacerem; distulerunt illæ quidem, sed operæ pretium non minuerunt. Coacto inter hæc ad præteriti anni Kal. Novembres totius Diœcescos Presbyterio, ex pastoralis nempe regiminis instituto, quum sancita in Synodico conventu prælo edenda committerentur, occasionem insperato mihi oblatam gavisus sum magnopere, eaque vestro nomini consecrata prodire jussi. Quid enim dignius piissimo Senatui offerre poterat Archipræsul, quod aptius religiosæ Urbi monumentum excitare, nisi Episcopalis

vigi-

vigilantiæ fructus, nisi christianæ disciplinæ specimen, & exemplar? Aptum itaque Præsule munus, consentaneum religiosæ urbi monumentum, uno verbo, dignum utrisque, ad Vos recta contendit Senatores Optimi, vestræ urbi exigitur, cujus potiores prærogativæ, dixerim imo verius insignia, pietas, ac religio. Sunt enimvero Valentinæ urbi supra reliquas qua natura, qua dignitate singulares adeo conlatæ dotes, ut mihi jucundum semper fuerit meminisse, ætatis meæ partem maximam istic actam, ubi invicem certant, sive regionis amœnitas, sive splendor, & cultus civilitatis. Scripserat jure Plinius (1). *Edetanam regionem amœno se prætendere stagno*. At inter Edetanas non modo urbes, sed inter Hispanas omnes quænam unquam amœnitate præcelluit Urbi Ve-

(1) *Plin. Hist. Natural. lib. 3. cap. 3.*

Vestræ, sive aeris spectetur clementia saluberrima, sive fructuum varietate Hispanicarum amœnissimæ cœli, solique temperie, nec felici campaniæ cedere ab Exoticis etiam scriptoribus (1) verissime proditum, unde illi factum perhibent cognomen (2) Formosæ. Testantur hæc vel solæ Turulis odoratæ ripæ arbustis undique & sylvulis consitæ, quæ cominus opacitate jucundæ, spectaculo sunt eminus & ornamento. Ut mirum profecto non fuerit, si duo illa belli fulmina Scipiones in Terraconensi urbe excitanda occupatos, ad se etiam traxerit Valentia insignibus monumentis ab eisdem decorata. Merebatur hoc incomparabili vetustate civitas antiquissima, quæ anno deinde sexcentesimo decimo sexto ab U. C. Emeritorum,

qui

(1) *Vide Cluverium Introduction. Geograph. lib. 2. cap. 6. & notas Joannis Bunonis in eum Cluverii locum in edition. Amstelodami apud Joannem Wolters 1697.*

(2) *Valencia Hermosa.*

qui ſub celebri Luſitanorum Duce Viriatho ſtipendia fecerant, coloniis locupletata, priſtinæ vetuſtati ſuæ tantum addidit decus, ut illius propterea cives poſt trecentos nonaginta circiter annos inſigne monumentum (1) Hoſtiliano Cæſari Decii Auguſti Filio conſecrantes, Veteranos, & Veteres appellare ſe voluerint gloriabundi. Quamvis enim civili Sertoriano bello (2) non leve paſſa diſcrimen, phœnix nihilominus rediviva, ſplendidior adeo ſub Julio Cæſare reſurrexit, ut ab eo (3) Coloniæ jure

(1) C. VALENTI. HOSTILIANO
MESSIO. QVINCTIO
NOBILISSIMO. CAES
PRINCIPI. IVVENTVTIS
VALENTINI
VETERA. ET. VETERES

Inſcriptio Valentiæ Edetanorum reperta, teſte Martinerio verbo Valence Ville d' Eſpagne, quæque ad annum 250. vel 251. aut 252. omnino pertinere videtur.

(2) *Addi Salluſt. in fragmentis lib. 3. in Epiſt. Pompei ad Senatum.*

(3) Coloniæ Valentiæ meminit Plinius ubi ſuperius. Deductam illuc ſub Julio Cæſare conjicias ex numiſmate aereo apud Vaillantium in numiſmatis Coloniar. edit. Pariſ. 1688. tom. 1. fol. 5. hinc capita Julii, & Auguſti, inde navim Prætoriam exhibente cum lemmate CIV. COLONIA. IVLIA. VALENTIA.

jure donata, benefactori officiosa liberalissimo, Juliæ nomen addiderit sibi, atque Augusto gratulabunda, effigiem Julii patris comitem ipsi obsignaverit in numismatis, navi Prætoria in postico urbis potentiam indicante; particeps inde juris (1) Italici, & capitis censione levata, & jure quidem affine quoddam vinculum Romam inter, & Valentiam debuit intercedere. *Sunt scilicet*, uti C. Julius Solinus scribit, (2) *qui videri velint Romæ vocabulum ab Evandro primum datum, quum Oppidum ibi offendisset, quod extructum antea Valentiam dixerat juventus latina: servataque significatione impositi prius nominis* Ῥώμην *græce, Valentiam latine nominatam*.

At non hæc quidem, quæ cujusvis,

(1) *Vide Paullum in l. In Lusitania 8. Dig. de censibus inter Hispaniarum populos juris Italici diserte Valentinos adnectentem.*

(2) *Solin. cap. 2. Polyhistor. Vide animadversiones Plinianas Salmas in cum locum.*

ſive inter Vos degentis, ſive iſtac tranſeuntis demulcent animum, me urbi veſtræ penitius obſtrinxere Senatores Ampliſſimi. Commemoravi porro, haud equidem, ut Vobis innoteſcerent, quibus abunde conſtat dignitas civitatis veſtræ; ſed ut illis etiam qui ejuſmodi requirunt in populis ornamenta, æquiſſimam teſtarer erga tantam urbem voluntatem meam. Obſtrinxit enimvero communis illa Senatui, populoque pietas; obſtrinxit inſigniſſima Metropolitana Eccleſia urbis veſtræ; obſtrinxit potiſſimum celebris iſta Univerſitas, cujus aliquando beneficio veſtro minima pars immerita, Metropolitanæ quoque Eccleſiæ ex Præpoſituræ qua me decoraſtis ingenio, membrum evaſi. Quid enim memorem erecta Valentiæ ære publico, & cura Senatus pietatis domicilia, hoſpitia caritatis, xenodochìa, ptochotrophia, orphano-

tro-

trophìa, & coercendæ mulierum licentiæ gynæcea perpetuo virtutis ſtimulo in dies aucta? Cultrix caritatis Valentia cunctis prælucet Hiſpaniis, ut nativa gentis pietate æmulari quidem virtus veſtra, neſcio an valeat ſuperari. Quid religionem? ex quo fœdum illud, ac importabile Mahumedanæ ſectæ jugum a Valentini populi cervice excuſſum eſt, qua conſtantia, quibus officiis, qua grata animi generoſitate catholicam fidem proſecuta eſt Valentia? Omitto heic triumphos ſub Alphonſo Primo bellatore Rege Aragonum, adepta primum urbe Aera 1132. (1) hoc eſt Chriſti anno 1094. a celeberrimo illo Duce Ruderico (2) Diaz vulgo *El Ad* nuncupato, cujus glorioſa iſtic memoria æternum ſervabitur. Alteri nempe Regi aliis

 tem-

(1) *Pagius ad annum* 1099. *num.*21.

(2) *Vide Sandovallium in Hiſtoria Ferdinandi Magni. Zuritam in Indicibus rerum geſtarum ab Regibus Aragoniæ. Hieron. Blanca in commentar. rerum Aragonenſium, & reliquos mox citandos.*

temporibus Maurorum trophæa ſervabat religio, urbiſque miſeram conantis exuere ſervitutem implevit vota, S.Petro Nolaſco obſtreticante, (1) Jacobus Primus Rex Invictiſſimus, merito glorioſo expugnatoris titulo in hiſtoriis inſignitus, quod triceſies cum hoſte conlatis ſignis, toties victor effuderit adverſas acies, & Balearium, Murciæ, ac Valentiæ regna Chriſti vexillo fecerit vectigalia. Albo lapillo, gratiſque admodum notis ſignata proſtat in faſtis veſtris fauſta luſtrica illa dies IV. Kal. Octobris vulgaris anni 1238. qua quinquemeſtri obſidione ſoluta, devicto Zaen Regulo, Rex Triumphator ingreſſus, intulit & mœnibus veſtris fidem poſtliminio reverſam. Poſtquam perpe-

tua,

(1) *Conſule Antonium Beuter Chronica General de tota España, y ſpecialmente del Reyno de Valencia. Valentiæ* 1604. *part.2. lib. 2. cap. 27. &c. Franciſcum Diago Annales del Reyno de Valencia. Valentiæ* 1613. *lib.7. cap.25. & ſeqq. Gaſparem Eſcolanum Hiſtoria de la Ciudad, y Reyno de Valencia. Valentiæ* 1610. *part.1. lib.3. cap.6. & 7. &c.*

tua, devotaque ſupplicatione ſingulis annis recolenda, ex Senatusconſulto (1). Kalendario veſtro inlata fuit, ſingulis quoque ſeculis ſolemni adeo, & ſacra pompa celebratur, ut omnium populorum encomia ad te traxerit religio, ac fides veſtra. Teſtis univerſo orbi ſolemniſſimum ſæculare illud feſtum anno 1738. nuper recurrente iſtic peractum, quod a D. Joſepho Ortino (2) viro hiſtoriæ peritia, & humanis litteris excultiſſimo, integro volumine graphice deſcriptum, fidem veſtram annuntiavit univerſo mundo.

Sunt hæc porro Eccleſiæ Valentinæ fructus uberrimi, cujus vetuſta ſedes, ac dignitas non modicam, Clariſſimi Senatores, habuere partem in hac mea voluntate. Primis equidem inter Hiſpanas ori-

gine

(1) *Editum fuit anno* 1343. *ex cit. Eſcolano lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 1.

(2) *Fieſtas centenarias con que la inſigne Noble leal y coronada Ciudad de Valencia celebrò la quinta centuria de ſu Chriſtiana conquiſta, &c. en Valencia* 1740.

gine comparanda, cuique haud cedit insignium prærogativa Episcoporum, qui florentibus Gothorum rebus Hispanias illustrarunt. Se nimirum S. Eugenii Proto-Episcopi sui ac Martyris effuso satam cruore, piis semper, doctisque Patribus rectam jure gloriatur. Ubi igisculum heic laudo (1), Maurilam, Celsinum, Marinum, Musitarium, Protasium, Annianum, Felicem, Suinterium, Hospitalem, Sarmatam Vitisclum, qui in Toletanis Conciliis non ultima pars fuere pro stabilienda disciplina Hispaniarum. Quænam tunc illa fuerit, ostendit satis Valentinum illud Concilium anno Aeræ Hispanicæ 584. Christi nimirum 546. sub Theude Rege celebratum, cujus epocham confusam hactenus, & ab Conciliorum collectoribus

non

(1) *Episcopos hosce Valentinos invenies in Conciliis Toletanis a III. ad XVI. in Collect. Concilior. Hisp. Card. de Aguirre, & in collect. general. Harduini.*

non assecutam ; inter scriptores nostros Hispanorum CC. opera sagacissime enuclearunt post Gasparem Escolanum (1) in historia civitatis vestræ , duo illa nationis luminaria Cardinalis de (2) Aguirre, & Nicolaus (3) Antonius, unde in Baronianam criticam Pagius derivavit. Tunc primum in Hispaniis ea disciplinæ pars in veteri Liturgiæ ordine introducta fuit, qua (4) sacrosanctum Evangelium ante munerum illationem in Missa Cathecumenorum post Apostolum legeretur , ut illud fideles non modo, sed & Cathecumeni, & Pœnitentes, quibus olim interdictum, audirent in posterum . Quam exactæ disciplinæ venerabilem redolent antiquitatem canones ceteri , sive adversus

gyro-

(1) *Escolan. cit. lib.2. cap.9.*
(2) *Tom.2. Concil. Hispan. in Conc. Valentino edit. Rom. 1693.*
(3) *Nicol. Anton. Bibliothec. Hispan. tom.2. Rom. 1672. pag. 208.*
(4) *Can.1. Concil. Valent. cit. quod sex tantum absolvitur . Consule de hoc Can. Card. Bona 2. rer. Liturgicar. cap.7. num.1.*

gyrovagos Clericos, & inſtabiles, ſive ad Epiſcoporum extrema juſta, ſpoliaque curanda, ſive demum ad promovendorum qualitates, ſedeſque ſtabiliendas? Digna profecto Eccleſia, quæ ſub univerſali illa Maurorum tyrannide in Hiſpaniis, gemens oppreſſa, voto ab Jacobo Rege (1) de illa locupletanda ſuſcepto, a fœdo jugo liberaretur: digna quæ temporum infelicitate ſuperata, ejectis Mauris illico luſtraretur, reſtituta vetuſta ſede ſua, electoque (2) Epiſcopo Ferrerio a S. Martino, qui una cum triumphante Rege in profanam urbem ingreſſus, quinque ferme ſeculorum ſpatio viduam ſponſam conſolaretur. Mox etenim ſynodalibus (3) ſtatutis

(1) *De hoc voto plura habes apud Card. de Aguirre tom. 3. Suſceptum fuit anno 1236. impletum anno 1241.*

(2) *Lege Joſephum Orti y Mayor in narratione feſti ſæcularis cit. cap. 1.*

(3) *Valentinæ Diœceſis Conſtit. Synodales anno 1255. ſub Andrea de Albalato, & 1258. ſub eodem, & 1261. ſub Fr. Arnoldo de Peralta, & 1262. 1268. 1269. 1273. ſub eodem. Vide Harduin. Collect. tom. 7.*

tutis ſub Epiſcopo Andrea de Albalato, tum ſub Fr. Arnoldo de Peralta priſtinam induta ſanctitatem, tantos etiam viros traxit deinde in conſortium ſui, ut prodigium illud caritatis Sanctum Thomam de Villanova habuerit in throno ſuo: duoſque cathedræ Petri non e gremio dumtaxat, ſed e ſede ipſa ſufficeret Principes, Calixtum nempe III., & Alexandrum VI., quorum ille adeo hac ſponſa gauderet, ut repudiatis eccleſiis pro more illius ſeculi commendari ſolitis, ſe una ſponſa (1) & quidem virgine, Valentina nempe Eccleſia contentum eſſe diceret; hic vero ornandam magis curaret, dum illa ornaretur; evehique fecerit in Metropolim (2) ab prædeceſſore ſuo Innocentio VIII., ut ſcilicet ab antiqua eccleſia virgine, pu-

c ra,

(1) *J. B. Platina in Vita Calixti III. prope finem.*

(2) *Vide Ortinum in Commentar. Univerſit. Valentinæ ſæculo XVI. fol.* 137. *Martinerium verbo* Valence d'Eſpagne &c. *Id factum anno* 1492. *ante exceſſum Innoc.*

ra, quam non macula, non ruga fœdavit unquam, in plures non exempla ſolum, ſed manarent quoque præcepta, uti felix comprobavit eventus, convocatis ſæpe Valentiæ provincialibus Synodis (1) diſciplina eccleſiaſtica refertiſſimis.

Sed obverſatur inter hæc quotidie animo meo, SENATORES AMPLISSIMI, Univerſitas Valentina, quæ me ad ſe, & ad Vos rapit una. In illa olim conlatione Senatus iſtius, juriſprudentiæ cathedram moderatus, illique adnexam adeptus in Valentina eccleſia Præpoſituram, magnum inde obſervantiæ onus fateor mihi ſimul impoſitum. Illud ſcilicet peculiare, imo ſingulariſſimum ex Romanæ (2) Sedis indultu habet Senatus ve-

ſter

(1) *Lege Card. de Aguirre Conc. Hiſp. tom. 4. pag. 87. & ſeqq. ubi & Synodus occurrit ſub Ferdinando de Loaſes Archiep. celebrata anno 1565. Ibidem fit mentio alterius ſub Martino de Ayala a prædicta confirmata. Plura item quæ ſcripſit Lopeſius noſter pro Synodo anni 1565. cit.*

(2) *Ex Bulla Sixti V. incipien.* Copioſus in Miſericordia Dominus §. 7. *ſub datum Romæ apud S. Petrum III. Kal. Novemb. 1585. Pontif. anno I.*

ſter, quod decem cathedras conferat Eccleſiaſticæ Præpoſituræ ſimul unitas, ſola, ſimplicique per Univerſitatis Rectorem inſtallatione, uti vocant, juſſu veſtro peracta. Hoc me pacto tenuem virum partem feciſtis & inſigniſſimæ Eccleſiæ, & Univerſitatis celeberrimæ. Non ea igitur de re mihi quiſpiam ſuccenſeat, quòd vobis ſcribens patronis optimis, uti in Eccleſiæ, ita in Academiæ Valentinæ matris meæ laudes, illius alumnus, ac anteceſſor effundar. Academiam laudo inter quatuor Hiſpaniæ principes nulli ſecundam: *Univerſitatem* (1) *Civitatis præſtantium feracis ingeniorum, quæ & acumine & facundia cæteris non concedant; atque etiam latina eloquentia ſuperent.*

Et ſi fundatione non prima, plures tamen

 ha-

(1) *Verba ſunt Andreæ Schoti Biblioth. Hiſpanicæ Claſſe V. Valentin. in Petro Joanne Nuneſio.*

habuiſſe ſe alumnos , qua doctrina , qua ſanctitate conſpicuos gloriatur, quam quæ longe antea erectæ ætate vincunt illam, non laude ſtudiorum. Ut omittam heic S. Petrum Nolaſcum (1), Paſchaſium inclytum JESU CHRISTI Martyrem, Bernardum Oliverium Epiſcopum Detroſenſem, Joannem illum de Monteſono tot controverſiis celebrem, & thaumaturgum concivem veſtrum S. Vincentium Ferrerium, a quibus prima lineamenta, non adhuc diplomatis confirmatæ acceperunt ſcholæ Valentinæ : quæ tamen fuerint, erecta jam ab Alex. (2) VI. & Ferdinando (3) Magno Univerſitate, ſatis oſtendunt tum redundans gloria litterarum, qua ſemper floruere,

(1) *Vide P. F. Vidal Dubue in Catalago Virorum illuſtrium Ordin. S. M. de Mercede.*

(2) *Ex Bulla Alex. VI.* Inter ceteras *Sub datum Romæ X. Cal. Februar.* 1500. *anno ejus nono.*

(3) *Ex Diplomate Ferdinandi incipien. Quia, ut relatu dato Hiſpali 16. Februar.* 1702.

ruere, cum (1) viri illi doctissimi, qui vel inde emerserunt, vel illas sunt moderati. Sola Valentia innumeros deinde cives ad miraculum eruditos e sua Universitate literario submisit orbi, quorum ut aliquos memorem, sat est nominasse Ludovicum Vivium virum naris emunctæ, ac solidæ eruditionis reparatorem: Joannem (2) Gelidam alterum Aristotelem ab ipso Vivio nuncupatum, quique fato cedens a Julio Cæsare Scaligero versu laudari meruit: Franciscum Decium Oratorem clarissimum, Joannem Jacobum (3) Falconem præstantis ingenii mathematicum humanis studiis excultissimum: Joannem Petrum Nun-

ne-

(1) *Jacobus Middendorp orbis Academici hæc habet lib. 3. in Academia Valent.* Valentina Academia, quæ anno 1740. mirificè floruit, clarissimosque in omni artium genere Professores habuit, & c.

(2) Qui toties animam Gelida mihi magne dedisti *&c. Vide hos Scaligeri versus in Commentar. Academiæ cit. Ortini fol.* 178.

(3) *Vide quæ Falconi & duobus seqq. elogia Joannes Mariana in Epist. ad Vimbodinum edita ab Leone Allatio in Apibus Urbanis fol.* 195. *&c.*

nesium varia & immensa lectione virum: Benedictum Pererium Theologum Orientalium linguarum peritissimum: Vincentium (1) Marinerium inter poetas Maronem alterum: Paulum Dionysium (2) Lopesium in Bononiensi quoque academia satis notum: Petrum Joannem de Montesono, cujus sola eruditione desinet, uti Salonius (3) loquitur, Academia Valentina ceteris invidere: Melchiorem de Villena inter Medicos celebratissimum, uti quondam Valentini quoque Medici, Hieronymus de Torrella, & Ludovicus Colladus. *Valentinis equidem*, sicuti Pater Joannes Mariana (4) erudito Joanni Vimbodino

tunc

(1) *Recte cecinit de seipso*: Dicitur ille Maro Marinerius iste vocatur *&c. Vide Ortinum fol.*315.

(2) *Vide de eo Card. de Aguirre tom.*4. *Conc. Hispan. fol.*87.

(3) *Michael Bartholomæus Salonius Ord. S. Augustini Valentinus, & ipse illius discipulus deinde in Academia Antecessor, in Epist. dedicator. ad Senatum Valentinum operis de justitia, & jure in* 2.2. *S. Th. tom.*1. *præfixa*.

(4) *In Epistol. superius citata*.

tunc juveni, & istius Academiæ alumno scribebat, *præ cæteris Hispaniæ Populis ingenium acre, & vividum cælo datum agnoscimus*.

Et heic quidem non Theologos attingere, non Jureconsultos, non Philosophos, sive Hispanos reliquos, sive exteros, qui ab Universitate prodiere, sed in solos Valentinos illos digitum intendisse fuit animus. Non omittam tamen Josephum Saragozza Algebræ, Trigonometriæ, Astronomiæ, Cosmographiæ demum universalis peritiori cognitione, tot editis libris extremo superiori seculo Hispaniarum ornamentum; Caroli quoque II. magisterio & gratia apud illum singulari satis abunde clarum. Addam Thomam Vincentium Tosca (1) Præceptorem olim meum, eaque

(1) *Vide illius cursum mathematicum tom. 9. in 8. Hispanice impressum anno* 1715. *& cursum philosophicum impressum anno* 1721.

que propter non ſine beneficii memoria nominandum, non in mathematicis eximium modo, ſed in novis etiam Philoſophiæ ſyſtematis enucleandis in Hiſpania facile principem, cujus egregia volumina pertinaci ſtudio plurimaque lectione elaborata a Pariſienſi quoque Academia mihi conſtat elogia retuliſſe. Memorabo Marcellinum Siuri publicum iſtic profeſſorem, ac Metropolitanæ Eccleſiæ Præpoſitum, mox Epiſcopum Cordubenſem, cujus Theologia poſitiva (1) de noviſſimis, ac Exegetici in Evangelia tractatus ad criticæ amuſſim perpoliti, teruntur manibus eruditorum. Quei enim ſingulos proſequar? Spartam hanc exornavit nuper clariſſimus Univerſitatis Rector D. Franciſcus Ortinus (2) commentariis hiſtoricis, docto &

ad

(1) *Vide Theologiam Scholaſtico-poſitivam de noviſſimis editam Valentiæ* 1707. *&* *tractatus Evangelicos tribus tomis comprehenſos Cordubæ* 1723. *& ſeqq.*

(2) *Memorias hiſtoricas de la fundacion, y progreſſos de la inſigne Univerſidad de Valencia en Madrid.* 1730.

ad hujus sæculi saporem composito stylo, ea de re editis, quem immatura raptum morte pridem una cum Universitate condolui. Hæc quum ad manus habuissem ab ipso, totaque simul Academia humanitatis, officii, diligentiæ plenis litteris ad me transmissa opinioni, quam de Valentina Universitate jamdiu præconceperam, hæsi firmius. Illam enimvero non litteris solum, sed & pietate semper floruisse constans ostendit experientia temporum. Quale decus inter Hispanas primam fuisse, quæ tuendæ Immaculátæ Conceptionis Deiparæ Virginis votum, anno 1530. solemni decreto (2) ac supplicatione præmissa professoribus omnibus & graduum candidatis imposuerit emittendum? Quale imo post Parisiensem, post Colonien-

d sem,

(1) *Vide Suarez in 3. par. quæst. 26. art.1. disp. 3. sect.5. Vasquez 3. par. disp.117. cap.6.*

(2) *Consule Ortinum in Commentar. cit. fol.96. & seqq.*

ſem, poſt Moguntinam quartam extitiſſe in toto orbe catholico, quæ hanc prærogativam Virgini voto voluerit vindicari? Quæ diligentiæ in iſtis ſcholis, ſive ad juventutem moribus informandam, ſive ad Sacramenta (1) ſtatutis legibus pie devoteque frequentanda? Pietatem ego, & gloriam Academiæ ſingulariſſimam nuper animo revolvebam, quum prima minus ſolemni Apotheoſi SS. P. Benedictus XIV. in Beatos retulit Ven. P. Joſephum Calaſantium iſtarum olim alumnum, piarum deinde, ut vocant, Scholarum Fundatorem, quæ quemadmodum toto celebrantur orbe, ita lac quod a fundatore ſuxere, in Academiam unde hauſit ille, referunt gratabundæ.

Hæc omnia abunde ſatis expromunt ILLUSTRISSIMI SENATORES, tum

cauſ-

(3) *Adi eundem cap.4. fol.31.*

caussas, cum optimam voluntatis meæ rationem in hac synodo consecranda. Debitum nempe officium vobis exsoluo, munus offero non indignum sapientissimæ Academiæ patronis, Ecclesiæ defensoribus piissimæ Urbis Consulibus. Non sine exemplo res est, si summis quandoque Principibus, ac Monarchis synodos a Patribus oblatas animadvertimus ex historiis. Quidni ergo, & inclyto Senatui, Academiæ principi pietatis cultori, ab cliente, ab Antecessore, ab Episcopo? Communis Christianis omnibus Ecclesiæ disciplina, a primis nihilominus ordinibus, legibus potissimum, & exemplis tuenda, ac procuranda. Hanc propterea deliberationem meam, æqui vos, bonique consulturos, quæ vestra est singularis humanitas, nullus dubito. Quumque gratam vobis esse intellexero, mecum gratulabor summopere, quod a pluribus annis vehementer

optaveram jam affecutum: patere hoc monumento, me Senatui, Ordinique Valentino femper fuiffe dicatiffimum. Dabam Rhegii VIII. Idus Octobres anni Epochæ Dionyfianæ MDCCLII.

INDEX TITULORUM

Qui in hac Synodo continentur.

PARS I.

PARS II.

De

PARS III.

PARS IV.

EMINENTISSIMO SIGNORE.

Giovanni di Simone pubblico Stampatore di questa fedelissima Città, supplicando espone all' Em. V. qualmente desidera dare alle stampe *un Sinodo Diocesano dell' anno* 1751. *di Monsignor D. Damiano Polòu Arcivescovo di Reggio*; pertanto supplica V. Em. di commetterne la revisione a chi meglio stimerà, e l'avrà a grazia, ut Deus.

Admodum Rev. Pater Gerardus de Angelis revideat, & referat. Datum Neapoli hac die 16. *mensis Januarii* 1754.

I. Episcopus Allefanus Vic. Gen.

Julius Nicolaus Ep. Arcad. Can. Dep.

EMINENTISSIME DOMINE.

Ut reverenter obsequii mei partes explerem, legi, Te jubente, librum, cui titulus: *Secunda Synodus Diœcesana ab Illustriss. & Reverendiss. Domino D. Damiano Polòu Archiepiscopo Rhegino celebrata &c.* & fateor me in eo non sine ingenti animi mei voluptate deprehendisse, quantum valeant, & propagando ecclesiasticæ disciplinæ nitori prosint in primis docti, & pii, ac de commisso sibi grege soliciti Præsulis diligentissimæ curæ. In eo namque omnia, quæ morum integritatem, aut reformationem, animarum salutem, & sacram eruditionem spectant, disposita ac statuta sunt adeo exacte, & sapienter, ut nihil supra. Et proinde illum quantocyus edendum censeo. Neapoli III. Nonas Mart. MDCCLV.

Em. T.

Addictissimus servulus
Fr. Gerardus de Angelis Minimus.

Attenta relatione Domini Revisoris; Imprimatur. Neap. hac die 4. *Martii* 1755.

I. Episcopus Allefanus Vic. Gen.

Julius Nicolaus Ep. Arcad. Can. Dep.

S. R. M.

S. R. M.

GIovanni di Simone pubblico Stampatore, supplicando espone alla M. V. qualmente desidera dare alle stampe *un secondo Sinodo Diocesano dell' Arcivescovo di Reggio*. Pertanto supplica la M. V. di commettergliene la revisione, e l' averà a grazia, ut Deus &c.

Rev. D. Carolus Gagliardo Regius Professor S. Canonum Universitatis Studiorum revideat, & in scriptis referat. Die 9. mensis Januarii 1754.

NICOLAUS DE ROSA EPISCOPUS PUTEOL. CAPEL. MAJOR.

S. R. M.

SYnodum Diœcesanam Rhegii jussu M. V. jam revidi, cumque altero, quod penes Secretarium Delegationis Regalis Jurisdictionis correctum, emendatumque servatur, exemplo contuli. Nihil vero contrarium regiis juribus, publicisque Regni moribus in utroque cum offenderim, eam typis vulgari posse censeo. Neapoli die 18. Februarii 1754.

M. V.

Humillimus subditus
Carolus Gagliardus.

Die 29. mensis Januarii 1755.

Viso rescripto suæ Regiæ Majestatis sub prædicta die 29. currentis mensis, & anni, ac retroscripta relatione facta per Rev. D. Carolum Gagliardum de commissione Rev. Regii Capellani Majoris prævio ordine præfatæ Regiæ Majestatis.

Regalis Camera S. Claræ providet, decernit, atque mandat, quod imprimatur cum inserta forma præsentis supplicis libelli, ac approbatione dicti Revisoris; verum in publicatione servetur Regia Pragmatica. Hoc suum &c.

CASTAGNOLA. FRAGGIANNI. PORCINARI.

Illustris Marchio Danza Præses S. R. C. tempore subscriptionis impeditus. Illustris Aulæ Præfectus Gaeta non interfuit.

Reg. fol. 64.

Carulli. Citus.

EDICTUM

CONVOCATIONIS DIŒCESANÆ SYNODI.

D. DAMIANUS POLOU

U. J. D. & Publicus Professor, Dei & Apostolicæ Sedis Gratia Archiepiscopus Rheginus, Comes Civitatis Bovæ, Baro Terræ Castellacii, Regius Consiliarius &c.



Erspectum Nobis, quanta sit in Ecclesiis Episcopalium utilitas Synodorum, quæ, veluti frugiferæ arbores opimæ insistentes terræ, uberes progignunt fructus, quantave earum dignitate laus, antiquitate præstantia, repetita Sacrorum Canonum, ac Tridentini Concilii jussione, observantia, & præclarorum Antistitum existimatione honos delatus est, de quibus Alexander VII. (*a*) Summus Pontifex Episcopos Italiæ, & Insularum adjacentium in hunc modum alloquitur: *Persuasissimum vobis esse non dubitamus, nihil frequenti animarum recognitione, Synodorumque celebratione, Populorum saluti, ac veteri disciplinæ constituendæ, nihil Catholicorum Principum paci a Deo impetrandæ, accommodatius esse*. Divus Carolus Borromæus (*b*) de Synodorum instituto sic habet: *Illud ab ipsis Apostolorum tem-*

A *pori-*

(a) *Constit. 5. §. 8. Tom. 6. bullar. Rom. pag.* 37.
(b) *Concion. 1. in Synod. 11. Mediolan. §. sed.*

poribus executioni demandatum fuisse comperimus. Et Venerabilis Dei servus Illustrissimus, & Excellentissimus Dominus Don Joannes de Ribera Patriarcha Antiochenus, & Archiepiscopus Valentinus in præfatione ad unam ex sex suis Diœcesanis Synodis (*a*) sermonem faciens, asserit, per Synodorum statuta præcipi, quæ bona sunt, & insurgentia mala prohiberi; *sunt enim*, ait, *quos sola monitione ad bonum persuadeas*, *sunt qui fere ad omnia præceptis egeant*, *sunt*, *qui pœna etiam trahendi sunt &c.*

Tot ergo tantisque monumentis instructi, sub nostri Præsulatus initium, quem non meritis nostris, sed propter suam Bonitatem Dei providentia concredidit, hanc Civitatem, & universam Diœcesim perlustrare aggressi sumus, commissique gregis indole, moribusque exploratis, primo exordiente triennio, primam Synodum, quantum nostræ licuit virium tenuitati, concinnavimus, & plures etiam, decursis annis, pro nostri muneris ratione faciles promtique condere optabamus; sed temporum vicissitudines, & rerum incommoda, ut neminem latet, maximo animi nostri mærore optata facere prohibuerunt. Nunc tamen, secundiore fortuna, cum se opportunitas offerat, alteram, prævio nostræ Synodalis Congregationis consilio, & examine, jamdiu cæptam, & pluries intermissam, divina ope cogendam absolvendamque suscipimus, eamque ad Omnipotentis Dei Gloriam, Divinique cultus, ac virtutum incrementa, animarumque salutem sub B. Mariæ Virginis in Cœlum Assumtæ, Divi Stephani Martyris, primi hujus

(a) *Extant tom. 4. Concilior. Hispan. Cardinal. de Aguirre pag. 2083. quarum meminit in ejus Vita Rev. P. Fr. Joan. Ximenez lib. 2. cap. 2. pag. 44. edition. Romana 1734.*

jus Ecclesiæ Antistitis, atque omnium Sanctorum patrociniis, episcopali qua fungimur authoritate, proponimus, convocamus, indicimus in octavam festi Omnium Sanctorum, quæ erit item octava dies sequentis mensis Novembris currentis anni millesimi septingentesimi quinquagesimi primi, atque in Ecclesia nostra Metropolitana, ut moris est, habendam & celebrandam esse omnibus intimamus, sicuti præsentium litterarum tenore indictam, & convocatam esse denunciamus.

Quapropter omnes & singulos dilectos nobis in Christo Capitulum, & Canonicos ejusdem nostræ Ecclesiæ Metropolitanæ, necnon Collegiatarum, & Parochialium, & quarumvis Ecclesiarum, Capellarum nostræ Civitatis, & Dioecesis Abbates, Archipresbyteros, Rectores, Capellanos, Presbyteros, & Clericos, Curatos, & non Curatos, & Beneficiatos quoscumque, & alios qui in hujusmodi nostra Synodo de jure, vel consuetudine, vel privilegio interesse debent, vel possunt, requirimus, hortamur, & admonemus, eisque etiam omnibus, & eorum singulis in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicatione, aliisque censuris, & poenis a jure, vel consuetudine in celebrationibus Synodorum adversus non accedentes ferri, & infligi debitis & consuetis, mandamus, ac stricte præcipimus, ut per semetipsos, nisi legitimo fuerint impedimento detenti, de quo docere teneantur, ac tunc per speciales nuncios, aut procuratores huic Dioecesanæ Synodo celebrandæ adesse, & interesse debeant, hora matutina decimatertia, vespertina vero vicesima prima ad prædictam nostram Ecclesiam cum habitu talari, superpelliciis mundis, & biretis sacerdotalibus, ac suis respective insignibus accedant, nec ab ea discedere, aut abire, nisi eadem Synodo dimissa & absoluta, ullo

modo possint, aut valeant.

Si quis autem in hac proxima Synodo pro conscientiæ suæ, & prudentiæ dictamine quippiam duxerit esse opus tractari, corrigi, vel decerni, hortamur, ut ad nos, vel Vicarium nostrum Generalem, vel aliquem ex deputatis Congregationis Synodalis quantocyus deferat, ut rei qualitate perpensa, quod in Domimino expedierit, accuratius peragamus.

Monitos tandem volumus Christifideles quoscumque, atque in domino hortamur Sacerdotes prælertim, ut in sacrosanctis Missarum actionibus Patrem luminum in spiritus humilitate deprecentur, ut ad opus quod aggredimur in iis, quæ necessaria aut utilia fuerint promovendis vel decernendis, nobis sua alma luce propitius adesse, & mentem nostram illustrare dignetur.

Atque ut hoc nostrum Edictum nostra, & infrascripti Cancellarii manu subscriptum, Sigilloque nostro munitum ad notitiam cunctorum, quorum interest, perveniat, volumus, & mandamus per Curiæ nostræ Actuarium in Ecclesia nostra Metropolitana, cum ibi populus ad Divina congregari solet, publicari, & in ejusdem Ecclesiæ nostræ, Archipresbyteralium, & Parochialium Ecclesiarum nostræ Diœcesis valvis, aliisque locis consuetis publice affigi, ibique affixum remanere, ac per publicationem, & affixionem hujusmodi omnes & singulos, quos hoc nostrum edictum comprehendit, post lapsum unius mensis a die publicationis, & affixionis ita volumus obligatos esse, atque adstrictos, ac si cuilibet ipsorum foret personaliter intimatum. Datum Rhegii ex Palatio nostro Archiepiscopali pridie nonas Octobris MDCCLI. Pontificatus vero in Christo Patris & Domini nostri Benedicti Divina Providentia Papæ XIV. Anno XI.

PRÆ-

PRÆMONITIONES AD CLERUM.

QUicumque Synodo interesse debent, accedant ad illam cum talari habitu, convenientique tonsura. Dignitates, & Canonici nostræ Metropolitanæ Ecclesiæ, necnon Archipresbyteri induant eorum respective insignia. Cæteri vero accedant cum superpelliciis.

Afferant ad Synodum Bullas suorum Beneficiorum quicumque in sancta visitatione eas nobis non exhibuerunt.

Literas quoque suarum facultatum, vel deputationis exhibeant Confessarii, necnon quicumque absque titulo alicui Ecclesiæ sunt addicti, sive cum cura animarum, sive cum sola Capellania.

Afferatur etiam a quibusvis Ecclesiarum Rectoribus, sive Beneficiatis, quatenus non adhuc exibuerint, inventarium in copia authentica omnium bonorum Ecclesiæ, & supellectilium.

Exhibeant demum Parochi statum animarum suæ Paræciæ cum notis earum personarum, quæ in peccato publice versantur; uti sunt usurarii, maledici, blasphemi, concubinarii, quique paschalis communionis præcepto non satisfecere.

Die festivo, qui proxime Synodum præcedit, ii Curati, quibus non est Œconomus, considerato Paræciæ suæ statu, accedant ad infirmos, eosque visitent. Tum eorum curam vicinis Sacerdotibus etiam regularibus commendent, ne pendente Synodo, eorum absentia illis cedat in detrimentum. At si nullus in convicinio erit, qui suppleat, nos ad finem providendi consulant præmature.

Accedentes ad Synodum e Diœcesi prandendi, vel pernoctandi causa diversoria nullatenus adeant, sed ad ho-

hospitia a nobis designata divertant, nisi forte in Urbe aedes consanguineorum, ad quas divertere malunt, sint habituri.

Moneant Parochi populos, ut piis interim precibus Deum exorent ad uberem gratiæ rorem effundendum. Eaquepropter die Dominica Synodum præcedente, omnes rite confessi, ac sacra communione refecti nobis, sibique ex Synodi celebratione proventum a Patre luminum adprecentur. Clerici quoque in Missa synodali idem præstabunt.

Eadem porro die Dominica singuli Parochi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum ad ostium tabernaculi decenter populorum venerationi exponant.

In feriis quoque quintis non impeditis Missam celebrent de Spiritu Sancto, in impeditis vero collectam dicant de eo. Diebusque festivis Sanctorum litanias ante Missam parochialem cum populo recitent, ut eo pacto publicis precibus ad felicem Synodo exitum impetrandum adjuvemur.

Afferant demum Vicarii foranei notulas eorum, qui Synodo interesse debent. Quicumque vero circa præcedentiam jus aliquod, quod non satis liquidum sit, deducendum putaverint, id statim post hanc Synodi indictionem deducant, ut omnibus rite discussis, lites & contentiones a Synodi celebritate removeantur.

APERITIO SYNODI.

POst horam decimam tertiam Illustrissimus, ac Reverendissimus Dominus Archiepiscopus a Canonicis in aula Palatii Pontificaliter indutus, Clericis omnibus synodalibus sub cruce Cathedralis Ecclesiæ, Capitulo vero sub cruce archiepiscopali processionaliter incedentibus,

tibus, comitante Regio Gubernatore, ac Magiſtratu Civitatis, qui totius Synodi promulgationi interfuere, acceſſit ad Metropolitanam. Ante fores cruce cum imagine Crucifixi a Decano recepta, genufle&tens illam profundiſſime veneratus eſt; tum ab ipſomet Decano incenſatus ad ſacellum Sanctiſſimi Sacramenti divertit, ubi fuſis paululum precibus, proceſſit inde ad thronum in Eccleſiæ medio præparatum, unde proſtantibus in medio Sacris bibliis, ac Crucifixo, antiloquium ad Paſtores in Synodo congregatos, infra inſerendum per Canonicum Pœnitentiarium D. Antonium Oliva habitum eſt.

Poſt ſermonem recta ad altare contendit, Miſſamque Pontificalem celebravit, poſt quam incæpta antiphona *Exaudi nos*, Chorus Pſalmum *Salvum me fac Deus* proſecutus eſt, in cujus fine Illuſtriſſimus Dominus, depoſita Mitra, recitavit Orationem. Acceſſit deinde ad faldiſtorium, cantatiſque a Choro litaniis, ubi ad illa verba ventum eſt: *ut hanc præſentem Synodum viſitare, diſponere, ac benedicere digneris*, ſurgens Illuſtriſſimus Dominus Synodo benedixit; dein benedicto prius incenſo, Canonicus Diaconus paratus, petita benedictione, proceſſit, cantavitque Evangelium *Convocatis Jeſus*; quo finito Illuſtriſſimus Dominus genuflexus hymnum Spiritus Sancti *Veni Creator* incæpit, eoque a Choro expleto, Synodi Secretarius de manibus ipſius Illuſtriſſimi Domini Archiepiſcopi Synodalium Conſtitutionum volumine accepto, ad Cathedram præparatam a Cœremoniarum Præfecto deductus, decreta ſequentia clare ac diſtincte promulgavit.

DE-

DECRETUM I.

De Examinatoribus Synodalibus.

CUm Nobis juxta mandatum S. Concilii Tridentini *sess.* 24. *cap.* 18. injungatur Examinatores Synodales in Synodo proponere, ad eorum faciendum experimentum, qui pro obtinendis Ecclesiis parochialibus, aut arbitrio nostro aliis beneficiis, sive pro excipiendis Confessionibus, aut recipiendis Ordinibus volent examinari, infrascriptos doctrinæ rei sacræ peritos nominamus, & sunt:

Adm. Rev. Dominus D. Joseph Maria Palumbo U. J. D. Prothonotarius Apostolicus, noster Vicarius Generalis.

Adm. Rev. Abbas D. Antonius Caracciolo Cantor U. J. D. confirmatur.

Adm. Rev. Abbas D. Antonius Oliva Canonicus Pœnitentiarius S. Theol. D.

Adm. Rev. Abbas D. Augustinus Giacco Canonicus S. T. D.

Adm. Rev. Abbas D. Gregorius Palestino Canonicus U. J. D.

Adm. Rev. Abbas D. Franciscus Morisano Canonicus S. T. D.

Adm. Rev. Abbas D. Stephanus Morabito Canonicus S. T. D.

Adm. Rev. Abbas D. Franciscus Ferrante Canonicus U. J. D.

Adm. Rev. Abbas D. Vincentius Gatti Canonicus S. T. D.

Adm. Rev. Abbas D. Franciscus Sergi Canonicus Theologalis S. T. D.

Rev.

Rev. D. Onuphrius Scappatura S. T. D. confirmatur.

Rev. D. Joseph Furfari Parochus SS. Apostolorum Philippi, & Jacobi S. T. D.

Rev. D. Antoninus Pontari S. T. D.

Rev. D. Thomas Trapani Archipresbyter, & Protopapa Oppidi Mottæ Sancti Joannis S. T. D. confirmatur.

Rev. D. Cajetanus Tripepi S. T. D. Archipresbyter, & Protopapa Civitatis Sanctæ Agathæ.

Rev. D. Sanctus Tristani S. T. D. Archipresbyter Sambatelli.

Rev. D. Sebastianus Moro U. J. D. Parochus S.Georgii extra mœnia.

Rev. Pater Mag. Fr. Dominicus Serio Ordinis Prædicatorum confirmatur.

Rev. Pater Mag. Fr. Januarius Scambiaterra Rector hujus Collegii Ordinis Prædicatorum.

Rev. Pater Fr. Dominicus Polimeno studiorum Magister in hoc Collegio Ordinis Prædicatorum.

Rev. Pater Fr. Gregorius Ciciliano studiorum Magister Ordinis Prædicatorum.

Rev. Pater Fr. Joseph Gioffrè Lector Laureatus Ordinis Prædicatorum.

Rev. Pater Fr. Leonardus Caridi a Scylla Lector Jubilatus Ordinis Minorum Observantium S. Francisci.

Rev. Pater Fr. Thomas Bellantoni a Scylla Lector Jubilatus Ordinis Minorum Observantium S. Francisci.

Rev. Pater Magister Fr. Clemens Lipari Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci.

Rev. Pater Magister Fr. Gregorius Masdea Ex-Pro-

vincialis Ordinis Carmelitarum.

Rev. Pater Magister Fr. Nicolaus Laghanà Ex-Provincialis Ordinis Eremitarum S. Augustini.

Rev. Pater Fr. Franciscus Maria la Ruffa Provincialis Ordinis Minimorum Sancti Francisci de Paula.

Rev. Pater Fr. Bernardinus Spagnolo a Monteleone Lector Theologus Ordinis Minorum Observantium Reformatorum Sancti Francisci.

Rev. Pater Fr. Ludovicus Prestarà a Flumaria Ex-Provincialis Ordinis Capuccinorum.

Rev. Pater Fr. Michael Palestino a Rhegio Ex-Provincialis Ordinis Capuccinorum.

Rev. Pater Fr. Petrus Candeloro a Scylla Provincialis Ordinis Capuccinorum.

Rev. Pater Fr. Anselmus Bosurgi a Rhegio Guardianus hujus Conventus Immaculatæ Conceptionis Ordinis Capuccinorum.

Rev. Pater Antonius Giuvo Societatis Jesu confirmatur.

Rev. Pater Franciscus Santorelli Societatis Jesu confirmatur.

Rev. Pater Joannes-Baptista Palliola Societatis Jesu ejusdem Collegii Rector.

Rev. Pater Vitus Bonazzi S. Theologiæ Lector hujus Collegii Societatis Jesu.

Examinatores Synodales professionem fidei, & juramentum ad Sancta Dei Evangelia præstent se munus suum fideliter executuros.

Quod quidem juramentum consultius est nunc præstare in ipsa Synodo publice, quo primum tempore delecti sunt Examinatores, & jurent sequenti formula: *Ego N. Examinatoris officium, quod suscepi, promitto, spondeo, & juro, me fideliter & sincere executurum,*

sic

ſic me Deus adjuvet, *& hæc Sancta Dei Evangelia*, tangat unuſquiſque ambabus manibus Evangeliorum codicem ſupra genua Epiſcopi conſiſtentem.

Deputati Examinatores Synodales, qui non reperiuntur in Synodo præſentes, debent jurare extra Synodum, & de illorum juramento rogandus eſt Cancellarius ad profeſſionem expeditam, & cavendum erit, ut præſtitum ſit ante examen, alioquin annullabitur concurſus; fideique profeſſionem emittant.

Examinatoribus inculcandum duximus, eos pro examine ad curam animarum ſpectante vocatos non ſimplices leveſque caſus, neque illos, qui ex utraque parte opinionem probabilem habent; ſed tales, quibus vel affirmative, vel tamen negative convenientibus rationibus danda ſint reſponſa; neque caſus illos, qui non utiles, & multo minus intricatos proponere debere, & prius inveſtigare ſatagant non tantum examinandorum doctrinam, ſed etiam eorum vitam, famam, mores, ætatem, prudentiam, ac alia, quæ ad vacantem Eccleſiam regendam opportuna; in primiſque an zelo ſalutis animarum, an vero ſibiipſis, ac ſuæ familiæ proſpiciendi cauſa ad parochiale beneficium acquirendum moti ſint; quibus omnibus ſerio conſideratis Examinatores votum ſuum regulare debent.

Inſuper caveant Examinatores, ne intuitu examinis munuſculum etiam parvi momenti ante vel poſt examen accipiant; nam & dantes, & ipſi Examinatores recipientes ſimoniæ culpæ obnoxios ſe eſſe ſciant; nec ſibi invicem commendent examinandum quempiam, multoque minus caſibus propoſitis manuum, vel capitis ſignis ad affirmative, vel negative reſpondendum in ipſo examinis actu concurrentibus ſignificent; & ad omnem ſuſpicionem exterminandam Examinatores con-

ſanguinei ipſorum concurrentium , Nobis certioribus factis , concurſui intereſſe non audeant , in reliquis ſervetur Bulla , quam noviſſime emanavit Bened. XIV. feliciter regnans .

DECRETUM II.

De Judicibus Synodalibus.

UT litigantium commodo proſpicerent Summi Pontifices , aliquas cauſas Judicibus in partibus delegare conſueverunt, inter quos Bonifacius VIII. in *c. ſtatutum de Reſcriptis in 6.* decrevit , ut ſi actor , & reus ejuſdem Civitatis , ſeu Diœceſis fuerint extra ipſas cauſa a Sede Apoſtolica non committatur , niſi in duobus caſibus ibidem nominatim expreſſis , in quibus extra dictam Civitatem, & Diœceſim ita cauſam committi permiſit , ut nullus eorum ultra unam dietam a fine ſuæ Diœceſis valeat conveniri ; & ſtatim ſubdit : *cum autem actor , & reus Civitatum , & Diœceſium fuerint diverſarum , ſi actor in Civitate , vel Diœceſi rei judicem habere recuſet , ipſum non in ſua , ſed in alia Civitate , vel Diœceſi libere impetrare valeat ; dummodo locus , ad quem eum traxerit , ultra unam dietam, ſicut in caſu alio præmittitur , minime ſit remotus.*

At vero ne apoſtolicæ delegationes vileſcerent , non aliis cauſas committi voluit idem Bonifacius , niſi perſonis in dignitate eccleſiaſtica conſtitutis , aut Perſonatum , vel ſaltem Canonicatum in Eccleſiis Cathedralibus obtinentibus , a quibus præterea non alibi cauſas audiri , & definiri mandavit , niſi in Civitatibus , aut locis inſignibus , ubi poſſit commode copia peritorum haberi . Hanc Bonifacii Conſtitutionem renovavit Con-

cilium

cilium Tridentinum (a); utque magis adhuc Sedes Apostolica secura foret de scientia, prudentia, & probitate personarum, quibus causas extra urbem judicandas committit, eidem constitutioni aliqua sapientissime adjecit: *Quoniam* (sunt verba Tridentini) *ob malitiosam petentium suggestionem, & quandoque ob locorum longinquitatem personarum notitia, quibus causæ mandantur, usque adeo haberi non potest*, &c.

Plura videri possunt in Bulla Benedicti XIV, edita die 26. Augusti 1741, quæ est 28. in Bullario *tom.* 1. data ad Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos, ubi methodus traditur designandi Judices Synodales, tam in Synodo, quam extra Synodum, & modus ostenditur quo eorum nomina Sedi Apostolicæ notificare debeant, ut hæc viris probis, & doctis causarum cognitionem in partibus deinceps committere valeat: sunt autem sequentes.

Adm. Rev. Abbas D. Tiberius Genoese U. J. D. Decanus.

Adm. Rev. Abbas D. Franciscus Furnari U. J. D. Archidiaconus.

Adm. Rev. Abbas D. Dominicus Galante U. J. D. Thesaurarius.

Adm. Rev. Abbas D. Gregorius Palestino U. J. D. Canonicus.

Adm. Rev. Abbas D. Franciscus Ferrante U. J. D. Canonicus.

Adm. Rev. Abbas D. Georgius Cosentino S. T. D. ac U. J. P. Canonicus.

DECRE-

(a) *Sess.* 25. *cap.* 10. *de Reform.*

DECRETUM III.

De Testibus Synodalibus.

NE ea, quæ in hac Synodo salubriter constituta sunt, optato defraudentur effectu, veteri Sacrorum Canonum instituto adhærentes eligimus, & deputamus viros probitate vitæ commendabiles, & discretione præditos, qui accurate perquirant, & animadvertant, an Synodales nostræ constitutiones inviolate observentur, & an sit aliquid sive in Civitate, sive in Diœcesi, quod corrigi debeat, & ubi dignoverint, Nobis, vel Generali nostro Vicario fideliter aperiant, ut opportune provideatur. Quorum testium nomina in schedula sunt adnotata, & in archivo asserventur.

RHEGII

Rev. D. Franciscus Marra.
Rev. D. Stephanus Pizzimenti.
Rev. D. Marianus Marra.
Rev. D. Laurentius Giofrè.

MOTTÆ

Rev. D. Franciscus Marrari.

CIVITATIS S. AGATHÆ

Rev. D. Marcus Antonius Tripepi.

TERRÆ CALANNÆ

Rev. D. Bruno Virgiuso.

TERRÆ FLUMINIS MORUM

Rev. D. Placidus Macri.

TERRÆ S. LAURENTII

Rev. D. Laurentius Mandalari.

TERRÆ PENTIDACTYLI

Rev. D. Antonius Vernagallo.

Rev.

Rev. D. Jacobus Minicuci.

TERRÆ JOPPOLI

Rev. D. Joannes-Dominicus Brosio.

CIVITATIS SCYLLÆ

Rev. D. Rochus Brinda.
Rev. D. Joseph Ingigneri.

TERRÆ MONTISBELLI

Rev. D. Paulus Alati.

TERRÆ SAMBATELLI

Rev. D. Joseph Empoli.

TERRÆ MOLOCHII

Rev. D. Nicolaus de Alexio.

RURIS ORTI'

Rev. D. Joannes Spanò.

RURIS ARASI'

Rev. D. Joseph Caridi.

RURIS TERRETI

Rev. D. Felix Pristeri.

RURIS S. JOANNIS DE BRUZZANO

Rev. D. Franciscus Nostro.

RURIS S. ROBERTI

Rev. D. Philippus la Badessa.
Rev. D. Dominicus Jannoli.

RURIS DIMINNITI

Rev. D. Rochus Bilardi.

RURIS S. BLASII

Rev. D. Antoninus Borrello.

RURIS S. DOMINICÆ DE GALLICO

Rev. D. Antoninus Monsolino.

RURIS S. ALEXII

Rev. D. Horatius Cancellieri junior.

C A T O N Æ

Rev. D. Michael Giordano.

CAM-

CAMPI

Rev. D. Andreas Galimi.

RURIS ROSALI'

Rev. D. Joseph Borrello.

RURIS S. STEPHANI

Rev. D. Ludovicus Sinicropi.

RURIS PODARGONI

Rev. D. Antonius Soraci.

Rev. D. Bruno Labadessa.

RURIS CARDETI.

Rev. D. Paulus Russo.

RURIS VALANIDI

Rev. D. Didacus Marino.

RURIS LAGHANADI

Rev. D. Joannes-Baptista de Agostino.

DECRETUM IV.

De Officialibus Synodi.

UT hæc Synodus legitime convocata per ministros idoneos dirigatur, infrascriptos quos probitas, & discretio commendant, deputamus: videlicet

Promotorem ejusdem Adm. Rev. Abbatem Canonicum D. Gregorium Palestino U. J. D.

Secretarium Rev. D. Antonium Mandalari Parochum Sancti Nicolai de Blancis S. T. D.

Notarium prædictæ Synodi Rev. D. Cajetanum Miano Parochum S. Sebastiani.

REVISORES LIBRORUM

Adm. Rev. Abbatem D. Antonium Oliva Canonicum Pœnitentiarium S. T. D.

Rev. Patrem Fr. Januarium Scambiaterra S. T. Mag. Ordinis Prædicatorum. DE-

DECRETUM V.

De præjudicio non inferendo.

AD vitandas perturbationes & dissidia, quæ accidere possunt in quacunque hujus Synodi functione, cum quis præter aut contra conditionem suæ dignitatis, gradus, vel muneris incedit, stat, sedet, vocatur, aut quippiam aliud peragit; nulli propterea illatum præjudicium aliquod, aut novum jus quæsitum fuisse decernimus, sed cuncta in eodem statu firma volumus permanere, in quo erant, priusquam hæc Diœcesana Synodus convocaretur.

SERMO AD PATRES
SUB INITIUM SYNODI
HABITUS CORAM ILLUSTRISS. ET REVERENDISS. ARCHIEPISCOPO
D. DAMIANO POLOU
AB ANTONIO OLIVA CANONICO ET MAJORI PŒNITENTIARIO,

Quo ratio innuitur, quare ad hoc usque tempus ejus celebratio dilata fuerit; exstimulantur Ecclesiastici ad quæ sui muneris sunt accurate exequendum, atque eorum zelo commendatur, quæ acta hujus Synodi continent ab omnibus observari.

MAxima perfundor lætitia tot videns hodie clarissimorum virorum multitudine Ecclesiam Dei ornari, vosque omnes ad synodalia celebrandum comitia multa jucunditate concurrisse; sed pavet animus meus in conspectu Illustrissimi, & Reverendissimi Archipræsulis, ceu lucernæ ardentis in medio Ecclesiæ, & miro splendore micantis ad venerabiles Patres in Synodo congregatos, quos virtutum dignitas, & fama commendat, verba proferre. Et quî fieri poterit, ut homo nullius rei, & imperitus, cui vix humilis audiendi silentio locus conceditur, ad præambula oratione in amplissimo hujus Ecclesiæ senatu loquendum tamquam aliquid magnum & præclarum dicturus, sublatus sit? fateor sane ad hanc me provinciam capiendam nulla prorsus ratione adduci potuisse, nisi ejus, qui cum imperio præsidet, auctoritas pertraxisset. Et nihilominus obsequendo vereor, ne in ipso orationis vestibulo me deficiat vox, idemque eveniat in animo, quod in corporibus solet accidere. Præ timo-

timore corporis nervi diſſolvuntur, vigor remittitur, & multa frequenter, quæ manu tenemus, quæ digitis ſtringimus, nobis excidunt omnia; itidem nunc mihi metus eſt, ne videlicet, quæ multo cum labore excogitavi quamvis exilia parvique momenti præ pavore veniant in oblivionem, & evaneſcant, abeantque animum meum deſertum relinquentia. Quapropter veſtrum omnium caritatem obſecro, ut quantam mihi veſtro ad audiendum concurſu anxietatem injeciſtis, tantundem mihi audaciæ inſpiret precum veſtrarum diligentia, ſi illum rogetis, qui linguas adhuc infantium facit diſertas, ut animum meum compingat, orique meo det vocem virtutis. Nullum mihi dubium quin hoc quod peto præſtetis; quandoquidem non alio quàm ad hujus Cleri, totiuſque populi utilitatem verba mea diriguntur. Divini ergo Numinis implorato veſtris precibus adjutorio ſecurus & alacer exordium ſumo.

Cum ſæpius perluſtraret vigilantiſſimus Paſtor Rheginenſem Civitatem, Suburbia, Oppida, & Caſtella, quæ ad ſuam pertinent Metropolitanam Eccleſiam, alteram velle ſe condere ſynodum, Canonicos, meque, ſanctæ viſitationis comites jamdudum monuit, eique quantocyus manum apponere dum parabat, ſubſequentia tempora inopinati, & exitialis contagii, quod primo pagum Foſſæ S. Joannis in finibus Flumariæ invaſit, dein urbem hanc aliaque nonnulla Diœceſeos loca, eam cogendi ſibi, conferendique cum Reverendiſſimo Capitulo vires & facultatem ademerunt. Heu quantum indoluimus mala, quæ peſte graſſante velut agmine facto undequaque irruebant, cunctique propemodum gregis necem & excidium moliebantur. Una tamen tot inter anguſtias levandi fuit minuendique doloris cauſa, Illuſtriſſimum Præſulem, & Patrem optimum miſeros filios tum ſpiritua-

 lis

lis tum corporalis auxilii indigentes visitationibus, exhortationibus, largis eleemosynis, vigilantia, orationibus, ceterisque adjumentis jugiter sublevasse, atque in aperto maximoque periculo quatuor dumtaxat hominum millia supra quingentos pia secularium, & Regularium Sacerdotum opera Ecclesiæ Sacramentis munita in Civitate, ejusque districtu obiisse, ceteris vero locis circiter mille.

Post tres amplius annos, lethali penitus eradicato contagio, reddita sanitate, cunctisque agendi libertate donatis, vires resumtæ, atque alacrioribus studiis ad synodicum opus aliquandiu incubitum est. Sed alia rerum eventa, & vicissitudines obsequentissimi Antistitis jussu Sedis apostolicæ in longinqua discessus terra marique in amplæ Diœcesis visitatione per ardua itinera, & quandoque oborta tempestate cum vitæ discrimine, cujus egomet aliique pars fuimus, diuturnæ ægritudines, & ceteræ pastoralis regiminis graviores curæ integre perfici distulerunt.

Nunc tandem, omni sublato impedimento serena, & quovis anni tempore magis jucunda dies nobis elucet, hæc recurrentis festivitatis optata dies, qua omnium Sanctorum Octava humilibus totius Orbis celebratur obsequiis, eorumque subsidia, & protectiones paribus votis, magnaque fiducia exorantur, & hujus Ecclesiæ Sanctorum Lipsana, tamquam carissima pignora, & fidissima propugnacula in altari conspicua devote coluntur, synodales hasce constitutiones in plures annos dilatas mox eliciendas excitat, atque confirmat.

Oculis vestris conspicitis solertissimum Præsulem ætate longævum, atque laboribus attritum pro nostra totiusque suæ Diœcesis salute amplius defatigari: nosque Fratres, & Clerus omnis tam Secularis quam Regularis, qui in ejus partem sollicitudinis vocati sumus, surga-

gamus, & quæ ad hujus gregis indigentiis succurrendum, ejusque spirituali bono prospiciendum conferunt, duce prudentia, in medium afferamus, quæve salutaribus constitutionibus sanciuntur, aut monitis commendantur libentissime amplectimur, ab aliis suscipi servarique totis viribus contendamus.

Haud pauca, & non sine gaudio præcedente Illustrissimo Præsule huc illuc circumeuntes digna laude comperimus; vidimus templa, ut decet domum Dei, pura claritate fulgentia, suique nitoris incrementum non cura solum Ecclesiastici muneris, sed & Laicorum sedulitate, & largitionibus recipere; vidimus pueros & puellas, viros & mulieres, juvenes & senes composita forma, & modestis moribus in Ecclesiis interesse, deque eorum frequentia tum in Sacramentis suscipiendis, tum in concionibus audiendis, tum sanctissimi Rosarii mysteriis recitandis, tum piis novendiis, aliisque sacris functionibus peragendis certiores facti sumus. O utinam ubique locorum, & sine temporis intervallo tam uberes fructus in agro dominico vinea domini germinaret! quàm jucundi forent in pastorali regimine vigintiquatuor annorum impensi labores, assiduique conatus! posset utique Pastor inclytus una cum grege sibi concredito in Domino gloriari, & animarum profectus, & præmia in commune æquo jure conferre.

Quod quidem eleganti, & ad inflammandam Episcoporum sollicitudinem, ut in suo munere, ingenti quæstu proposito, adlaborarent, accommodata sententia indicavit D. Prosper Aquitanus Rhegiensis Episcopus (a): *qui pro multis occupatur, ut alii proficiant, ac Deo vacent, profectus illorum ejus fructus est, & qui solli-*

(a) *Vit. Contemplat. cap.* 10.

ſollicitudines omnium portat, *in ipſis proficientibus proficit*, *& gloriæ illorum gloria ejus eſt*; ſic pariter cooperantibus nobis in ſalutem animarum, ipſa earum ſalus lucrum eſt animæ noſtræ; & quicumque munus Sacerdotale ſuſcepit, illud ſibi faciendum proponat, quod a Presbyteris aperte D. Hieronymus exquirit, *ſi officium vis exercere Presbyteri*, *vive in Urbibus*, *& Caſtellis*, *& aliorum ſalutem fac lucrum animæ tuæ*.

At vero non omnium vivendi æqualis eſt forma, non pares omnium mores, non eadem pietatis ſolertia, non ſimilis diſciplinæ cuſtodia: multorum laudantur initia, ſed virtutis & meritorum exordiis perpetuitas non reſpondet: non deeſt ſordidantium vitiorum corrupta materies, non pravi mores, & abuſus irrepti, non pervicacium hominum rebellis, & obſtinata malitia, exceſſus, ſcandala, & reliqua id genus zizania. Hinc zelo ſuccenſus præſtantiſſimus Antiſtes malis omnibus occurrere cupiens ſalutis monita, ac tempeſtivas ſanctiones, repetitis vicibus edidit, & amore potius quam timore contumaces animos emollire ſtuduit, minis & terroribus, pœnis & cenſuris parcius uſus eſt; & ſi quando pro qualitate criminis, & malitiæ delinquentium officii ratione iis percellere opus fuit, non ad exaſperationem & vindictam, ſed ad reſipiſcentiam & medelam hoc fecit.

Mox tamen quæ aut Eccleſiæ ſuæ neceſſaria aut utilia viſa ſunt, ut firmius memoriæ inhæreant, nova coacta Synodo generatim decernenda, & promulganda curavit. Eoque viri Fratres, Dignitates, & Canonici, Abbates, Archipresbyteri, animarum rectores, verbi Dei præcones, cunctique Eccleſiæ miniſtri collimare debent communia vota, ſtudium, & conatus, ut fideliter corrigantur exceſſus, reformentur mores, tollantur abuſus, ſcandala, & inimicitiæ, ſi qua ſint, extinguantur, perque

eas

eas vias, unde tot mala fluxerunt ne in posterum regurgitent, omnis aditus obstruatur.

Duces estis populorum & lux mundi, viantibus iter præmonstrare debetis; sal estis terræ, mentes hominum sapore vestro salire, & condire, & a vitiorum putredine vindicare debetis; estis Christi bonus odor in omni loco virtutum fragrantia, castitatis, modestiæ, pietatis omnes ad Christum attrahere debetis. Pastores estis, quibus immediata ovium cura demandata est, & jugis inter eas consuetudo, pascere debetis, qui in vobis est, gregem Dei doctrinæ verbo, orationis subsidio, Sacramentorum pabulo, conversationis exemplo; hæc si deficiant, character, officium, auctoritas mercenarium efficit non pastorem. Hei mihi lupus Erebi diripit oves, dum alios pertrahit ad impudicitiæ sordes, alios avaritiæ implicamentis involvit, hos inflat superbia, illos accendit ad iram, modo invidos, modo desides facit, & pene omnibus fallendi assuetus molitur fraudes, & decipit. Sed contra hæc clamat S. Gregorius Primus: *Mercenarius nullo zelo accenditur, nullo fervore dilectionis excitatur, quia dum sola exteriora commoda requirit, interiora gregis damna negligenter patitur* (*a*).

Nec modo populorum duces, mundi lumen, & salem, Christi bonum odorem, & pastores, sed venatores quoque nos esse voluit Deus, cum & ipse venatorem se fieri delectetur. Id quod vel Ethnicus asseruit Xenophon dicens: *venationem esse Deorum inventum*: & nimio plus quam non cogitavit expressit; quoniam Dei proprium est non aves & animalia, sed animas venari; propterea inquit Procopius (*b*) *varia Domini sunt retia.* Idem-

(a) *Hom.14.in Evang.*
(b) *In lib.Reg.cap.19.*

Idemque nobis esse demandatum officium detegunt verba illa, quibus per Hieremiam Prophetam Deus futuræ Ecclesiæ promisit: *mittam multos venatores, & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle, & de cavernis petrarum (a).* Venatores hosce, Apostolos, atque Episcopos, ceterosque Ecclesiasticos esse, qui animas venatum excurrunt, ut e superbiæ montibus, e voluptatum collibus, e vitiorum cavernis eripiant, & Domino lucrifaciant, sensere Origenes (*b*), D. Hieronymus (*c*), Ambrosius (*d*), & Augustinus (*e*), in quam sententiam discessit D. Basilius (*f*), & nos adhortando sic ait: *attende igitur multa cum diligentia, ne forte fugiat te præda, ut efferatos per improbitatem verbo veritatis convictos Salvatori offeras.*

Quod si animalium venatores, ut ea deprædentur, tot labores atque incommoda perferunt, & ut verbis utar Romani Oratoris (*g*): *pernoctant venatores in nive, in montibus, uri se patiuntur;* quid nobis, qui ad animas deprædandas, Deoque offerendas electi sumus, faciendum est? Eja Fratres carissimi, qui sacris hisce comitiis assidetis, haud pigeat una simul cum Principe nostro annisus & laboris, ut animas Christi Domini sanguine redemtas Domino comparemus; exeamus in agrum Domini, apprehendamus arcum, pharetram, & sagittas, & ad monstra conquirenda & confodienda quamcitius festinemus; non est sacerdotalis nobis ordo collatus, ut otio tor-

(a) *Hierem.* 16.
(b) *In Hierem. ibi.*
(c) *In id.* 38.40.
(d) *In Psal.* 118.
(e) *Tractat.* 10. *de utilit. jejun.*
(f) *In Deutoron. cap.* 15.
(g) *Tuscul.* 2.

torpeamus, aut alio diſtenti ſtultis laboribus inutiliter occupemur, ſed ſicut ejus poſſidemus honorem, habere nitamur & meritum.

Qualis erit excuſatio in illo diſtrictionis die cum Chriſtus Dominus advenerit, cum ſervis ſuis, quibus talenta dedit rationem poſiturus, quid miſeri dicent, qui talenta condiderunt, aut remiſse in eis operati ſunt, & ad Dominum vacui poſt negotium redeunt? de quolibet, cujus ſuſcepimus curam, nobis dictum meminerimus: *Cuſtodi virum iſtum ſolicite, qui ſi lapſus fuerit, erit anima tua pro anima illius*. A nobis ergo metipſis ſumamus initium, & ſi qua corrigenda reformanda inſtauranda ſunt, corrigamus reformemus inſtauremus omniaque in meliorem ſtatum convertamus; ſic facili negotio, quæ ſparſim in hac Synodo afferuntur decreta, conſtitutiones, ſalutis monita, inſtructiones, & proficua conſilia ſuo non carebunt effectu, cumque videat populus actione probari, & exemplo, quod promit lingua ſacerdotalis, facilius ad imitationem adducitur: *habent enim & opera linguam ſuam, & validior*, teſte D. Bernardo, *eſt vox operis, quam oris*.

Quid plura? animadvertite cariſſimi, appromiſſam noſtris eſſe laboribus, ſtudiis, conſiliis, curis, cogitationibus præmii magnitudinem, & copioſam perennis gloriæ coronam; non ſinet quippe Deus illis cœlum occludi, qui aliis aperire conati ſunt; quinimmo Apoſtolici laboris merces, & præmium incipit in hac vita, eoque grandior eſt merces, quo major eſt ipſe labor; quod ſignificatum reperitur in parabola de operariis (*a*), qui a primo mane uſque ad veſperam in vinea Patrisfamilias laboraverant, & murmurantes ſe pares in mercede fuiſ-

D ſe

(a) *Matth.20.*

ſe cum aliis qui minus fecerant, reprehenſione digni habiti ſunt; quoniam non intelligere præſeferebant inæſtimabilis pretii lucrum eſſe in vinea Domini ſe laboribus exercere; & quo longioribus ſe exercitiis dederant, majora ſibi præmia quæſiviſſe, ut belle ad rem ait D. Gregorius Nazianzenus (*a*): *Hoc ipſum amplius laborare, amplioris loco mercedis habendum eſt*.

Iccirco dilectiſſimi Fratres, Domini vineam verbo & exemplo partitis muneribus excolamus, magnam a Domino retributionem conſecuturi, & dum Synodalis conventus hic agitur fuſis ad Deum precibus ejus opem invocemus, pietatis operibus, ac ſacris exercitiis ſedulo incumbamus, eaque omnia, quæ ad Dei cultum & gloriam, ad Cleri diſciplinam, totiuſque populi ædificationem potiſſimum faciunt, opere & ſermone certatim præferamus, ut optatus a nobis huic Synodo exitus habeatur. Vive diu multumque una cum grege tuo ampliſſime Paſtor, & quam peramanter ſuper nos benedictionem elargiris, Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis ſuis chariſmatibus refertam cumulatius tribuat, & fauſtis auſpiciis proſpera cuncta nobis eveniant. Amen.

PARS

(a) *Oratione* 40.

PARS PRIMA.

TITULUS I.

De Fide Catholica.

CAP. I.

Ex D. Pauli Rhegium adventu, ibique gestis, Rhegienses Fidem suscipiunt, quam B. Stephanus Nicænus ab eo in Antistitem ordinatus auxit, & martyrio decoravit; ejus integritas, & custodia Episcopali curæ concreditur.

1 Antiquissimæ urbis Rhegii decus & ornamentum est Christi Domini fidem, quam in omnes mundi plagas, & in fines orbis terræ prædicatione invexerunt Apostoli, suisque labore, & sanguine dedicarunt, Divum Paulum Doctorem Gentium a nascentis Ecclesiæ primordiis huc attulisse, & quasi electum semen in bonam terram prolapsum fructum centuplum reddidisse. De sui adventu in Apostolorum actis meminit D. Lucas (*a*) fidelissimus ejus sectator, & comes, qui eum ex Melitæ insula per mare navigantem Syracusas, deinde Rhegium appulisse testatur: *& cum venissemus Syracusam mansimus ibi triduo: inde circumlegentes devenimus Rhegium*. Ubi eo prædicante Rheginos fidem suscepisse non sine prodigio lapideæ columnæ in vertice accensæ in testimonium veritatis fidei quam promulgabat, antiquiores picturæ, vetustissimum D. Pauli templum non pro-

(a) *Cap.* 28.

cul a littore maris, licet eleganti forma recens constructum, atque constans hujus Ecclesiæ traditio indiciis haud obscuris ostendunt. Sanctum denique Stephanum Niceæ, qui primus fuit hujus Urbis Antistes a D. Paulo ordinatus (*a*), & usquemodo princeps Patronus ab immemorabili colitur, sub Vespasiano Imperatore a Præside Hierace tertio nonas Julias martyrio coronatum græca menologia commemorant.

2. Sanctam ergo catholicam & Apostolicam fidem, quam faustis a D. Paulo auspiciis nostri didicere majores, & Romana veneratur & docet Ecclesia, sarctam tectam ab omnibus teneri atque custodiri nostri sunt pastoralis muneris præcipuæ curæ. Ipsa enim fundamentum est, sine quo spiritualis ædificii moles consistere nequit; ipsa humanæ salutis initium, ostium vitæ, & radix omnis justificationis. Nos idcircò licet immeriti qui tot millium animarum pondus nostros super humeros gestamus, easque in primis ad fidem instituere, atque in viam salutis dirigere jubemur, pro iis Deo rationem reddituri pervetustam Sacrorum Conciliorum consuetudinem sequentes a fidei professione nostrorum Synodalium comitiorum, exordium sumendum esse censuimus, ut ita superædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu, fidei veritatem, cui firmiter corde inhæremus ad justitiam, ore confiteamur ad salutem.

CAP.

(a) *Cornel. a Lap. in Act. Apost. cap. 28. v. 13.*

CAP. II.

De Fidei professione, & qui, quando, & quomodo eam emittere teneantur, ejusdemque peractæ documentum in Archiepiscopali Cancellaria asservetur.

1. Fidei professio, quam Nos ni ex Trid. Conc. decreto, summæ tamen religionis causa coram adstantium sacerdotum cœtu ante altare genuflexi juxta formulam in Pii Papæ IV. constitutione præscriptam palam professi sumus; quamque inferius adnotandi profiteri tenentur, est in hæc, quæ sequuntur verba.

Ego N. N. firma fide credo, & profiteor omnia & singula, quæ continentur in Symbolo Fidei, quo S. Romana Ecclesia utitur, videlicet

Credo in unum Deum Patrem omnipotentem factorem cœli, & terræ, visibilium omnium, & invisibilium, & in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei Unigenitum, & ex Patre natum ante omnia sæcula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt, qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis. Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine, & Homo factus est; crucifixus etiam pro nobis, sub Pontio Pilato passus, & sepultus est, & resurrexit tertia die secundum Scripturas, & ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris, & iterum venturus est cum gloria judicare vivos, & mortuos, cujus regni non erit finis; & in Spiritum sanctum Dominum, & vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit, qui cum Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas; & unam sanctam Catholicam,

cam, & Apoſtolicam Eccleſiam; confiteor unum baptiſma in remiſſionem peccatorum, & expecto reſurrectionem mortuorum, & vitam venturi ſæculi. Amen. Apoſtolicas, & Eccleſiaſticas traditiones, reliquaſque Eccleſiæ obſervationes, & conſtitutiones firmiſſime admitto, & amplector. Item Sacram Scripturam juxta eum ſenſum, quem tenuit & tenet Sancta Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione Sacrarum Scripturarum admitto; nec eam unquam niſi juxta unanimem conſenſum Patrum accipiam, & interpretabor. Profiteor quoque ſeptem eſſe vere & proprie Sacramenta novæ legis a Jeſu Chriſto Domino Noſtro inſtituta, atque ad ſalutem humani generis (licet non omnia ſingulis) neceſſaria, ſcilicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium, illaque gratiam conferre, & ex his Baptiſmum, Confirmationem, Ordinem ſine ſacrilegio reiterari non poſſe: receptos quoque & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſupradictorum omnium Sacramentorum adminiſtratione ſolemni recipio & admitto: omnia & ſingula, quæ de peccato originali, & de juſtificatione in Sacroſancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt amplector & recipio. Profiteor pariter in Miſſa offerri Deo verum proprium & propitiatorium ſacrificium pro vivis, & defunctis, atque in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento eſſe vere realiter & ſubſtantialiter corpus, & ſanguinem una cum anima & divinitate Domini noſtri Jeſu Chriſti, fierique converſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem, quam converſionem Catholica Eccleſia tranſubſtantiationem appellat: fateor etiam ſub altera tantum ſpecie totum, atque integrum Chriſtum verum Sacramentum ſumi. Conſtanter teneo Purgatorium

eſſe,

esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari; similiter & sanctos una cum Christo regnantes venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmissimè assero imagines Christi atque Deiparæ semper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas & retinendas esse, atque eis debitum honorem, & venerationem impartiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maximè salutarem esse affirmo. Sanctam Catholicam, & Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum matrem, & magistram agnosco, Romanoque Pontifici Beati Petri Apostolorum Principis successori, ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo, ac juro. Cetera item omnia a Sacris Canonibus, & Œcumenicis Conciliis, ac præcipuè a Sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita & declarata indubitanter recipio atque profiteor. Simulque contraria omnia, atque hæreses quascumque ab Ecclesia damnatas & rejectas & anathematizatas ego pariter damno rejicio & anathematizo. Hanc veram Catholicam Fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsenti spontè profiteor & veraciter teneo, eamdemque integram & inviolatam usque ad extremum vitæ spiritum constantissimè (Deo adjuvante) retinere, & confiteri, atque a subditis meis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri doceri & prædicari quantum in me erit, curaturum. Ego idem N. N. spondeo voveo ac juro, sic me Deus adjuvet; & hæc sacrosancta Dei Evangelia.

2. Hanc Orthodoxæ Fidei professionem de Canonicatibus, & Dignitatibus provisi in nostra Metropolitana Ecclesia intra duos menses numerandos a die, qua pos-

sessio-

ſeſſionem adepti ſunt, edere tenentur (a) in manibus noſtris, vel Nobis impeditis coram noſtro Generali Vicario; quod idem etiam in Capitulo facere tenentur; eos tamen a Fidei profeſſione in Capitulo repetenda exemtos declaramus, qui eam coram Nobis, vel Vicario noſtro in choro cum interventu Capituli emiſerint.

3. Proviſi etiam de beneficiis quibuſcumque curam animarum habentibus a die adeptæ poſſeſſionis intra idem tempus duorum menſium, fidei publicam facere debent profeſſionem coram Nobis vel noſtro Generali Vicario, ut de Canonicis dictum eſt. Volumus tamen a noſtræ Curiæ Cancellario in librum ad hunc uſum in Cancellaria aſſervandum adnotari nomina & cognomina ſingulorum, qui hujuſmodi profeſſionem expleverint eorumdem & duorum quoque teſtium ſubſcriptione.

CAP. III.

Beneficia curata, aut Canonicatus obtinentes, ſi intra bimeſtre a die capta poſſeſſionis Fidei profeſſionem non emittant, fructus haud faciunt ſuos, ſed diſtributiones lucrantur.

1. SI a die adeptæ poſſeſſionis ad minus intra duos menſes taliter proviſi fidei profeſſionem non emiſerint, abſque ulla hominis declaratione fructus ſuos non faciunt, nec illis pacifica poſſeſſio ſuffragatur juxta Concilii Tridentini ſanctiones, nec tueri ſe poſſe arbitrentur ignorantiæ ſive inadvertentiæ cauſa, aut qualicumque bonæ fidei ſpecie, aut demum ſententiam declarato-

(a) *Trid. ſeſſ. 24. cap. 12. de Reformat.*

claratoriam non præcessisse (*a*); quandoquidem in foro exteriori hæ excusationes non admittuntur, quia est ignorantia juris clari, quæ non excusat; neque opus est sententia declaratoria, cum non agatur de lege pœnali, sed tantum conventionali (*b*).

2. Nomine autem fructuum quos amittunt provisi, ut supra, qui fidei professionem non emiserint, non veniunt distributiones quotidianæ, quas lucrantur horis canonicis interessentes.

C A P. IV.

Qui intra constitutum tempus fidei professionem fortasse non emiserit pro fructuum male perceptorum condonatione ad Sacram Congregationem Concilii recurrat.

SI vero casus acciderit aliquem ex prædictis fidei professionem intra debitum tempus omisisse, nobis illi fructus condonandi facultas non est; attamen ut subditis nostris adjumento simus, eorumque conscientiis consulamus, hortamur, ut quantocyus ad Sacram Congregationem Concilii recursum habeant cum expressione temporis captæ possessionis Parochiæ, sive Canonicatus fructuum injuste perceptorum condonationes humiliter petentes; nam facilis obtentu apud eandem est condonatio quadam eleemosyna arbitrio Confessarii eroganda, de qua etiam constare debet.

E CAP.

(a) *Bened. XIV. tom. 3. Notific. 19. Garzias de beneficiis p. 3. cap. 3. num. 67.*

(b) *Bened. XIV. ibidem in suis notific. tom. 3. notific. 19. Garzias de benefic. cap. 3. num. 35.*

CAP. V.

Parochis vigilantia inculcatur, ut in grege ſuo Catholica Fides inviolata ſervetur. Si quem ab ea deſciſcentem norint ad nos deferant. Etiamnum Confeſſarii ſuos moneant pœnitentes de obligatione denunciandi hæreticos, ſchiſmaticos, de hæreſi ſuſpectos &c.

1. UT Catholica Fides omni hæreticali expulſa perfidia ſine ruga & ſine macula in ſua puritate conſervetur, & ne qua latens erroris lues gregem Domini nobis creditum inficiat, ſtrictè præcipiendo mandamus omnibus Parochis, quos eorum mores & fidem, qui in diſtrictu Paræciæ ſuæ habitant, noſſe oportet, ut ſedulo invigilent, ne aliqui commorentur ab Orthodoxæ Fidei dogmatibus alieni, & ſi quos forte ſuſpectæ fidei deprehenderint ad Nos illico deferendos curent, ut paterno caritatis affectu omni adhibita diligentia hujuſmodi labe infecti in tenebris & umbra mortis ſedentes ad verum fidei lumen revocentur.

2. Quam denunciandi obligationem cum omnes utriuſque ſexus Chriſtifideles quovis gradu conditione, & dignitate fulgentes æque contrahant, illos Confeſſarii, & Parochi monitos habeant de obligatione denunciandi hæreticos, ſchiſmaticos, de hæreſi ſuſpectos, ac etiam magos, ſtrigas, veneficos, augures, ſortilegos, alioſque damnatis artibus incumbentes.

CAP.

CAP. VI.

Hæreticorum libros aut de hæresi suspectos, aut alios vetitos nemo legere aut retinere audeat sub pœnis & censuris &c. legendi vero facultatem habens Nobis constare faciat.

QUoniam bonorum animi quamvis doctrina præditi nonnunquam seducuntur ex hæreticorum libris ab eorum lectione summopere cavendum. Et ne doctrinarum novitate, in quibus quandoque perniciosum virus latet alliciantur, sancimus ne quis libros hæreticorum vel de hæresi suspectorum, aut alios quoscumque vetitos legere, aut penes se retinere præsumat sub pœnis & censuris a sacris Canonibus inflictis; facultatem vero habentes libros prohibitos legendi, eam teneantur Nobis exhibere.

CAP. VII.

Quævis disputatio cum Infidelibus aut Acatholicis de rebus Fidei laicis interdicitur etiam ex causa ejus veritatis tuendæ vel promovendæ.

LAicis ne publice vel privatim de fidei dogmatibus disputent cum Infidelibus vel heterodoxis etiam ex motivo eos convincendi, vel suadendæ nostræ fidei veritatis omnino inhibemus, ne plusquam oportet ii sapere præsumant (*a*).

(a) *Alexander IV. in cap. Quicunque 2. §. Inhibemus de hæreticis in sexto. Nicolaus III. in Constit. 2. quæ incipit* Noverit *edita apud urbem veterem quinto nonas Martii anno* 1280. *Literatissimus Vir Ludovicus Anto-*

Antonius Muratorius in Opuscul. cui tit. Riflessioni sopra il buon gusto: *part.* 2. *cap.* 7. *pag. mihi* 125. *cum sequent. editionis Venetæ* 1736. *affirmat, quod Clerici nomine ætate Alexandri IV. intelligebantur viri docti, & laici nomine illiterati: multa exempla ea de re Du-Cangius in glossario mediæ, & infimæ latinitatis. Unde Ordericus Vitalis lib.* 3. *ait* Clericus cognominatus est, quia peritia literarum apprime imbutus. *Historia Episcoporum Estensium:* Iste Joannes Episcopus &c. magnus clericus in jure Canonico fuit. *Et apud Gallos verbum* Clero *literatum, & summe doctum significat, uti videre est in eorum lexicis apud Furatierium, Regnier, & alios. Quinimmo & apud Italos in ea significatione verbum* Chierico *non raro occurrit. Joannes Villani in præfatione ad Historias Sacras:* Acciocchè i laici ne possano ritrar frutto, e diletto; *& infra in corpore Historiæ* appresso Ugo Ciappetta regnò Ruberto suo figliuolo, e fu gran Chierico in iscrittura, *cum aliis per ipsum Muratorium adductis, quibus addo quod tradit Episcopus Sarnellius in Epistolis Ecclesiasticis tom.* 6. *Epist.* 15. *num.* 4. *ibi.* E quel verso, che parve detto fuor di proposito presso Monsignor Giovanni della Casa, l'uno era Padovano, e l'altro laico, vuol dire l'uno era letterato, come Scuolare dello Studio di Padova, e l'altro era Idiota. *Sed peccaanti viri censeo laicorum nomine in prædictis constitutionibus intelligi non solum Idiotas, sed etiam laicos doctos, qui nec possunt prædicare. Et Pontifices in suis constitutionibus utuntur claris verbis, non obscuris & ambiguis. Et quia non est hic locus disputandi pro dignitate quæstionem, vide Suarez de fide, disputat* 20. *sect.* 1. *ubi diffuse rem tractat. Gonzalez in cap. inter cetera* 15. *de officio Judicis ordinarii num.* 6. *Eminentissimum Cardinalem Petra ad constitutiones Apostolicas tom.* 3. *ad dictam constitutionem secundam Nicolai III. num.* 17. *cum sequent. Joannem Pontas in dictionario Casuum Conscientiæ editionis Venetæ* 1645. *tom.* 2. *verb. Fides casu* 8. *cum aliis, quos congerit Saguas, seu quisquis sit auctor Epistolæ ad Antonium Lampridi secundæ editionis Neapolit.* 1742. *pagin.* 56. *& sequent.*

TI-

TITULUS II.

De observatione Festorum.

CAP. I.

Festorum origo, & diei Dominicæ excellentia recolitur.

1. SAbbati observatio & sanctificatio ab origine mundi sumsit exordium: Deus enim (*a*) benedixit diei septimo & sanctificavit illum, quia in ipso cessaverat ab omni opere suo, ubi sensus est, quod Deus septimum illum diem quo requievit, & fecit sibi sacrum & festum, voluitque specialiter coli ab Adam, ejusque posteris sacro otio & cultu Dei, & maxime recolendo beneficium creationis suæ totiusque mundi illo die completæ.

2. At decursu temporis bacchante idololatria præceptum istud plane fuerat in Ægyptiaca servitute obliteratum, & oblivioni traditum: unde necesse fuit a Deo restitui, & in memoriam revocari, ac speciali præcepto Sabbati observantiam præcipi; itaque postquam populus egressus est ex Ægypto per Moysen accepit præceptum: *Memento, ut diem Sabbati sanctifices.*

3. Et quoniam cæremonialia quæ fuerunt in veteri testamento erant typus & umbra eorum quæ fieri debebant in novo, ideo veritate adveniente tamquam umbratica, & typica cessaverunt; sic veteris legis Sacramenta, Sacrificia, oblationes typi erant Sacramentorum, & Sacrificii nostri; sic Circumcisioni quæ erat signum fœderis successit Baptismus vera Circumcisio spiritualis, & signum fœderis inter

(a) *Gen.* 20.

retenta parte Sacrum audiendi juſtis de cauſis pro Regno Neapolis, & Siciliæ numerum imminuit, conſentaneum ducimus catalogum feſtorum omnium hic attexere, in quibus ſola eſt obligatio Miſſam audiendi, ſervilibus vero operibus vacandi unicuique libertas relinquitur.

Feſtum S. Mathiæ Apoſtoli.
Feſtum Sancti Joſeph.
Feſtum S. Georgii.
Primum & ſecundum feſtum poſt Paſcha Reſurrectionis.
Feſtum Sanctorum Philippi & Jacobi.
Primum & ſecundum feſtum poſt Pentecoſten.
Feſtum Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ.
Feſtum S. Jacobi Majoris Apoſtoli.
Feſtum Sanctæ Annæ.
Feſtum S. Dominici.
Feſtum S. Laurentii.
Feſtum S. Bartholomæi.
Feſtum S. Januarii.
Feſtum S. Matthæi Apoſtoli.
Feſtum S. Michaelis Archangeli.
Feſtum SS. Apoſtolorum Simonis & Judæ.
Feſtum S. Andreæ Apoſtoli.
Feſtum S. Thomæ Apoſtoli.
Primum ſecundum & tertium feſtum poſt Nativitatem Domini N. J. Chriſti.
Feſtum S. Silveſtri.

CAP.

CAP. III.

Alii recensentur festivi dies, queis vacandi a servilibus Missæque audiendæ inest obligatio. Iique reprehenduntur, qui eos ad comessationes compotationes & ebrietates convertunt.

UT clare pateat quænam sint festivitates tam pro sacro audiendo, quam pro temperando a servilibus, earum elenchum hic apponere censuimus.

Dominica Paschæ Resurrectionis.
Dominica Pentecostes.
Omnes Dominicæ per annum.
Dies Circumcisionis.
Dies Epiphaniæ.
Ascensionis.
Corporis Christi.
Nativitatis Domini.
Dies Purificationis.
Annunciationis.
Assumtionis.
Nativitatis, &
Conceptionis B. M. V. Immaculatæ.
Natalis dies SS. Apostolorum Petri & Pauli.
Dies festus omnium Sanctorum.
Festum S. Stephani Patroni.
Dies festus Sancti cujuscumque loci præcipui Patroni.

2. Præceptum enunciata mox festa per integrum sanctificandi duo respicit, ut scilicet die festo divino cultui mancipemur, Missam præcipue audiendo & impedimenta removeamus operibus servilibus abstinendo expeditius Christianæ pietatis operibus vacaturi; sed grandis pœna nos angit eorum causa, qui festos dies expectant, ut in popinis

pinis & tabernis vino & epulis retenti ciborum & potus nimietate ſe repleant, quaſi ad hoc ſacræ feſtivitates & non potius propter Dei cultum, & animarum ſanctificationem inſtitutæ ſint. Iis quippe objici poteſt inſignis Divi Hieronymi ſententia (a): *Nobis ſolicitius providendum eſt ut ſolemnem diem non tam ciborum abundantia quam ſpiritus exultatione celebremus, quia valde abſurdum eſt nimia ſaturitate velle bonorare martyrem, quem ſcias Deo placuiſſe jejuniis.*

C A P. IV.

Diebus feſtis haud a parentibus, atque artificibus permittendum, ut mane pueri, & operarii ante auditionem Sacri, Miſſamque conventualem, Veſpere ante doctrinam chriſtianam per vias ludant.

1. AD tollendos alios abuſus ſive ſcandala, quæ adhuc perſiſtere in hac civitate, & aliquibus Diœceſeos locis, Nobis innotuit, ob oculos ponimus parentibus, apothecarum magiſtris, ſive aliis qui quomodolibet ſubjectos habent, diſtrictam Deo de non ſanctificatis a ſuis inferioribus eorum negligentia feſtis rationem reddituros; adeoque chriſtianæ pietati, & feſtorum religioſæ obſervantiæ conſentaneum eſt, ut parentes & ceteri, ne diebus feſtivis pueris ſaltem ante auditionem ſacri, neve ante datum ſignum Miſſæ majoris expletæ per vicos & plateas ludere permittant.

2. Sciant præterea nedum parentes, ſed & ſinguli qui pueros & puellas eorum ſervitio addictos, aut cuicumque

(a) *Epiſt. 35. ex Select.*

arti addiscendæ apud se retinent, debere consuetis horis eos ad proprias respective parochiales Ecclesias, sive alias ubi doctrina christiana explicatur diebus festivis mittere, ut in fidei rudimentis & in omnibus quæ ad salutem necessaria sunt, bene a Parochis aut aliis Ecclesiæ ministris instruantur, nulla iisdem de præfata negligentia excusatione suffragante.

CAP. V.

Diebus integre festivis, clausis mercium apothecis, comestibilia necessitatis causa semiclausis januis vendi permittitur; in solemnioribus vero festivitatibus commeatuum apothecæ ad finem usque missæ conventualis omnino claudantur.

QUamvis æquum esset, ut diebus festivis quibus utraque remanet obligatio & Missæ audiendæ, & a servilibus abstinendi, omnes clauderentur tum victualium tum mercium aliorumque vendibilium apothecæ, ubi tamen adest necessitas victualia vendi, semiclausis tamen apothecarum januis, indulgemus. Sed excipimus majores anni solemnitates nempe Nativitatem D. N. J. C., Epiphaniam, Pascha Resurrectionis, Ascensionem, & Pentecosten, in quibus januæ sint de mane ante officium Missæ majoris penitus occlusæ.

CAP. VI.

CAP. VI.

Festis diebus, quibus remanet obligatio adimplendi utrumque præceptum ruralibus operibus, & piscium capturæ vacare, modo adsit vera necessitas, audito sacro & petita venia liceat.

1. QUod attinet ad opera ruralia non est ambigendum, quin ea sint opera servilia vetita diebus festis; attamen necessitate cogente modo non sit affectata seu procurata, nec Missæ auditio prætermissa, licitum est ea exercere sine violatione præcepti festa sanctificandi. Sic Nicolaus V. a Transylvaniæ populis interrogatus, an die dominico post prandium triticum metere, fœnum & fruges colligere possent, respondit: *cessante necessitate ab omni opere servili abstinendum est diebus dominicis & festis, sed necessitate cogente non tamen affectata seu procurata licitum est præmissa exercere* (*a*).

2. Tempore autem recollectionis olivarum, castanearum, uvarum, vindemiæ &c. non facile sibi suadeant viri & mulieres licitum esse diebus integre festivis iis colligendis sine ullo circumstantiarum delectu, & absque Missæ auditione adlaborare. Necessitas quippe sive periculum, ne pereant fructus excusat sic laborantem diebus sacris ab una parte præcepti, non vero ab altera, hoc est a Missam audiendo; id quod etiamnum locum habet in piscatione, cum enim urgeat necessitas audito sacro piscari indulgetur. Volumus tamen ut priusquam servile opus ineatur, a Nobis, sive Generali nostro Vicario aut saltem a Reverendo Parocho sive Vicario foraneo juxta canonicas dispositiones (*b*) petatur venia.

F 2 CAP. VII.

(a) *Rainald. ad an. Christi 1447. num. 28.*
(b) *Cap. licet 3. de feriis: Suarez de relig. tom. 1. cap. 33. num. 7. Ricciol. lib. 6. lucubrationum cap. 7. Gonzal. in dicto cap. 3. de feriis num. 5.*

CAP. VII.

Tegulæ, trabes, aliaque onera diebus festivis transferri nequeunt; secus si periculum sit in mora. Nec bubulcis per meridiem terram arare liceat sub prætextu, quod difficile inveniantur qui laborem unius diei feriati per medietatem æque conducant.

1. TEgulas, arenam, calcem, lapides, trabes, aliaque onera vehi, nisi tanta sit necessitas quæ aliquandiu non ferat dilationem, diebus festis omnino interdicimus.

2. Nec licere decernimus bubulcis diei festivi medietatem telluri arandæ insumere sub prætextu quod si uni die feriato per meridiei spatium operam suam locant, non ita facile alium inveniant, qui laborem alterius meridiei conducere velit.

CAP. VIII.

Nec dominis imperare servilia opera, nec famulis imperata facere licet diebus festivis; eoque magis si propter ea missam non audiant.

DUobus tandem malis obviam ire cupientes, quæ nedum apud rudes sed etiam cultos homines affectata quadam sed noxia ignorantia negliguntur, notum facimus iis, qui colonos sive alios in sui servitium habent, se non posse pro libito citra mortalis peccati noxam iis imperare, ut per notabilem diei sacri partem operi servili & crasso incumbant, onera scilicet vehendo, terram fodiendo, arbores cædendo, aut similia faciendo.

Al-

Alterius etiam peccati rei ſunt domini ſi famuli eorum juſſu ſervilibus operibus diſtenti Miſſam die feſtivo non auſcultent; quibus etiam peccatis involuti remanent famuli Eccleſiæ præceptum violantes: non enim in iis quæ illicita ſunt dominorum juſſa facere tenentur, & pati potius debent a ſervitio expelli, quam in eo permanere non ſine animæ ſuæ detrimento.

C A P. IX.

Parochi feſtorum violatoribus terrorem incutiant formidabilium ſuper hoc narratione exemplorum.

AD incutiendum feſtorum violatoribus terrorem adducant Parochi in ſuis ad populum ſermonibus formidabilia exempla a gravioribus depromta ſcriptoribus, & præcipue illud ab Eminentiſſimo Cardinali Baronio relatum de bubulco, qui die ſacro boves aratro junxerat, paulo poſt fulgure e cœlo delapſo una cum bobus conſumtus eſt. Alterum de ruſtico qui die Aſſumtionis B. M. V. terram fodiens ut fornacem ſtrueret, decidit in foveam, & terra & ſaxum ingens eum contrivit ac tumulavit; aliaque id genus exempla reperies apud Paulum Segneri in ſuo opere quod inſcribitur *Il Criſtiano iſtruito*.

C A P. X.

Ut magis proficua ſit feſtorum obſervantia quod primi fideles feriatis diebus explebant, feſtivis mox facere gregem noſtrum peroptamus.

UT religioſius & fructuoſius feſti dies celebrentur, exoptamus & hortamur in Domino, ut quam a naſcen-

nascentis Ecclesiæ primordiis singulo quoque vulgari die regulam tenebant Christifideles, diebus saltem festivis servarent modo in hac Civitate, & Diœcesi nostræ pastorali curæ subjecti. *Tunc (a) erant perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis & orationibus.* Nunc qui dietim mechanicis, aut ruralibus addicti sunt operibus, nec aliud suppetit tempus, die saltem festiva laboribus expediti non quasi perfunctorie Missæ Sacrificio intersint, sed & verbum Dominicum lubenter audiant, vera cordis contritione, & pœnitentiæ Sacramento animæ sordes eluant, & Deo reconciliati sanctissimam Eucharistiam sumant, orationibus incumbant, divinis officiis quæ in Ecclesia peraguntur pie & devote assistant, ut divinæ jugiter valeant misericordiæ gratiam obtinere.

TI-

(a) *Act.* 2. 42.

TITULUS III.

DE JEJUNIO.

INſtitutum quadrageſimale jejunium inſtar jejunii Moyſis, & Eliæ, & alterius tam rigoroſe peracti a Chriſto Domino tradit D. Auguſtinus (a): *Quadrageſima ſane jejuniorum habet auctoritatem, & in veteribus libris ex jejunio Moyſis, & Eliæ, & Evangelio, quia totidem diebus Dominus jejunavit*, demonſtrans Evangelium non diſſentire a lege, & Prophetis. Quod quidem ex Apoſtolica traditione deſcendere innuit S. Hieronymus (b): *Nos autem Quadrageſimam ſecundum traditionem Apoſtolorum toto anni tempore nobis congruo jejunamus*. Et S. Leo (c): *Apoſtolica inſtitutio quadraginta dierum jejuniis impleatur non ciborum tantummodo parcitate, ſed privatione maxime vitiorum.*

C A P. I.

In veteri jejuniorum diſciplina veſpere ſumebatur cibus, extra quam horam nullus eſus nec potus etiamnum aquæ permittebatur.

RIgida erat antiquitus Eccleſiæ diſciplina circa jejunii quadrageſimalis obſervationem: unica enim remotioribus ſeculis & modica in die jejunii ſumebatur refectio, nedum citra carnis eſum, & vini potum, ſed etiam aquæ extra horam veſcendi, ut in facti circum-

(a) *Epiſt.* 19.
(b) *Epiſt.* 54. *ad Marcell.*
(c) *Serm.* 43. *de Quadrag.* 60. *cap.* 2.

cumstantia refert Prudentius (*a*) de S. Fructuoso Episcopo Tarraconensi, qui cum ad martyrium duceretur, haustum aquæ bibere recusavit, eo quod dies erat jejunii & nondum venerat illius hora solvendi: neque propinquioribus Ecclesiæ seculis quadragesimale jejunium solvebatur, nisi usque ad vesperam, & non ad meridiem, ut mox inductum est: unde D. Bernardus qui seculo vixit duodecimo (*b*) loquens de jejuniis Monachorum, quæ fiebant extra quadragesimam, ait, *Hactenus usque ad nonam jejunavimus soli*, & de quadragesimali jejunio subdit, *Nunc usque ad vesperam jejunabunt nobiscum simul universi Reges & Principes, Clerus & Populus, nobiles & ignobiles, simul in unum dives & pauper.*

CAP. II.

Probata nunc consuetudine in jejuniis etiam Quadragesimæ post meridiem vesci licet.

PAcifica jam consuetudine introductum, atque a timoratis conscientiis haud alienum, diebus etiam quadragesimæ cibum sumi posse post meridiem; ob id in Ecclesiis vespertinum officium meridie celebratur, ut aliquod veteris disciplinæ vestigium retineretur, quæ non sinebat his diebus quemquam jejunantem cibum manducare, priusquam vespere foret cantu persolutum officium dictum propterea vespertinum. Hinc magnus Archipræ-

sul

(a) *Hymno 6.* Jejunamus, *ait*, recuso potum, nondum nona diem resignat hora, numquam violabo jus dicatum, nec mors ipsa mea sacrum resolvet; sic Christus sitiens Crucis sub hora oblatum sibi poculum recusans, nec libare volens sitim peregit. *Episc. Castelli Maris Milant. in propositiones damn. ab Alex. VII. tom. 1. in prop. 23. pag. mihi* 243.

(b) *Serm. 5. de Quadrag.*

ſul S. Carolus Borromæus vivendi modum a ſuis familiaribus obſervandum aperuit (*a*), inquiens: *ut per omne Quadrageſimæ tempus, dominicis diebus exceptis, ſemel tantum in die poſt meridiem cibum capiant;* hodie recepta conſuetudine circa meridiem (*b*).

CAP. III.

Non conſtituit Eccleſia vini abſtinentiam, ſed unicam comeſtionem. Quomodo veſpertina collatio introducta, & ab Eccleſia communiter recepta?

QUamvis antiquitus adeo ſevere interdictus erat jejunii tempore vini uſus, ut etiam liquorem qui artificioſam vini imaginem referebat bibentes redarguerentur, ſicuti eos reprehendit Divus Gregorius Nyſſenus (*c*) his verbis: *Multi vinum ingenioſe imitantur, ſuamque cupiditatem factitiis quibuſdam potionibus conſolantur;* plurimo tamen abhinc tempore indulſit Eccleſia vini uſum in jejuniis, ſed communis erat omnibus regula unicam ſatis eſſe jejunio comeſtionem: *reſpondeo dicendum* (ſunt verba Angelici Doctoris (*d*), *quod jejunium ab Eccleſia inſtituitur ad concupiſcentiam refrænandam, ita tamen quod natura ſalvetur, ad hoc autem ſufficere videtur unica comeſtio, per quam homo poteſt & naturæ ſatisfacere, & tamen concupiſcentiæ aliquid detrahit diminuendo comeſtio-*

G *num*

(a) *Part.* 1. *tit. de Gubernat. Spiritual.*

(b) *Claud. Lacroix in Theol. moral. lib.* 3. *part.* 2. *cap.* 3. *dub.* 1. *num.* 1277. *Paul. Gabriel Antoine in Theol. mor. juxta noviſſ. Romæ editionem* 1748. *Tract. de virtut. moralib. in append. quæſt.* 1. *num.* 3.

(c) *Orat. de Jejuniis.*

(d) *D. Thomas* 2. 2. *quæſt.* 147. *a.* 6. *ad tertium.*

num vices, *& ideo Ecclesiæ moderatione statutum est*, *ut semel in die a jejunantibus comedatur*. Verum desumto a Monachis exemplo, qui postquam tota die operibus quoque manuum adlaboraverant, antequam in unum congregarentur, ut lectioni seu collationi spirituali vespere ante Completorium haberi solitæ vacarent, assidentes aquæ potum capere aggressi sunt, cui temporis decursu, ne eorum saluti potius noceret absque cibo, tantillum panis adnexuerunt (*a*); hinc in morem invecta est refectio vespertina *collationis* retento nomine: *nullo* (*b*) *suffragante Canone superaddita est sub collationis nomine refectio vespertina*.

Hæc tamen cum paulo fusius prælibaverimus non fuit nec est nostræ mentis animabus nostræ curæ concreditis scrupulum injicere, ut in dierum esurialium observantia regulis communiter ab Ecclesia receptis atque cordatorum Theologorum sententiis minime se conforment; sed ne pro libito quisque suo aut paucorum doctrina jejunii leges, prætergrediatur laxitudines inducendo, quas timoratæ conscientiæ homines aversantur.

CAP. IV.

Aquæ, aut vini potus extra tempus comestionis jejunii leges non violat, ejus tamen excessu jejunii meritum ruit.

ADmittimus ultro extra tempus refectionis in die jejunii pluries ebibi posse nedum aquam, sed & vinum,

(a) *Cap. 12. Collat. Abbatum Galliæ habitæ Aquisgr. an.* 817. *& in veterib. consuetud. Monast. Cluniac. scriptis a Monaco Udelrico. Lancell. in sua Dissert.* §. 817. *relat. a Bened. XIV. tom.* 1. *notif.* 15.

(b) *Cabasut. dissert.* 20. *de veter. jejunior. Ecclesiæ orig. & ritibus.*

num, at non ita si plus quam fert necessitas, & extra modum ebibatur, tunc enim ob immoderantiam potus jejunii meritum deperditur (*a*); non autem intendit Ecclesia interdicere abstinentiam potus, qui magis sumitur ad alterationem corporis, & digestionem ciborum assumtorum, quam ad nutritionem, licet aliquo modo nutriat, & ideo licet pluries jejunantibus bibere. Si quis autem immoderate potu utatur, potest peccare & meritum jejunii perdere.

CAP. V.

De electuariis, & potu chocolatis, caffè, thæo, & fructibus sumtis extra tempus refectionis.

1. ELectuaria licet aliquatenus nutrimentum præbeant, tamen cum præcipue sumantur ut digestionem adjuvent jejunium non frangunt etiam extra refectionis tempus, nisi forte in fraudem electuaria in magna quantitate assumantur ad modum cibi (*b*).

2. In potu chocolatis non censemus violari jejunium (*c*); eo quod potus nisi sit ex vetita materia extractus diebus esurialibus jejunium non frangit, sive eo quod

(a) *D. Thomas* 2.2. *quæst.* 147. *a.* 6. *in respons. ad* 2.

(b) *D. Thomas* 2. 2. *qu.* 147. *a.* 6. *ad* 2. *Paul. Gabr. Antoine tract. de virtutib. moral. in append. quæst.* 6. *respons.* 1. *Milant. in prop. damn. ab Alexandr. VII. Tom.* 1. *Exercit.* 23. *in propos.* 23. *Salmant. in curs. moral. tom.* 5. *de* 3. *præcept. decalog. Tract.* 23. *cap.* 2. *punct.* 3. §. 2. *Campioni instruct. ad Confessar. par.* 2. *cap.* 48. *num.* 13. *prope finem.*

(c) *Cardin. Brancat. in dissert. de potu Chocolat.*. *Cardin. Cozza in Tract. de jejun. part.* 3. *dub.* 9. *num.* 129. *Claudius Lacroix in Theolog. Moral. lib.* 3. *par.* 2. *cap.* 3. *dub.* 1. *num.* 1291. *Viva in propos. damn. ab Alex. VII. propos.* 29. *num.* 20. *Episcop. Milant. tom.* 1. *in prop. damn. ab eodem Alex. VII. prop.* 23. *pag. mihi* 255. *cum sequenti.*

chocolates licet sit de genere ciborum, dissoluta tamen in aquam transit ad genus potus; sive propter materiæ parvitatem, & praxim communiter pene receptam, nec a superioribus Ecclesiasticis interdictam. Accedit mundi senescentis ad interitum præceps, jugisque decursus, humanæ naturæ vires imminutæ, & hominum nunc temporis ætas, illa priorum hominum longe brevior imbecilliorque, ut fuse D. Cyprianus de suo ævo tertio Ecclesiæ seculo (*a*). *Hæc sententia mundo data est: hæc Dei lex est, ut omnia orta occidant, & aucta senescant; & infirmentur fortia, & magna minuantur, & cum infirmata & diminuta fuerint finiantur.* Cum olim ultra octingentos & 900. annos vita hominum longæva procederet, vix nunc potest ad centenarium numerum pervenire. Canos videmus in pueris, capilli deficiunt antequam crescant, nec ætas in senectute desinit, sed incipit a senectute; Sic in ortu adhuc suo ad finem nativitas properat, sic quodcumque nunc nascitur, mundi ipsius senectute degenerat; ut nemo mirari debeat singula in mundo cœpisse deficere, quando totus ipse jam mundus in defectione sit, & in fine. At non excusamus ab intemperantiæ reatu, & forsan quoque a jejunii transgressione cyatum sumentem solito grandiorem a S. Hieronymo descriptum (*b*): *Sorbitiunculas delicatas, & contrita olera, betarumque succum non calice sorbere sed concha.*

3. Jejunium non violatur potionibus caffè, thæi, aliisque similibus, quæ potius ad medicamen quam ad nutritionem sumuntur.

4. Prohibentur tamen cucumeres (*c*), uvæ recentes, po-

(a) *Ad Demetrianum.*
(b) *In Epist. ad Nepot.*
(c) *Milant. in propos. damn. ab Alex. VII. Exercit. 23. in prop. 23.*

poma, pira, limones, mala punica, ceterique id genus fructus, cum sint de genere ciborum & suapte natura ad nutriendum ordinati (*a*). Quod si adsit necessitas aliquid in parva quantitate sumere indulgetur, eo quod se habet per modum medicinæ, quæ diebus esurialibus non prohibetur, quamvis nutriat: Sic frustillum panis cum haustu vini permitti potest ei, qui nequit absque gravi incommodo jejunare, vel functiones animi, & munera sua rite persolvere (*b*).

CAP. VI.

Excessus in cibis tum in quantitate tum in qualitate tum in condimentis licet jejunii leges non violet, ab intemperantia non excusat.

CIbi haud vetiti nulli dubium quin edi possint in prandio juxta corporis indigentiam; at scitu necessarium est non licere excessum in ciborum quantitate, qualitate, aut condimentis ob intemperantiam, qua Dei præceptum violatur, licet quoad substantiam illud Ecclesiæ non solvatur (*c*), sed meritum jejunii amittitur vel in toto vel in parte.

CAP.

(a) *S. Antonin. relatus ab Antoine in Theol. Moral. tract. de virtut. moral. q. 6. resp. 2.*
(b) *Antoine loc. sup. cit.*
(c) *D. Thomas in 4. dist. 15. q. 3. a. 4.*

CAP. VII.

Circa vespertinam refectiunculam proborum hominum potius quam aliorum consuetudini standum.

1. SErotinæ collationis praxis ob increscentem humanæ complexionis debilitatem ex consuetudine inducta & ab Ecclesia tolerata permaneat, præ oculis tamen habeatur illud Joannis Gersonis (*a*): *De comestionibus specierum & similibus consuetudo teneatur, & delectationis nimia libido vitetur*; & super ciborum quantitate, & qualitate piorum ac timoratæ conscientiæ hominum consuetudo attendatur, & non aliorum qui omnia projiciunt retro, & fas nefasque confundunt. Quæ quidem serotina collatio septem aut ad summum octo uncias non excedat, ne cœnula convertatur in cœnam (*b*).

CAP. VIII.

Solerter considerandum num infirmitas, cujus gratiâ fit dispensatio ad carnes, vera sit, aut saltem impendens, an potius conficta. Quod Medicis probe examinandum relinquitur pro fide necessitatis facienda super qua eorum conscientia oneratur.

1. QUod magis dolore nos afficit est paucos reperiri in quadragesima cultiores potissimum carnibus abstinentes, paucissimos vero qui ægra valetudine dispensati ut carnes manducent, studeant saltem in quan-

(a) *In regulis moralibus.*
(b) *Antoine in Theol.moral.tract.de virt.moral.in Append.q.3.pag.mihi 217.*

quantitate & qualitate ciborum jejunium observare; ob id pastoralis nostra solicitudo ferre non valet, exprobrat, & detestatur eorum abusus & corruptelas, qui ut a quadragesimali observatione se subtrahant, facile infirmitates comminiscuntur, cum cetero anni tempore non infirmos sed sanos esse palam ostendunt, nec impeditos quominus noctem vertant in diem, diemque in noctem, atque omni oblectamento fruantur. Non sunt infirmi, ut integras noctes choreas ducant, & ad extremum usque carnisprivii sui corporis habitudinis etiam dispendio, intemperantiæ vacent, sed tales illico evadunt cum primum ad Quadragesimæ tempus deventum est, ut quoquomodo valent sub infirmitatis prætextu a lege jejunii eximantur.

2. Hæc referentes non intendimus importabile onus gregi nostro imponere, sed Lateranensis Concilii octavi (*a*) dispositionem sequentes iis, quos aut ætas incurvat, aut languor extenuat, aut necessitas arctat, esum carnium indulgemus in Quadragesima, atque indulgentius agendo ægritudinem imminentem satis esse ut carnes comedantur (*b*).

3. Sed quoniam ad Medicos attinet corporum ægritudines, sive earum imminens discrimen perpendere & judicium ferre an vere subsistant, & carnis usus permitti queat, eos hortamur ut attente perlegant verba D. Caroli Borromæi (*c*): *Medici meminerint ita suarum esse partium corporis incolumitati prospicere, ut ne obliviscantur potiorem haberi debere animarum salutem; quapropter caveant diligenter, ne alienæ culpæ participent nimia facilitate sua in fide facienda necessitatis utendi cibis vetitis.*

4. Quam-

(a) *Cap. 9.*
(b) *Vide D. Thom. in 4. sententiar. dist. 15. q. 3. a. 2. q. 4.*
(c) *In Edicto super observ. Quadrages. in Act. Eccl. Mediol. inserto p. 3.*

4. Quamobrem antequam atteſtationem Medici ſubſcribant, obſervent oportet an infirmitatis indicia ſint valida, & ejus periculum non ſit imaginarium, ſed proximum aut ſaltem probabile & prudens juxta eorum principia, quod Quadrageſimalis obſervantia ſaluti præjudicium afferat, & ſine cibis vetitis ſit moraliter impoſſibile alia via malis occurrere. Sunt enim aliquæ infirmitates (*a*), quibus cibi quadrageſimales non ſunt noxii, niſi agatur de morbo actuali, neque infirmitatis periculum ſubſit.

C A P. IX.

Cum per ova, & lacticinia corpori male affecto ſuccurri poteſt, haudquaquam ad carnes diſpenſatio concedatur; ubi vero neceſſitas cogit aliquibus diebus quoad fieri poteſt abſque ſalutis detrimento eſus carnium modo ſint ſalubres permittatur.

1. CUm vero, ut præmiſimus, ea ſit infirmitas, aut impendens periculum, ut cibi quadrageſimales nocui reputentur, ulterius examinandum, an per ova, & lacticinia ſubveniri poſſit, in quo caſu non eſſet uſus carnium permittendus. Si tandem carnes concedere neceſſe ſit, ut omne abſurdum evitetur, aliquot diebus non omnibus concedantur: cavendum quippe ab illimitata, cum eidem ſortiendo effectui ſatis eſt limitata conceſſio. Verum quocumque modo uſus carnium permittitur, ad ſolas ſit ſalubres carnes coarctatus.

2. Quæ

(a) *Paulus Zacchias in ſuis quæſtionib. Medico-legalibus lib. 6. cap. 10.*

2. Quæ hactenus recensuimus Romanorum Pontificum exemplis comprobantur. Sanctus Gregorius Magnus Marinianum Episcopum Ravennatem, qui sanguinis eruptionem patiebatur a quadragesimali observatione dispensavit; sed in dispensatione interjecit hæc verba: *Si autem, Deo miserante, adeo melioratum se esse, ac virtutem suam sufficere posse agnoscit, semel aut bis in hebdomada jejunare permittimus.*

3. Similiter cum Wenceslao Bohemiæ Rege, cui sui corporis imbecillis constitutio cibis quadragesimalibus vesci non sinebat, se gessit Bonifacius VIII. datis literis ad Abbates ordinis Cisterciensis (a) ubi sic respondit: *Nos ipsius Regis supplicationibus inclinati dispensandi cum eodem Rege, ut quadragesimali tempore, præterquam in diebus Veneris & Sabbati, ac festivitatis Beati Mathiæ Apostoli vigilia, possit vesci carnibus, ovis & lacticiniis, nisi ex voti emissione ad non vescendum forsitan sit obstrictus, liberam vobis concedimus authoritate præsentium facultatem proviso quod idem Rex bis in occulto & moderate vescatur.*

CAP. X.

Qui ægra valetudine ad carnes dispensantur, alteram Jejunii partem, quæ unicam respicit comestionem religiose custodiant; nec duplex ferculum carnem scilicet ac pisces promiscue comedant in Quadragesima, aliisque jejuniorum temporibus.

1. Cum liquido pateat mens Summi Pontificis feliciter regnantis Benedicti XIV. qui postquam su-

H

(a) *Suffridus lib. 3. epist. 31. Raynald. ad an. Christi 1297. num. 52.*

supremum Petri solium conscendit, Ecclesiastici jejunii hominum intemperantia fatiscentem disciplinam, quantum fert conditio temporum, pro viribus sustentare curavit, & Nobis injungit, ne ulli permittamus diebus Quadragesimæ aliisque jejunio consecratis valetudinis causa carnibus vesci, nisi adjecta lege religiose servandi alteram jejunii partem, quæ consistit in unica comestione, aliasque licitas atque interdictas epulas, puta pisces non manducandi, dummodo nulla certa & periculosa affectæ valetudinis ratio intercedat, & aliter fieri necessario exigat, ut ex apostolicis litteris (a).

Nos ejusdem Summi Pontificis judicio & auctoritati humiliter obsequentes præcepto obstringimus & mandamus iis, quibus adversæ valetudinis causa diebus Quadragesimæ aliisque esurialibus carnes permittuntur, ut unica sint comestione contenti, remotisque ab ea licitis atque interdictis dapibus, nempe piscibus, nisi certa & urgens causa secus exposcat, sibique suadeant esu carnium jejunium adhuc in altera parte posse subsistere. Quandoquidem hic non de composito physico, cui si pars una deficiat, totum ruere necesse sit, sed agitur de composito morali, cujus partes sunt dividuæ, & una ab altera sejunctim stare potest: quemadmodum in divini Officii recitatione sancitum est. Qui enim non potest matutinum & laudes persolvere, potest autem reliquas horas tenetur.

2. Tandem qui justa de causa die festivo a Missam audiendo deobligaretur, non erit illi integrum operibus servilibus vacare. Id quod locum habet etiam in jejunio, in quo duæ partes invicem separabiles, unica scilicet comestio, & abstinentia a carnibus considerantur; quamobrem ad plures com-

(a) *Tom. 1. sui Bullarii 19. 27. 56. 99. in nostra appendice transcriptis.*

comeſtiones diſpenſatus, non intelligitur ad carnes comedendas: ſic e converſo ad carnes diſpenſatus nequit pluries in die comedere.

3. Neque hoc novum, aut imperceptibile videri debet carnibus veſci poſſe, & ad jejunium ſervandum teneri; ſiquidem Summi Pontifices Sixtus IV., & Eugenius IV. eſum carnium Carmelitis indulgentes, ſeptem menſibus, quibus juxta eorum inſtitutum jejunio obſtringebantur, noluerunt immunes a lege jejunii. Sic Alexander VII. edito, poſtquam deſiit peſtifera lues, Quadrageſimæ edicto quaternis in hebdomadam diebus Romæ carnium eſum conceſſit, appoſita conditione, ut iis diebus jejunium cuſtodiretur. Sic pariter videre eſt in edicto ſuper obſervatione Quadrageſimæ promulgato anno 1703. & 1704. ſub Clemente XI. aliiſque edictis ſequentibus annis ad finem uſque ſui glorioſi Pontificatus, ubi liquido apparet ſe tamquam Epiſcopum Romæ nunquam intellexiſſe iis copiam dare, qui ſub edictis comprehendebantur, carnes manducandi, niſi obſervata jejunii lege.

4. Quæ cum ita ſint, caveat grex noſter ſecus facere, cum ei carnes jejunii tempore diſpenſari contingat, ſed cum eſu carnium unica fiat, nec plures repetantur comeſtiones. Nec oblivio capiat quadrageſimale tempus pœnitentiæ, & miſericordiæ operibus eſſe in primis accommodatum, quo una cum jejunio peccatorum ſordes eluere, & proximo indigenti ſubvenire opus eſt: *non enim* (a) *in ſola abſtinentia cibi ſtat noſtri ſumma jejunii, aut fructuoſe corpori eſca ſubtrahitur, niſi mens ab iniquitate revocetur, & ab obtrectationibus lingua cohibeatur;* & Divus Joannes Chryſoſt. (b): *Jejunas? demon-*

H 2 *ſtra-*

(a) *S. Leo Sermone 4. de Quadrag. cap. 2.*
(b) *Homil. 3. ad popul. Antioch.*

ſtra mihi per ipſa opera. Qualia inquis opera? Si pauperem videris, miſerere; ſi inimicum videris, conciliare; ſi amicum laudabiliter agentem videris, nè invideas; ſi mulierem videris ſpecioſam, prætereas.

C A P. XI.

Medicorum fides pro carnium, aut lacticiniorum diſpenſatione a Nobis, vel noſtro Generali Vicario in Civitate, in aliis locis Diœceſeos ab Archipresbytero, ſeu Parocho ſignanda eſt.

CUm juſta de cauſa fidem faciunt Medici pro carnium, ſive lacticiniorum diſpenſatione in diebus Quadrageſimæ a Nobis, ſive noſtro Generali Vicario ſignari debet; in terris vero locisſque ruralibus, & a civitate longinquis Archipresbyteri, ſive Parochi ex Medicorum, ſive peritorum conſilio quoad ejus fieri poteſt, exequantur.

C A P. XII.

Cum intra hebdomadam occurrit dies jejunii populus ad divina congregatus in die feſtivo præmoneatur, & circa horam noctis proximè jejunium præcedentis particularibus ictibus campana pulſetur, & longiore ſonitu in media nocte ante diem Cinerum.

UT magis in populo jejuniorum dies pro eorum obſervatione innoteſcant, neque ullo ſe valeat ignorantiæ prætextu ab inobſervantia excuſari, animarum Rectores aliique Sacerdotes in Eccleſiis ruralibus celebran-

tes

tes, nedum festo præcedenti inter Missarum solemnia diem jejunii annuntient, sed etiam sero præsertim in Ecclesiis ruralibus jejunium præcedenti prima nimirum circiter noctis hora certum signum dari volumus aliquibus parochialis campanæ ictibus, quibus populo de futuro in crastinum jejunio moneatur; necnon media nocte ante solemnia Cinerum eodem campanæ longiore sono quadragesimale jejunium tunc incipere significetur.

CAP. XIII.

Tempore jejunii in cauponis carnes coquere, & vendere haud liceat. In lanienis verò tempore Quadragesimæ nonnisi de Nostri licentia, sive Parochorum salubres carnes vendere permittimus, sed non apertè.

CAuponibus, aliisque coquere & vendere tempore jejunii cibos vetitos interdicimus. Lanionibus vero in Quadragesima pro infirmis, aliisque dispensatis salubres carnes vendere concedimus, sed non palam, ut aliis temporibus extra Quadragesimam; prius tamen a Nobis, aut a Generali Vicario in civitate venia petenda est; in ceteris locis nostræ Diœcesis ab Archipresbyteris sive Parochis.

TITU-

TITULUS IV.

De Verbi Dei Concionatoribus.

C A P. I.

Cui competat munus concionandi, & quales esse debeant concionatores?

1. Novimus ex Tridentino (*a*) Dominici verbi prædicationem munus esse præcipuum Episcoporum, eisdemque mandatum, ut in Ecclesia sua ipsi per se, aut si legitime impediti fuerint, per eos quos ad prædicationis munus assument, Sacram Scripturam, divinamque legem annuntient. Nos propterea pastorali hujus Metropolitanæ Ecclesiæ gubernio divina miseratione jamdudum suscepto non destitimus gregem nostrum, quantum passa sit imbecillitas nostra, divino eloquio pascere; & quoad Nos incolumes Deo servare placuerit sui adjutorio prædicationis officium pro viribus exequemur.

2. Sed quia soli per amplam & fusam Diœcesim non sumus huic muneri satis, & multiplices occasiones, atque assidui spiritualis præfecturæ labores curæque præpediunt, Diœcesis nostræ populis a Nobis distantibus per literas pastorales aliquando concionati sumus, exemplo usi nedum Divi Pauli, sed aliorum quoque Apostolorum, qui per epistolas absentibus prædicarunt; idque pluries effecerunt veteres sanctissimique Patres, qui a grege sibi commisso procul absentes, cum coram non possent, divini eloquii pabulum per literas pastorales ministrabant.

3. Ope-

(a) *Sess.* 24. *cap.* 4.

3. Operarios quoque tum in Ecclesia Cathedrali tum in universa Diœcesi instituimus, per quos divini verbi ministerium exerceatur, quosque coadjutores in prædicationis officio habere possimus: eos tamen tales esse peroptamus, quales humani nostri judicii solertia in eligendis agnovit, & textus (*a*) numeris scilicet omnibus absolutos his verbis exquirit: *generali constitutione sancimus*, ibi, *ut Episcopi viros idoneos ad sanctæ prædicationis officium salubriter exequendum assumant: potentes in opere & sermone qui plebes sibi commissas vice ipsorum, cum per se iidem nequiverint, solicitè visitantes eas verbo ædificent & exemplo*.

4. Multis ergo opus habet qui ad concionandum assumitur, ut concionatoris imaginem si minus perfectè expressam, at certè aliquo modo adumbratam repræsentet, suoque munere rectè fungatur; sed Nos ea tantum brevi attingemus quæ opportuniora videntur, quæque magis concionandi rationibus accommodata concionatorem adjuvare, atque ad ea in primis instruere valeant.

5. Qui concionandi munus suscipit virtutibus elucere, & in omni ejus vita irreprehensibilis esse debet, ne inter illos computetur, qui a Deo prohibentur enunciare justitias ejus, & verba sui testamenti imponere labiis suis; eo quod dicunt, & non faciunt, & doctrinas quas concionando tradunt, in usum non revocant (*b*) *quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? tu vero odisti disciplinam*.

6. Illud maximè sibi persuadebit concionator quamlibet doctus & eloquens, se nisi recte & juxta Evangelii quod prædicat leges congruenter vixerit, in audientium ani-

(a) *In cap. inter cetera 15. de Offic. Ordinar.*
(b) *Psalm. 49.*

animis vim non imprimere, & incassum laborare; imo destruere quod prætendit sua prædicatione moliri (a): *Quod per linguam prædicamus, per exempla destruimus, dum iniqua docemus operibus, & sola voce quæ justa sunt prætendimus*. Et inter sacros Ecclesiæ canones unus est qui incipit *Multi*, (b) in qua sequens formidabilis sententia continetur: *Bene vivendo, & bene docendo populum instruis, quomodo debeat vivere; bene autem docendo, & male vivendo Deum instruis quomodo te debeat condemnare*. E converso vitæ integritas, bonique mores concionatoris doctrinam collustrant, corroborant, viresque addunt (c): *Habet ut obedienter audiantur quantacumque granditate dictionis magnum pondus vita docentis*.

7. Ea propter hortamur & monemus concionatores, ut hominum contubernio procul absint, & secessus ac solitudinis sint amatores: sic eo pluris æstimabuntur, quo magis ab hominum se consuetudine subtrahent, & a seculi negotiis abhorrentes, non aliis occupati quam in iis quæ Dei gloriam spectant, invenientur. Id quod ostendit Christus Dominus cum mittens aliquando discipulos suos in Judæam ad prædicationis exercitium inchoandum, hocce inter alia præbuit documentum, ut nimirum gravitatis speciem præferrent, & in seipsis collecti incedentes nullum in itinere salutarent (d): *Neminem per viam salutaveritis;* non quia rudes eos esse vellet & agrestes; sed ut tempus ne frustra tererent, atque animo reputarent ministerium illud non ferre spiritus evagationem juxta mentem D. Ambrosii, qui sic explicat locum illum: *ipsis neminem in via salutare præscriptum*

(a) *Divus Gregor.*
(b) *Distint.* 4.
(c) *D. August. lib. de doctr. Christ. cap.*17.
(d) *S. Lucas.*

ptum est, non quia benevolentiæ displiceret officium, sed quia persequendæ devotionis intentio plus placeret.

8. Quod si prædicationis ministerium non explet qui solitudinem negligit, quàm foret ejus gravis & exitiosa impudentia, qui tempore Quadragesimæ prædicationis munere fungens ludo se daret, venatum iret, noctu egrederetur, ventrem plus æquo impleret, & mulierum consuetudinem non evitaret? audiatur D.Franciscus Salesius (a) in quo sic habetur inter alia in quadam epistola Prædicatorum instructiva: *Un Secolare può giuocare, andare a caccia, uscire di notte, e andare a conversazioni, e ciò non è cosa riprensibile, perchè tutto questo fatto per ricreazione non sono peccati: ma in un Vescovo in un Predicatore, se queste cose non sono accompagnate da centomila circostanze, le quali difficilmente si possono accompagnare sono scandali, e grandi scandali;* & D. Carolus Borromæus (b) inter alias dotes quas in concionatore requirit, hanc internectit qualitatem: *In victu temperatus & parcus, ac ciborum varietatem fugiens, frugalitatis abstinentiæque studiosissimus.* Nec vero præ concionum laboribus, aliaque causa nisi necessaria id studium remittat, tantum abest, ut a statis jejuniis se eximat: immo vero illa religiose colat, ut ceteros exemplo suo accendat ad leges abstinentiæ jejuniique recte servandas. Si quo autem in loco ubi concionatur moris est cibum a fidelibus concionatori opiparè præterque modum apparari, & ipsa frugalitate qua perpetuo utetur omnique alia ratione ab eo apparatu eos revocare studebit; & paulo post subdit: *Familiaritates, & consuetudines laicorum valde evitabit &c.*

I Fe-

(a) *In Opusc. S.memor. Benedict.XIII. tempore sui Pontificatus iterum Romæ impressis anno* 1726.

(b) *Penes acta Ecclesiæ Mediol. in instruct. concionat. p.*4.

Feminas ad colloquium secum ineundum ne introducat.

9. Nos tamen qui non sine prævio & maturo delectu sacros ministros ad concionandum mittimus, nullum hactenus Dei ope in his excessibus delinquentem comperimus; at si quempiam (quod Deus avertat) a recta sacrosancti hujus instituti semita declinare contigerit, eum a prædicationis officio irremisibiliter suspendemus, aliisque pœnis pro culpæ gravitate afficiemus.

C A P. II.

Quid tam pro Secularibus, quam pro Regularibus super concionandi facultate statutum sit, exponitur.

NUlli Seculari, sive Regulari extra Ecclesiam sui Ordinis ullo unquam tempore sine nostra licentia, & approbatione gratis concedenda, quæ tamen Superioribus, sive Rectoribus Ecclesiarum innotescere debet, concionari permittitur; in Ecclesiis verò, aut Oratoriis suorum Ordinum Regulares concionari volentes, tenentur a Nobis benedictionem petere. Quòd si Regulares in alienis Ecclesiis, aut quæ suorum Ordinum non sunt, sine nostra licentia, & in Ecclesiis suis, aut suorum Ordinum sine nostra benedictione, aut nobis contradicentibus, prædicare præsumserint, contra eos quoties & quando opus fuerit per censuras Ecclesiasticas, aliasque pœnas procedemus.

C A P. III.

Quid facere debet Concionator, qui reperitur in peccato mortali?

SI forte Concionator aliqua culpa lethali inquinatum, & divina gratia vacuum se esse cognoverit, abstinere debet a concione nisi prius pœnitentiæ Sacramento Deo reconcilietur. Cumque ei desit Confessarius, cordis contritione, & voto confitendi peccatum detestetur (*a*) D. Carolus *: Sed conscientiam ante ab omni peccatorum impuritate pœnitentiæ Sacramento expurgabit, quam ad verbi Dei tractationem accedat.*

C A P. IV.

Expenditur utilitas ex quotidiana Concionatoris Missæ celebratione.

DIvus Carolus Borromæus (*b*) duplicem utilitatis caussam assignat, cur Missæ Sacrificium quotidie offerre non prætermittat Concionator, quia sanctissimi Sacrificii offerendi usu frequenti plurimum sibi & fidelibus prodest, omnes sui partes & sanctè peragendo, & etiam fideles excitando, ut divinum hoc Sacrificium studiosius & religiosius colant, ac maxima ut par est devotione prosequantur.

Divus Franciscus Salesius (*c*) subjungit non debere Concionatorem, cum Missam non celebrarit aut celebra-

I 2 ri

(a) *D. Carolus Borromaus in præallegatis instructionibus pag.396.*
(b) *In suis instruct. prædic. verbi Dei.*
(c) *In Epist. superius allata.*

ri nolit Dei verbum annunciare: *Non si dee giammai predicare senza aver celebrato o voler celebrare la Messa. Non è credibile, dice S. Gio: Crisostomo, quanto la bocca che ha ricevuto il SS. Sagramento si renda spaventevole a' Demonj. Ed in vero pare che si possa dire con S. Paolo:* an experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus? *Si parla con maggior franchezza, con più fervore, e con maggior lume.* Quamdiu sum in mundo, *dice il Salvatore*, lux sum mundi. *Certa cosa è che stando nel nostro seno realmente il Signore, ci da chiarezza perchè egli è il lume.*

C A P. V.

De oratione, atque meditatione præmittenda ad concionandi munus salubriter exequendum.

1. Divini verbi prædicatio ob ejus dignitatem auctoritatemque munus est præstantissimum, quod non humanæ scientiæ, aut eloquentiæ, sed divinæ virtuti, ac Spiritus sancti gratiæ innititur; sacri vero Concionatores ministri sunt, per quos Dei verbum a divinæ Sapientiæ thesauro depromitur, & populis dispensatur, ut cælestium donorum divites fiant, & copiosius augeantur: idque munus, quod suscipiunt & gerunt non modo sanctissimis, ac divinis viris, Prophetis, & Apostolis a Deo commissum, sed ab ipso etiam Dei Filio Christo Domino præstitum est.

2. Hujus ergo sacrosancti ministerii sanctitas, & magnitudo exposcit, ut divini eloquii præcones eo potissimum tempore, quo ad populum dicturi sunt, Deo se ante commendent, ejusque opem humiliter deprecentur, quemadmodum Apostoli officio prædicationis addicti facere

cere

cere consueverunt. *Nos autem orationi, & ministerio verbi instantes erimus* (a).

3. Immo vero nec in studium proxime habendæ concionis incumbant, nisi post orationem ad exemplum Divi Thomæ, aliorumque virorum sanctitate florentium, qui religiosa aliqua precatione usi sunt antequam se studiis dederent. Quod si orationi divinarum rerum contemplationem piamque meditationem adnectat Concionator, divini amoris ardore profectò incendetur, sic incensus auditores suos ad caritatis aliarumque virtutum studium ardentius inflammabit (*b*).

4. Utile quoque erit, ut eam veritatem quam explicare & inculcare debet, prius interna meditatione revolvat, dicente Divo Hieronymo (*c*): *Sæpius meditando populum doceat, sed illa doceat quæ a Deo ipse didicit non ex proprio corde vel humano sensu, sed quæ Spiritus Sanctus docet.*

5. Ceterum secum animo reputet Concionator, nullum apud auditores suas conciones pondus habituras, si verba quæ profert ex corde non exeunt: ad eumque modum quo fomes qui est suapte natura materies facilis ad exardescendum, & tamen nisi admoto igne ignem concipere non potest; sic nulla mens erit ad comprehendendam vim prædicationis parata, quæ possit accendi nisi inflammatus Concionator ad eam & ardens accesserit. Quod sub metaphora extinctæ facis, quæ aliam nequit accendere indicavit S. Gregorius Magnus (*d*) his verbis: *Nisi enim prius in se faces ardeant, aliam non succendunt, & ad supernum desiderium inflammare auditores*

(a) *Actorum 6. 4.*
(b) *Vide Cornel.a Lapide in Cantica cap.4.v.11. Verbo, plures analogias.*
(c) *Canon. Si quis vult dist. 36.*
(d) *Epist.126. ad Leandrum Episc.Hispal. & in lib.moral.lib.8.cap.26.*

tores nequeunt verba quæ frigido pectore proferuntur, nec enim res quæ in seipsa non ardet aliud incendit.

Prius ergo Concionatores cariſſimi nobiſmetipſis, exinde aliis prædicemus, & quæ dicturi ſumus ſerio meditantes veritatis lucem in mente docebimus, atque illi ſectandæ ardentiori ſtudio conciliabimus voluntatem: indeque fiet, ut ſermones noſtri majorem capiant virtutem & robur, ac uberes fructus divina opitulante gratia ſæpenumero referant, cumque nobis perſuaſum ſit quod aliis ſuadere nitimur, Dei verbum cæleſti benedictione repletur: *Dabis voci tuæ vocem virtutis* (a): *ſi quod ſuades, prius tibi cognoſces perſuaſiſſe.*

C A P. VI.

De vitandis, & obſervandis in ſacris concionibus.

1. MUltiplici de cauſa modicus in Eccleſia Dei (ne dicatur nullus) ex concionibus percipitur fructus, eo quod Concionatores a recto fine ſive mediis aberrantes ſuam potius quàm Dei gloriam quærunt, & ſtylo quodam nimium elevato & ſacræ eloquentiæ minus apto, inutilibus florum manipulis, paradoxis, argutiis, peregrinis conceptibus aures pelliciunt, non vitia percutiunt, & doctrinæ Evangelicæ, ac virtutum chriſtianarum pabulum ad ſenſuum oblectamenta convertunt: unde appoſite de talis farinæ Concionatoribus loquens Divus Joannes Chryſoſt. ait: *Prædicatores multos video, ſed idoneos invenire non poſſum, floſculos prædicant ut laudem reportent: hi Eccleſiam Dei ſubvertunt.*

2. Quodque majoris erat abominationis & exitii, cum ſuæ

(a) *D. Bernard. Serm. 59. ſuper Cantica.*

ſuæ vocationis & miniſterii concionatores obliti vaniloquiis, facetiis, & ſcurrilibus verbis res ſacras pertractabant, non ſecus ac mimi & hiſtriones in ſcenis, & theatris ludicra & profana ad movendos riſus & cachinnos repræſentant.

3. Huic mortiferæ peſti jam occurſum eſt a s. m. Innocentio XI. per literas Sacr. Congr. Conc. datas ſub die ſexta Julii 1680. ubi inter alia ſic legitur: *Porro ſciant non levem eſſe culpam, ſed grande piaculum, graviſſimaque pœna mulctandi ſunt* (de Concionatoribus ſermo eſt), *ubi per ſcurrilitatem verbum Dei veluti in ſcenam adducunt, aut auditoribus deridendum traduxerint.*

4. Noſque ſi aliquem deprehenderimus qui profano eloquentiæ apparatu & illecebris inanium verborum loquatur ſermonem Dei, ſive fabuloſa, vana, ſcurrilia, ridicula concionibus interijciat tamquam divini verbi candorem, majeſtatem, & dignitatem fœde corrumpentem pœna ſuſpenſionis a prædicationis officio ſtatim plectetur, nec in futurum ad id ſacri muneris obeundum habilis reputabitur.

5. Hiſtorias quæ probatiſſimorum ſcriptorum monumentis commendatæ non ſint, & nova miracula ab Eccleſia nondum probata edicere abſtineant Concionatores. Neque referant prophetias, revelationes, & inſpirationes non approbatas, neque determinatum tempus Antichriſti naſcituri, vel judicii univerſalis futuri (*a*), ſed de hujus proximitate populos admonere ſat eſt, ut ea expectatione peccatores terreantur (*b*). Indulgentias niſi prius a nobis recognitæ fuerint non evulgent. Capita ſive

(a) *Vide Maluendam lib.2. de Antichriſto cap.21. & ſeq. & doctiſſimum Marcellinum Sivri Epiſcopum Cordubenſem in celebri tractatu de Noviſſimis tractatu 9. capite tertio per totum.*

(b) *Braſch. Promp. Synod.*

ſive oſſa mortuorum, & vana territamenta ad extorquendas lacrymas a tanti muneris dignitate prorſus aliena non exibeant; non enim talibus indiget ſermo Dei, qui teſte D. Paulo (a) *eſt vivus & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens uſque ad diviſionem animæ ac ſpiritus, compagum quoque, ac medullarum.* Haud tamen vetamus, ut ubi Chriſtus crucifixus ejuſque myſteria annuntiantur præſertim in concione paſſionis Domini ibi nuda Crux & Chriſtus crucifixus populo oſtendatur (b).

6. Quod alibi ſancitum eſt de concione non habenda ante ortum, & poſt occaſum ſolis, ea dumtaxat excepta, quæ & ubi in feria V. vel VI. majoris hebdomadæ de Chriſti paſſione cum noſtro conſenſu fieri ſolita eſt confirmamus; volumus tamen, ut eo tempore faces per Eccleſiam ſint accenſæ, & undequaque lumen præbeant. Quod numquam fax quidem ſit in Eccleſiis Monialium, quæ ſemper eſſe debent occluſæ ante ſonum veſpertinæ ſalutationis angelicæ, ideſt *prima dell' Ave Maria*, etiam ratione cujuſcumque feſtivitatis, nec aperiri ante ſolis ortum ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ Nobis reſervatæ.

7. Dum in Eccleſia verbum Dei populo annuntiatur, nec Miſſa nec alia divina officia celebrentur, nec etiam pœnitentium confeſſiones audiantur; non fiant clamores, nec ſtrepitus, nec aliqua campana pulſetur.

8. In audiendis concionibus ſint mulieres a viris ſegregatæ, & aliquo panno interpoſito ſive tabulis intermediis, & quantum fieri poteſt, & locus Eccleſiæ feret earum aſpectus virorum oculis non ſit obvius.

9. Ani-

(a) *Ad Hebræos* 4. 12.
(b) *Synod. Farſ.*

9. Animarum Rectores leniter suos moneant parochianos, ne concionis tempore parvulos ad Ecclesiam deferant, qui minuscula ætate modo clamantes, modo gementes non sinunt aliis audire verbum Dei, & nedum audientibus, sed & concionatori perturbationem & molestiam afferunt.

10. Hora prædicationis tempore quadragesimæ curia archiepiscopalis dimittatur, ne ejus Officialibus & Ministris audiendi verbi Dei sit impedimentum; eodemque decet exemplo, ut eo prædicationis tempore saltem in parvis Oppidis nostræ Diœceseos cujuscumque mercimonii apothecæ claudantur, prout nos peroptamus & adhortamur.

11. Plura tamen a Concionatoribus servari mandamus; in primis ut legant hunc de verbi Dei Concionatoribus titulum, quem fusius agere pro majori, & magis apposita eorum instructione censuimus, & priusquam ad loca designata perrexerint, coram Nobis omnino se conferant opportuna monita circa ministerium exercendum audituri, & una cum literis patentalibus, quas Rectoribus Ecclesiarum ostendere debent antequam prædicare incipiant, facultatem quoque fidelium confessiones excipiendi per examen, si Nobis videbitur, & benedictionem recepturi. Deinde in suis concionibus audientium capacitati se conforment, & imperitis ac rudibus pabulum verbi Dei eorum captui accommodatum subministrent, ut in Canone (*a*) cautum est: *oportet eum, qui docet & instruit animas rudes esse talem, ut pro ingenio discentium semetipsum possit aptare, & verbi ordinem pro audientis capacitate dirigere.*

12. Cumque nostræ fidei mysteria explicabunt, ne inanis sit labor, uti possunt aliqua similitudine, exemplo

(a) 2. 8. *quæst.* 1.

Christi Domini, qui loquens ad turbas parabolas adhibebat nunc pastoris, nunc agricolæ, nunc piscatorum, nunc vineæ, nunc sementis, & cetera: sine parabolis non loquebatur, quæ omnia & similia facilius & firmius audientium animis inhærebunt, eaque in bonis libris passim est reperire.

13. Porro cum sermo sit ad instructionem compositus, & ad mores corrigendos directus, ut fructuosus eveniat, non in genere dicatur, sed ad particularia descendere opus est: exemplum sit de peccati occasione vitanda: si solum dicatur malas debere occasiones caveri, audientes integram hanc veritatem deglutiunt, & nihil interius commoventur. At si bifariam occasio in remotam scilicet, & proximam distinguatur, & explanetur quod remota ea est in qua quis positus raro admodum labitur in peccatum, puta cum aliquam domum adventans aliquando peccavit, sed nimium raro. Proxima vero si domum illam sæpe adiens frequenter peccat; quam quidem proximam peccandi occasionem auferre debet ex necessitate præcepti, & quidem divini, neque amplius eam domum reverti. Hæc veritas sic explicata ad vivum lancinat, ac instar grani sinapis nedum tunsi, sed in pulverem redacti usque ad oculos pertingit.

14. Præterea cum ad locum suæ prædicationis accesserit Concionator, exquiret a Parocho, sive a probo & prudenti Sacerdote, quinam ibi sint frequentiores abusus & corruptelæ, ut eas suis exagitet concionibus, & quantum in se est, funditus evellere studeat, ea tamen circumspectione, ut vitia non autem personæ objurgari intelligantur.

15. Nec solum contra loci abusus & corruptelas, sed etiam contra falsos prætextus, quos mali comminiscuntur & disseminant ad excusanda peccata, & a sanctis operi-

operibus alios avertendos, invehatur. Excusant alii incontinentiæ sordes ratione juventutis, contemnunt alii christianæ pietatis exercitia, ea putantes mulierculis non autem viris congruentia. Alii a frequenti Sacramentorum usu abstinent, sociosque ad similiter faciendum inducunt, dicentes etiam sine eorum frequentia posse regnum Dei comparari. Alii tandem sordidis inhiant lucris, & execrabili se dedunt avaritiæ, se purgantes filiorum caussa quorum curam habere debent. Hasce & similes molitur Dæmon insidias in exitium animarum; at zelo Dei inflammatus prudens Concionator eas deteget, ac validis rationibus tamquam fortissimis ad pugnandum armis eas profligandas quam diligentissime curet.

16. Monemus tandem Concionatores omnes a Nobis missos per Diœcesim, ut in suis concionibus diœcesanis nostris explicent fidei articulos, aliaque scitu & creditu necessaria ad salvandum. Multi enim laborant ignorantia crassa articulorum fidei, quos explicite scire, & credere tenemur æque ac Sacramentorum; nec non parentibus, ac familiarum rectoribus ante oculos ponant strictam obligationem, quæ ipsis inest pueros & puellas mittendi ad Christi doctrinam addiscendam, & sæpe in persona secum eundi, ut tum de eorum aditu certi reddantur tum etiam æternas veritates, quas forte nunquam audierunt intelligant, & si postquam audierunt, ut crebro accidere solet, lapsæ sunt, in memoriam revocent.

17. Et quoniam suo adhuc frustrari videmus conciones effectu, causam rimantes eam esse comperimus, quia Concionatores Christi passionem, Dei misericordiam, pietatem in pauperes, & devotionem B. Mariæ Virginis commendare contenti sunt, quin adversus vitia propria illius loci populo ubi fit concio exardescant & invehantur. Hinc populus concione peracta nihil inde proficiens in

K 2 pristi-

priſtinis manet vitiis, & pravis conſuetudinibus involutus. Hoc ergo punctum ſerio animadvertant Concionatores, & quæ hac ſuper re ſcripſit Cornelius a Lapide perlegant & mente retineant, quæve præſcripſit ſervent & in praxim adducant. *Concionatores*, inquit, *communem tramitem explicandi Evangelia ſequuntur, peccatoribus commendant paſſionem Chriſti, miſericordiam Dei, largitionem eleemoſynarum, & cultum B. Virginis, quod illa ſui cultores non ſinat perire, nec deſcendunt ad vitia huic illive loco propria, ut contra ea tonent & fulminent eaque extirpent, unde urbes & populi manent in eiſdem malis legibus, conſuetudinibus, propoſitis, vitiis, nec ullum vel exiguum ex concionibus omnibus fructum referunt; mutent ergo modum concionandi, ſi Deo, conſcientiæ, Eccleſiæ, auditoribus conſulere ſatagunt, ut conſcientias feriant, ex iiſque omne malum ſemen quod in tali loco graſſari ſciunt ſtirpitus evellant*. Optimum tandem erit, & valde proficuum ſi concionibus alicujus noviſſimi memoria, gravique ſententia finem imponant, ut quidam inſignis concionator in Belgio obſervabat (*a*).

C A P. VII.

Agitur de acceſſu, habitatione, nunciis mittendis, eleemoſyna, & diſceſſu Concionatorum; & Parochis præcipitur capita hujus tituli cum notula caſuum reſervatorum iis oſtendere, & una cum Clero concionibus intereſſe.

1. CAritatis & obſervantiæ officiis excipi debent Concionatores ſive ſeculares ſive Regulares præſertim

(a) *Vide etiam a Lapide in cap. 3. Jonæ v. 4. lit. G.*

ſertim ab Archipresbyteris ſive Parochis, quorum adjutores in munere prædicationis accedunt, eaque omnia apparari, quæ ſuo uſui per totum Quadrageſimæ curriculum neceſſaria videbuntur, & ubi ſunt aedes congruæ unitæ Eccleſiæ in qua quiſque concionaturus eſt, ibi maxime decet incolere, ſin minus proximiorem Eccleſiæ domum abſque tamen ſocietate aut ſervitio feminarum, & quæ proborum virorum judicio magis apta reputetur.

2. Eccleſiarum Rectores, viſis literis patentalibus, concionatoribus oſtendant capita hujus tituli denuo legenda, & indiculum caſuum reſervatorum: qui quidem Rectores concionibus quotidie interſint, niſi urgens cauſa ſinat quandoque abeſſe, & diebus ſaltem dominicis & feſtis amicti ſuis inſignibus: quod quidem exemplo ſuo facere tenentur omnes Eccleſiaſtici cujuſcumque reſpective loci; quemadmodum concionem audientibus Nobis in hac noſtra Cathedrali Cappamagna induti Dignitates & Canonici de Capitulo, & cotta alii Eccleſiaſtici laudabiliter aſſiſtunt.

3. Si vero ſui miniſterii tempore duxerit Concionator pro Dei gloria, & animarum ſalute ullum Nobis deferendum, per epiſtolam Nos faciat certiores, ut quod magis expedierit opportunis remediis præſto eſſe valeamus.

4. In iis locis in quibus a Concionatoris eleemoſyna ſibi perſolvenda detrahitur pretium conductionis domi ſive utenſilium, nequit plus æquo gravari Concionator, quamvis exceſſus ſit in Eccleſiæ favorem ceſſurus; Eccleſia enim eſt juſtitiæ cultrix non diſſipatrix: quapropter tantum pecuniæ a conductore percipi poteſt quanti ab hominibus bene moratis eorum conductio æſtimabitur.

5. Exacto tempore prædicationis animarum Rectores Nobis referant, quomodo ſe geſſerint Concionatores in

ſuo

suo ministerio, qua vitæ integritate & exemplo, qua pietate, quo profectu munus suum obierint; & Concionatores ipsi non amplius immorentur, nec alio divertant, sed domum suam qui est Sacerdos secularis se recipiat, qui vero Regularis ad suum Monasterium: nec ad Nos venire quisque negligat ea omnia relaturus, quæ ad majorem Dei cultum, morum reformationem, & animarum progressum magis conferre, & expedire cognoverit, ut collatis consiliis animum in eas curas libenter intendamus, quibus & Dei cultus augeri, & pravis moribus studiosius occurri, & virtutibus aditus possit facilius aperiri.

C A P. U L T.

Nonnulla præscribuntur a Sanctimonialium Concionatoribus observanda.

I. DE Sanctimonialium Concionatoribus pauca hic subnectere arbitramur, sed magnopere tum horum integræ necessaria probitati tum felici illarum statui in via spiritus perutilia. Concionatores ergo tum Seculares tum Regulares, quos ætate provectos morum honestas, vitæ probitas, & rei sacræ doctrina commendat, ad Sanctimonialium & puellarum educandarum Conservatoria mittere solemus, ut sui muneris partes rite obeant.

I. Ut in Ecclesia exteriori cujusvis Monasterii sive Conservatorii, quæ clausa sit omnibus, & quibuscumque auditoribus penitus exclusis, exceptis Capellanis & socio, Monialibus in interiori Ecclesiæ congregatis verbum Dei cum omni patientia, & doctrina pie & fideliter annuncient, & sacram Scripturam juxta eum sensum quem tenuit

tenuit, & tenet S. Mater Ecclesia explicent.

II. Ut in concionibus quas secundum Patrum doctrinam semper habebunt cum simplicitate & puritate sermonis Monialium captui accommodati Dominum Jesum Christum prædicent, virtutes (mutuam præcipue caritatem) doceant, quæcumque peccata evitare suggerant, & sacra eloquia in Monialium cordibus, posthabitis inutilibus quæstionibus, inserere, atque eas in lege Domini ac regulari disciplina erudire studeant.

III. Ut expleta concione statim discedant nullo ad crates, collocutoria, rotas aut alia quæcumque eorumdem Monasteriorum loca etiam prætextu devotionis seu consanguinitatis colloquio licet spirituali: si secus faciant & absque nostra expressa licentia ad colloquendum, pœnas contra alloquentes cum Monialibus inflictas se norint incurrere, & si Regulares sunt lethali culpa ad formam declarationis Sacr. Cong. Conc. a f. mem. Clemente IX. approbatæ obstringi, necnon excommunicatione aliisque pœnis a Nobis tamquam Sedis apostolicæ Delegatis esse coercendos juxta decreta Sacræ Congregat. Concilii.

TITU-

TITULUS V.

De Sacris Processionibus.

C A P. I.

Quare institutæ fuerint Processiones, & cur supplicationes, seu Rogationes vocentur.

PUblicas quotannis instituit Ecclesia Processiones per civitates, & pagos, per oppida, & castella, ut loca sanctificentur, benedictione repleantur, & fructus terræ conserventur a fulgure, tempestate, uredine, nebulis, aut alia vastatione. Supplicationes autem, ac Rogationes vocantur, quia in illis vexillo Crucis præcedente sequitur clerus, deinde magistratus secularis, & populus, quasi exercitus christianus militans sub hoc labaro Regi suo crucifixo supplicans meritis suæ Passionis & Crucis ab omnibus adversis protegi, ut liberiori mente & animo possit servire huic summo Regi & Domino, & ejus gloriæ militare (*a*). Hujusmodi supplicationes seu rogationes fuerunt notæ etiam Ethnicis maxime cum in aliqua essent afflictione positi supplicationes peragebant; cumque Romanis victoriæ spes affulgeret, deorum templa aperire, supplicationes ad illa instituere, votaque facere soliti erant (*b*).

CAP.

(a) *Vide Gonzal. in cap. Nobis fuit* 15. *de Jur. patron. num.* 6. *& sequentibus.*

(b) *Joannes Rosinus in antiquitat. lib.* 10. *cap.* 28.

C A P. II.

Unde initium sumserint tam majores, quam minores Rogationes, & quomodo sint celebrandæ.

1. ROgationes fieri solitæ in die Sancti Marci Evangelistæ majores appellantur, vel ex eo quod a D. Gregorio Magno fuerint Romæ institutæ, vel saltem ab eo propagatæ. Quæ vero fiunt tribus diebus ante Ascensionem Domini minores dicuntur, ut a prioribus distinguantur, sive quia earum institutio non a Summo Pontifice, sed a Sancto Mamerto Episcopo Viennæ in Galliis ortum habuit (a), in hunc modum videlicet, cum feroces bestiæ, dracones, & lupi in civitatem illam & diœcesim magno irruerent populorum exitio, has rogationes indixit S. Mamertus, & per effusas ibi preces & obsecrationes ab illis malis quibus infestabatur, tum civitatem tum diœcesim Deus eripere dignatus est. Quod pium institutum a Gallia in alias christiani orbis partes pertransiit, & ab Ecclesia Romana sub Leone III. amplexum, ut scribit Anastasius bibliothecarius, aut quicumque alius ejus vitæ sit auctor: *Ipse vero a Deo protectus, & præclarus Pontifex constituit, ut ante tres dies Ascensionis Dominicæ litaniæ celebrentur*, & in grati animi monumentum pro tam eximio beneficio in aliquibus Ecclesiis solent portari dracones, & lupi super perticas ad denotandum, quare instituta fuerit hæc processio.

2. Qua autem pietate sint a nobis hæ Rogationes pera-

L

(a) *Macri in Hierolexico verbo Litania Gonzal. in cap. 1. de observ. jejunior. num. 12. Pat. Matthias Fabri concionibus æstivis de feriis Rogationum conc. 10.*

peragendæ, vetuſtam Eccleſiæ diſciplinam & obſervantiæ rigorem noſſe oporteret. Iis diebus pretioſæ veſtes deponebantur, rigoroſum jejunium ſervabatur, fiebat cineris benedictio, eoque cujuſque caput aſpergebatur, ut modo fit in die Cinerum, divinum officium in Eccleſiis, ubi erant ſtationes conſtitutæ, cum cantu ad ſex uſque horas protrahebatur. Quod ſi vetus illa diſciplina, quæ mox deſiit, omnino a majoribus noſtris qui nobis fortaſſe ante Dei tribunal minus erant rei, cuſtodiebatur, qualis erit harum nobis digna Rogationum celebratio? quas indicturi ſumus publicæ proceſſiones, & Rogationes eo tendunt, ut votis precibuſque noſtris propitius ſit Deus, & flagella quibus undique premimur a nobis avertat. Quapropter paterno caritatis affectu omnes de Clero & populo hortamur, ut cum vera cordis contritione, tota animi devotione, compoſito greſſu, oculis demiſſis, modeſtia demum, ac humilitatis ſignificatione eas comitentur. Si ſecus fiat, divinæ ultionis iram potius irritabunt, quam divinæ bonitatis munera promerebunt.

C A P. III.

Quinam accedere debeant ad publicas Proceſſiones, quidve facere in acceſſu ad Eccleſiam.

Canonici, Dignitates ſuis amicti inſignibus, & univerſus Clerus tam Secularis cotta munda, & bireto, quam Regularis ſui ordinis habitu conſueto publicis proceſſionibus ſive generalibus ſive particularibus a Nobis indictis, præfixis tempore & hora intereſſe tenentur, & per edictum noſtrum vocari & compelli poſſe decrevit Concilium Tridentinum (*a*); iis exceptis qui apoſto-

lico

(a) *Seſſ. 25. cap. 13.*

lico non interveniendi privilegio potiuntur. Et præter nostrum Capitulum nulli liceat nudam ferre Crucem, sed pannus in ea sit appensus. In iis vero processionibus quibus ex laudabili consuetudine adesse consueverunt sodales Confraternitatum eam servari mandamus, attamen sui sodalitii cappa talari, & mantello veniant amicti. Majorem vero Ecclesiam introeuntes aqua lustrali se aspergant, & statim ante altare augustissimi Sacramenti genua flectant, & proni aliquantulum orent, & silentium servent, & in locis sibi assignatis modeste & devote permaneant, ut in simili adventu fieri vident a Regularibus. Sanctissim Salvatoris e Cruce pendentis simulacrum non muris innixum unquam relinquant, sed manibus ante pectus devote retineant, vel saltem super altare alicujus Capellæ religiose deponant, caveantque huc illuc per Ecclesiam discurrere, aut confabulationes, clamores, jurgia, aut rixas excitare sub pœnis in jure contentis; nec sibi licere arbitrentur sacco indutis extra Ecclesiam discedere antequam sit inchoata processio.

C A P. IV.

De modo incedendi in Processionibus.

1. UT primum a cæremoniarum Magistro procedendi signum dabitur, cuncti suis loco, & ordine antecedentem propriam Crucem & vexillum sequentes bini & bini adinstar discipulorum Christi incedant, & congruo inter se spatio distantes æquis passibus, lentisque magis & ad gravitatem compositis, quam pernicibus, qui levitatis speciem exhibent, pie & devote progrediantur.

2. Confraternitatum Sodales parvam Crucem argen-

 team

team vulgo *Guida*, ſacrum vexillum, aut SS. Crucifixum geſtantes non audeant altera manu ad latus incurvata quaſi digladiantium more aut aliis corporis motibus, qui ſint incompoſiti & deformes in proceſſionibus incedere ſub pœna expulſionis. Omnes autem in procedendo gradum ne ſiſtant niſi juſſi a proceſſionum Præfectis ſeu Directoribus, quorum nutibus ſemper parendum eſt, ut Proceſſionem non interrumpant; chirotecas non deferant nec flores aut flabella in manu, a colloquiis riſibus oculorum evagatione abſtineant, ſed modeſtis oculis adeant, obvium nullum ſpectantes neque per capitis aperitionem ſeu inclinationem ſalutantes, hymnos & pſalmos aliaſve preces duplici alternante choro ad præſcriptum devote canant per alas. Populus tandem aſſocians ſanctiſſimi Roſarii myſteria recitet, & Sacerdos vel ſaltem Clericus, aut vir probus recitationem incipiat & dirigat. Feminæ vero ubi mos eſt in aliquo Diœceſis loco comitatum adeundi, ut earum devotioni ſatisfiat, a viris ſejunctæ orantes pariter proſequantur.

C A P. V.

Viarum mundities in Proceſſionibus commendatur, animalium ingreſſus interdicitur: ſervile opus aliquantiſper intermittendum, nihilque e feneſtris projiciendum.

SUmmo mane antequam ſupplicationes incipiant viæ omnes per quas tranſeundum erit a vicinis incolis verrantur mundentur, floribus frondibuſque redolentibus quoad fieri poteſt ſpargantur.

Animalia vero per eaſdem vias priuſquam cœpta fuerit & dum fit proceſſio ne introducantur, pro cujus obſervantia brachii ſecularis auxilium imploramus. In Pro-

Processionis transitu opifices desistant ab opere quousque illa ab eorum conspectu abierit. Nec e fenestris aut alio loco bellaria projiciantur vulgo *confetti* aut flores aut aliud quidpiam; ea enim perturbationem cient, non devotionem conciliant: quinimmo puerilium esse potius somenta jurgiorum & strepitus, quam honorificentiæ significationes experientia didicimus.

C A P. VI.

Ubi & quomodo ignea instrumenta sive artificia Processionis causa explodi sinatur. Nunquam in iis sacræ imagines apponantur.

SClopos, mortariola, artificiales ignes & similia non prope, sed procul a Processionibus explodi permittimus, ea tamen lege ut jugis pergat incessus, nec dispositus ordo alicubi pervertatur, neve ulli tam procedentium quam populi associantis ex accensis pyrii pulveris machinis, sive mortariolis explosis alicujus impendeat periculum læsionis. In prædictis autem igneis artificiis vulgo dictis *castelli*, *o giuochi di fuoco*, nullus audeat imagines Beatæ Mariæ Virginis, aut Sanctorum apponere; siquidem elaborati ignes dum accenduntur, vis flammæ prætervolantis facile in eas ferri poterit & comburere, quod summa esset irreverentia; quod si ex rationabili causa a Nobis probanda aliter fieri visum fuerit, quod magis expedierit, maturo consilio decernemus.

CAP.

CAP. VII.

Processiones diurno tempore fieri, & priusquam finitæ sint nullum abscedere. Interessentium nomina in majoris Ecclesiæ vestibulo non per vias adnotari districte mandatur.

ANte solis ortum Processiones tam in civitate quam diœcesi fieri prohibemus, & quæ vespere haberi solent, ea incipiant hora ut ante salutationem angelicam desinant.

Cui erit injunctum onus adnotandi processionibus interessentes hoc faciat in limine Ecclesiæ unde egreditur Clerus, non autem per vicos, & plateas. Et in reditu Processionis nullus egrediatur ex Ecclesia, nisi prius peractæ fuerint preces, aut impartita benedictio sub pœna unius ducati ordinatis in Sacris, & quinque carolenorum inferioribus Clericis.

CAP. ULT.

Qui ordo, & modus in associatione Corporis Christi servandus?

1. QUæ hactenus in quibusvis Processionibus tam universalis quam particularis hujus nostræ Rheginen. Ecclesiæ consuetis, necnon ceteris cum publica exposcat Ecclesiæ causa a Nobis indicendis observari mandavimus, in ea potissimum sanctissimi Corporis Christi singulis annis apostolica authoritate celebranda strictius præcipimus. Monemus insuper hortantes & obsecrantes, ut hæc solemnissima Eucharistici Sacramenti processio quam maxima & religiosissima exteriori pompa, atque interiori cordis munditia peragatur; in quam convenientes Ecclesiastici omnes tum seculares, Sacerdotes

tes nimirum cum planetis (Cathedralis Ecclesiæ Cantoribus dumtaxat exceptis, quibus cum superpelliceo stolæ usus permittitur, quam nec gerant cæremoniarum Magistri, nec Thyrsigeri vulgo *Mazzieri*, sed solo superpelliceo induantur) Diaconi, & Subdiaconi cum Dalmaticis, Clerici cum cottis, tum Regulares, tum denique Societatum Confratres procedant detecto capite & sine pileolo cereos accensos, qui a dextris sunt læva, qui vero a sinistris dextera manu deferentes. Prope sanctissimum Sacramentum duodecim præcedant hinc inde Clerici cum laternis accensis, ut moris est in hac civitate; in ceteris vero diœceseos locis saltem quatuor vel plures quoad fieri potest, ne ventis aut pluvia extinctis intortitiis, absque luminibus remaneat Sacramentum.

2. Baldachinum gestantes reverenti humilique compositione deferre pietas ipsa erga Sacramentum suadet. Et quemadmodum seculari Magistratui, & nobilioribus viris hic honos ab Ecclesia & prærogativa defertur, sic eos majori decet grati animi obsequio de Ecclesia benemereri, ac divinissimum Ecclesiæ Sacramentum omnigenæ virtutis exemplo devotissime comitari.

3. Hic autem in baldachino deferendo servandus est mos, ut priores hastæ dignioribus gradu, vel ætate semper attribuantur, posteriores & ultimæ hoc similibus ordine personis assignentur.

4. Meminerint Regulares sibi vetitum extra claustra sive ambitum suæ Ecclesiæ quascumque ducere processiones absque speciali nostra, vel Sedis apostolicæ facultate sub pœnis a Sacra Congregatione præscriptis (a). Quod idem in laicorum Confraternitatibus locum pariter habere decernimus sub pœnis arbitrio nostro.

TI-

(a) *Sac. Congr. apud Nicol. lucubr. Can. lib. 1. tit. 31. n. 14. Pignatellus consult. 65. n. 9. tom. 6. Matthæucci cap. 40. n. 3. Monacel. tom. 1. p. 112. n. 26.*

TITULUS VI.

De Sacrificio Missæ, ejusque celebratione.

NIhil habet Ecclesia Missæ Sacrificio dignius ac sanctius, in quo Agnus qui integer perseverat, ejusque caro & sanguis divinitati junctus incruente immolatur & offertur; illud enim pretiosissimum donum a Deo & cælo acceptum sibique in finem usque seculi relictum Ecclesia profitetur, quotidie Deo repræsentat & litat renovans memoriam effusi in passione sanguinis cruento illo Crucis Sacrificio, quo redemtionis pretium fuit Patri oblatum. Unde sacratissimam Euchariſtiam in extrema cœna Christus Dominus instituit, ut esset nedum cæleste animæ nostræ alimentum, quo vitam spiritualem tueri & conservare possemus, sed ut Ecclesia perpetuum haberet Sacrificium, quo peccata nostra expiarentur, & cælestis Pater sceleribus nostris sæpe graviter offensus ab ira ad lenitatem, a justa animadversione ad misericordiam traduceretur.

C A P. I.

Quomodo se habere debeat in Sacrificio minister, quave dispositione ad illud accedere?

1. PRimo augustissimum hoc Sacrificium interiori exteriorique munditie ac reverentia tractari debet, eique tam serio animus applicari, ut rem plane divinam in altari Sacris operantem pernoscatur agere Sacerdotem, atque ejus obtutu exemploque fideles in Deum erigantur, tantique sacrificii majestatem & sanctitatem pie ac devo-

devote reverentes & colentes uberes qui inde promanant & salutares fructus una cum Sacerdote participent.

2. Secundo si lethalis culpæ Sacerdos, quem purissimum esse oportet & labe nulla coinquinatum, reum se esse meminerit, quantumvis sibi contritus videatur ad Sacrificium peragendum accedere non audeat absque sacramentali confessione præmissa; quod & ab omnibus Eucharistiam sumturis observandum præcipit Concilium Tridentinum (a). Consulimus tamen & paterna Sacerdotes omnes caritate monemus, ut frequenter & bis aut semel ad minus singulis hebdomadibus pœnitentiæ Sacramento a peccatis commissis etiam venialibus expientur, meliorique ad sacrificandum dispositione conveniant majores quoque gratias consecuturi.

C A P. II.

Sacerdos peccati mortalis conscius, cui desit copia Confessarii & urgente necessitate a Tridentino celebrari indulgetur, prius conteri & quamprimum confiteri debet.

1. IN memoriam revocans Tridentina Synodus divinum præceptum *probet seipsum homo*, & Ecclesiasticam innuens necessariæ probationis consuetudinem communicare volenti si gravis culpæ sit conscius Sacramentalem confessionem præmittendam esse decernit. Verum Sacerdoti gravem delapso in culpam, si desit copia Confessarii & urgens adsit necessitas, facultatem tribuit celebrandi, & præceptum superaddit, ut quamprimum confiteatur. Hinc Sacerdos mortalis peccati memor, ut ante

M

(a) *Sess. 13. cap. 7.*

te celebrationem confitendi præcepto non obſtringatur, duo copulative concurrere debent, abſentia ſcilicet Confeſſarii, & urgens celebrandi neceſſitas: quapropter ſi Confeſſarius adſit confitendi oritur obligatio, ſi vero deſit nec urget celebrandi neceſſitas, abſque prævia confeſſione fas non eſt celebrare.

2. Quanta autem eſſe debeat iſthæc univerſim Confeſſarii diſtantia, prudentis viri arbitrio penſatis omnibus circumſtantiis perſonæ temporis & loci metienda relinquitur; univerſalis tamen hæc traditur regula, videlicet quando tanta eſt diſtantia ut ob itineris difficultatem vel temporis brevitatem, vel ingruentem pluviam, vel ratione ſcandali aut infamiæ, ſive urgentium negotiorum, abſque magno incommodo adiri nequeat Confeſſarius, tunc præviæ confeſſionis præceptum non obligat. Quoad urgentem vero neceſſitatem quæ Sacerdoti ſine prævia confeſſione ad altare permittit acceſſum non qualemcumque pro libito ſuo ſibi confingere quiſque poteſt, ſed eam tunc eſſe admittitur, primo cum Sacerdos Miſſam non celebrans aliquam ſubiret infamiam, vel ſcandalum aliis præberet. Secundo cum populus non aliter in die feſtivo audiendi ſacri præcepto ſatisfacere poſſet, niſi Sacerdos in hunc modum celebraret. Tertio cum conſecranda foret particula ut communicaret moribundus.

3. At non eſt cur in his circumſtantiis a prius elicienda contritione eximi poſſit Sacerdos; graviter enim peccat qui in caſu neceſſitatis non habens copiam Confeſſoris in peccato mortali abſque contritione celebret: ſecus vero ſi conteratur, debet tamen cum primum poterit confiteri (*a*).

Sa-

(a) *Vide Miſſal. Rom. de defect. circa Miſſam occurr. de def. diſp. animæ cap.* 8. *num.* 3.

4. Sacerdotem denique cum peccato mortali ex necessitate sacrificantem ad quamprimum confitendum teneri mandat Concilium Trid., quod quidem mandatum non esse consilium sed præceptum proscripta ab Alexandro VII. propositio aperte demonstrat; nec particula illa *quamprimum* intelligenda venit cum Sacerdos suo tempore confitebitur, hanc enim propositionem confixit idem Alex. VII. (*a*). Sacerdos igitur qui cum peccati mortalis conscientia ob urgentem necessitatem contritione præmissa sed non prævia confessione celebravit, nequit in longum tempus etiamsi diu celebrare distulerit confessionem differre, sed huic debet quamprimum obligationi satisfacere, itaut intelligi possit quod quamprimum confiteatur, & juxta rubricæ Missalis explicationem cum primum poterit, hoc est moraliter & data opportunitate.

C A P. III.

Appostitiæ vestis in Sacristiis usus ablegatur; & quomodo iter agentibus permittendus.

ANimæ munditiæ accedat decens corporis habitus nempe talaris, quem liceat nulli sacrum facturo induere in Sacristia ne quidem rure sub pœna suspensionis, ut nuper in sancta visitatione sancivimus. Itineris vero causa & in Ecclesiis tantum ruralibus breviori veste, quæ tamen a genibus si non in palmum notabiliter saltem sit protenta (*b*), vel in Sacristiis talari apponenda celebrari posse permittimus.

M 2 CAP.

(a) *Vide prop. damn.* 38. & 39.
(b) *Syn. Pallotta pag.* 32. *cap.* 2.

CAP. IV.

Matutinum, & laudes ante Missæ celebrationem exolvenda, orationi vacandum, consuetæ preces recitandæ.

1. EX Missalis rubrica (a) Sacerdoti præscribitur, ne Missam celebret, nisi prius saltem matutino cum laudibus absoluto; & in alia (b) defectui tribuitur, si celebrans saltem matutinum cum laudibus non dixerit. His autem similibusque rubricis, ritibus, & cæremoniis, ut reverentia, obsequium, & pastorale munus deposcit, inhærentes earum observantiam præcipimus, & præcipiendo monemus, & vehementer urgemus, & inculcamus, nec eorum socordiam ferre possumus, qui absque caussa Missæ officium haud matutini cum laudibus prævia recitatione persolvunt; potissimum vero (quod magis dolendum) si ex consuetudine faciant reliquo diei tempore seculi negotiis dediti, divini officii penso in seras horas delato.

2. Optimum tamen, & ipsius augustissimi Sacrificii reverentiæ valde decentius, si Sacerdos ante Missæ celebrationem matutinum cum laudibus saltem recitet, eoque magis quod ipsamet recitatio ad præparationem etiam pertineat; & Nos paterna Sacerdotes omnes caritate monemus, atque in Domino exhortamur, ne absque prævia matutini cum laudibus saltem recitatione, nisi prius urgentibus & necessariis caritatis officiis, idest Sacramentis administrandis, aliisve piis exercitationibus obeundis, aliisque justis de causis occupati extitissent, ad sacra peragenda audeant accedere.

3. Et

(a) *Tit. de rit. ser. in celeb. Miss. cap.* 1.
(b) *Tit. de defect. in celeb. Miss. occurr. cap.* 10. *num.* 1.

3. Et itidem loci ubi supra subsequuntur verba rubricæ dicentis, ut Sacerdos ante Missam aliquantulum oret. Non dicitur autem orare qui de Deo non cogitat, nec interius mente ad Deum ascendit; utque optime ait Cassianus (a): *Numquam orat quisquis etiam flexis genibus si vagatione distrahitur*. Cordi igitur & unicuique familiare esse debet orationis mentalis studium; ea quippe est fodina coelestis, unde tot gratiæ copiosius manant & hauriuntur. Nec solitæ prætermittantur preces pro temporis opportunitate a Sacerdote dicendæ, quas typis excusas decorisque tabellis inhærentes ante devotam Crucifixi imaginem, & aptatum ibi genuflexorium è pariete pendulis in cujuslibet sacristiæ penetrali quantum fieri potest & ad orandum apto haberi & collocari volumus, vel eas quisque sibi comparet in quopiam libello, ut devote ubi melius videbitur recitare possit.

C A P. V.

De incessu Sacerdotis ad altare, & quomodo se gerat in actu celebrationis.

EXactis jam oratione & precibus, signaculis de more in Missali dispositis sed numquam in altari disponendis, ablutis manibus, & hostia munda abstersis fragmentis super patena collocata, Sacerdos sacris vestibus indutus, & caput bireto sacerdotali sine pileolo tectus, calicem manibus gestans, demissis oculis gressuque ad gravitatem religiose composito, erecto corpore ad altare celebraturus accedat, & ab introitu exordiendo clare & di-

(a) *Relatus a Glossa in Clem. prima in verbo orationes in septimo membro de Reliqu. & Vener. Sanctor.*

distincte, non cursim & diminute verba pronunciet; quod & a Clericis Missæ inservientibus est sedulò observandum. At non miramur, quare præcipitanter dimidiate atque uno & altero verbo prætermissis ii Sacerdoti respondeant, in causa est quod aliqui Sacerdotes absque ullo devotionis sensu properato dicentes Clericos, aliosve inservientes adeo confundunt, ut & ipsi secus ac præcocibus verbis sive obtruncatis sive nonnullis præteritis nescii sint respondere. Prius ergo se corrigant qui sunt hujus surfuris Sacerdotes, & exemplo suo Missæ Sacrificio inservientes adhuc alio sine magistro correcti videbuntur, & Sacerdoti celebranti, ut par est, respondebunt. Cetera vero omnia quæ clara voce dicenda sunt maxime curare debet Sacerdos, ut distincte pariter & apposite proferat non admodum festinanter, ne nimia acceleratione proveniat mutilatiò ultimarum syllabarum, aut syncope intermediarum, & ut advertere possit quæ legit; nec nimis morose ne audientes tædio afficiat; neque etiam voce nimis elata ne perturbet alios, qui fortasse in eadem Ecclesia tunc temporis celebrant, neque tam submissa, ut a circumstantibus audiri non possit, sed mediocri & gravi, quæ & devotionem moveat & audientibus ita sit accommodata, ut quæ leguntur intelligant. Quæ vero secretè dicenda sunt ita pronunciet, ut & ipsemet se audiat & a circumstantibus non audiatur, nec quidquam præsertim verba consecrationis tum hostiæ tum calicis alta voce, ne populus verba illa sciens postea temere aut ad jocos eisdem utatur, nec verbis protractis ad modum anhelantis, nec memoriter est proferendum, cum in illa tremendi singularissima mysterii actione accidere possit memoriam quandoque deficere, ut bene advertit S. Antoninus (a): *Cum & optima memo-*

ria

(a) 3. *par. tit.* 13. *cap.* 6.

riæ viros aliquando fallat memoria, sed oculi continenter in librum fixi detineantur, ut quod est ore pronunciandum integre percipiatur, & citra erroris periculum examussim proferatur: & quamvis expedita legendi agendive facultate se pollere autument Sacerdotes, eum tamen sibi tum vocis tum actionis modum spectata cum gravitate conjunctum imponant, ut ne nimium sint celeres, neve brevitatis studio aliqua verba, ritus, & cæremonias intermittant aut mutilent. Missas vero importune prolixas ne tædio populus afficiatur celebrare non expedit quas nec ultra semihoram protrahendas volumus, cum in adyto quisque quantum volet devotioni habenas laxare queat; nec viginti strictius minutis, hoc est tertia horæ parte contrahendas esse decernimus & districte præcipimus: de cujus observantia sciant Sacerdotes viris probis secrete relaturis clam vigilare & explorare a nobis commissum esse, ut quos sive exteros sive civitatis aut diœcesis in hoc deliquisse innotuerit a Missæ sacrificio suspendamus, aliisque pœnis arbitrariis coërceamus.

C A P. VI.

Post Missam gratiarum actio habeatur.

UBi primum Missæ celebratio peracta sit, eadem qua ad altare itum est compositione & modestia redeatur; & postquam sacris vestibus se decenter exuerit iterato Sacerdos aliquantulum oret, & sacras de more flexis genibus recitet preces gratias agens Deo, qui eum suæ participem divinitatis effecit. Caveat autem ne post Missæ celebrationem statim discedat, sed saltem pro gratiarum actione horæ quadrantem insumat.

CAP. VII.

CAP. VII.

Quando celebrandæ sint Missae.

MIssa privata quacumque hora ab aurora usque ad meridiem dici potest. Ante auroram vero nullo pacto celebrare liceat, nisi in nocte Nativitatis Domini, in qua prima dumtaxat Missa conventualis sine mulierum confessione, & fidelium communione ex universali Ecclesiæ consuetudine, & Pontificiis decretis in appendice apponendis, quæ ligant etiam Regulares, celebratur. Nec post datum signum meridiei ullatenus Missæ celebrentur. Sin vero instans necessitas ante auroram vel post meridiem celebrari suadeat, ante & post dicta tempora horæ triens ad celebrandum toleratur. Ante vero tertiam horæ partem ab aurora, & post eamdem tertiam horæ partem a meridie in qualibet Ecclesia etiam Regularium, & sub quovis prætextu Missas celebrari prohibemus sub pœnis, & censuris Sacerdoti celebranti, etiamsi regularis sit, auctoritate Tridentini, & apostolicarum constitutionum arbitratu nostro infligendis.

CAP. VIII.

Unam licet Sacerdoti eodem die Missam celebrare, si plures celebrat, remanet suspensus, aliisque pœnis gravissime punietur.

NOn modica res est unam Missam facere, & valde felix est qui unam digne celebrare potest (*a*), & regula generalis est semel in die unam Missam solummodo

(a) *Can. Sufficit de consecr. dist. 1.*

modo Sacerdotem celebrare posse, excepto die Nativitatis Domini Salvatoris aut necessitatis casu, dummodo in duabus primis Nativitatis, & in prima Missa aliis diebus quibus occurrit necessitas, purificationem non sumat, alias non jejunus communicaret, quod est contra Ecclesiæ præscriptum (*a*). Cum autem necessitatis casus, qui olim Sacerdotum raritate locum habere poterant, & repetitam eodem die missæ celebrationem permittebant, mox eorum copia desiisse cognoscatur, jam non est in usu plures eodem die ab uno Sacerdote Missas celebrari præter diem Nativitatis. Verum si quis in civitate, aut diœcesi nostra sive civis, sive diœcesanus, sive alienigena duas vel plures Missas sub quovis prætextu, aut quacumque de causa celebrare ausus fuerit, suspensionem a divinis, a qua nemo audeat absolvere, illico incursurum, aliisque gravissimis pœnis, etiam triremis plectendum esse se noverit (*b*).

C A P. IX.

De Missa solemni in fer. V. VI. & Sabbato majoris hebdomadæ, & Missæ privatæ his diebus prohibitione.

1. EX antiquiori Ecclesiæ disciplina fer. V. in Cœna Domini totus populus (iis exceptis, quibus pro gravibus criminibus inhibitum erat) Euchariſtiam percipiebat, & non solius devotionis causa, sed ex præcepto Ecclesiæ, ut liquet in veteri Canone: *in Cœna Domini* (*c*).

N Nunc

(a) *Can. Sacramenta altaris de consecr. dist.* 1.

(b) *De qualit. & quant. pœnæ agunt Pignatell. tom.* 4. *consult.* 1. *num.* 1. *Pax Jordan. lucubr. tom.* 1. *lib.* 4. *tit.* 1. *num.* 70. *Monacell. tom.* 2. *tit.* 14. *form.* 3. *num.* 13. *Bellet. disq. Cleri fol.* 519.

(c) *De Consecr. dist.* 2.

Nunc ut jugis apud fidelium memoriam permaneret sanctissimæ Eucharistiæ institutio a Christo Domino in extrema cœna peracta, in qua Apostolis & Sacerdotium contulit, ut fuse in Tridentino explicatur (*a*), & seipsum prius, ut communis fert Sanctorum Patrum sententia, & deinde Apostolos communicavit, universalis mos est ut in quibusvis Metropolitanis, Cathedralibus, Collegiatis, aliisque Conventualibus Ecclesiis universus Clerus, quisque suæ Ecclesiæ addictus, Sacerdotes cum stolis è collo pendentibus supra cottam, Diaconi in transversum (*b*), & reliqui item singuli ejusdem Ecclesiæ Clerici cum cotta communionem in solemni Missæ sacro, quod illo die in ea Ecclesia fiet recipiant (*c*). Id quod in nostra Metropolitana, aliisque Ecclesiis tum civitatis tum diœcesis plane servatur, & in posterum servari mandamus sub pœnis arbitrariis, prohibentes cuicumque Sacerdoti, etiam regulari fer. V. in Cœna Domini Missam privatam in quacumque Ecclesia sive Capella, aut Oratorio publico vel privato celebrare, quocumque privilegio aut consuetudine in contrarium non obstante; exceptis tamen Parochis, qui Missæ solemnis ubi non est celebrandæ commoditas, privatim in suis Ecclesiis Parochialibus celebrare possunt. Privatæ hujus celebrationis vetitum satis aperte indicat ordo divini officii, qui quotannis sedula nostri cæremoniarum Magistri opera elaboratus excuditur, ubi in feria V. in Cœna Domini hæc verba leguntur: *Hodie ex decr. Sacræ Rituum Congregationis prohibentur Missæ privatæ in Ecclesiis, & Oratoriis publicis & privatis*.

2. Quod

(a) *Sess.* 22. *Cap.* 1.
(b) *Gavant. ad Rubr. Miss. par.* 4. *tit.* 7. *num.* 7. *edition. Venetæ anno* 1690. *pag.* 181.
(c) *Acta Eccl. Mediol. in* 4. *Syn. Provin.*

2. Quod si in eum diem festum incidat S. Joseph, aut Sanctissimæ Annunciationis, translato officio, non autem audiendæ Missæ, & servilibus abstinendi præcepto in die Sanctissimæ Annunciationis, accurate providebimus ut eo die aliquæ quidem Missæ privatæ ante celebrationem solitæ Missæ conventualis celebrandæ pro adimplemento præcepti non desint; sed tamen propterea antiquus mos communionis Cleri in Missa solemni ejus diei, quo Ecclesia SS. Eucharistiæ Sacramenti institutionem & memoriam recolit, summa religionis ac pietatis specie hactenus detentus nullatenus omittatur.

3. Feria sexta in Parasceve fit Missa conventualis juxta ritum Ecclesiæ, & Sacerdos utitur præsanctificatis: quælibet vero Missa privata, tametsi eo die occurrat festum SS. Annunciationis, prohibetur; & Sabbato Sancto Missa solemnis dumtaxat celebratur cum aliis de more ab Ecclesia præscriptis. Quod etiam in ordine divini officii his verbis innuitur: *Hodie prohibentur Miss. priv.*

C A P. X.

Silentium in Sacristiis inculcatur.

CUm in omni loco pietas, modestia, cordis intima externaque deceat dictis ac factis devotio Sacerdotes, discretum tum maxime in Sacristiis, ubi mundantur conscientiæ, animus colligitur, & ad divina celebranda mysteria disponitur, silentium observari necesse est. Nihil enim tam indecorum & absonum, quam inutilia verba clamores lites & dissensiones in Sacrariis, in quibus ad sacrificium se præparant Sacerdotes, venientium ad Ecclesiam, & audientium offendiculo & perturbatione ab indevotis Sacerdotibus excitari. Attendamus

mus ergo Sacerdotes divino operi, quod proxime facturi sumus, & in qualibet a colloquiis Sacristia nedum verborum strepitu & jurgiis temperemus, & ea qua congruit animi devotione & modesta corporis forma ad sacra mysteria peragenda disponamur. Salutaribus hisce adhortationibus & monitis, qui opus habet, futurum Nobis suademus ut corrigatur. Quod si aliquem sive civitatem sive dioecesim incolentem in sua permanere contumacia per secretas quoque explorationes investigabimus, sciat ipse a divinis suspendendum, donec emendatio subsequatur.

C A P. XI.

De Sacris indumentis, ac vasis, & a quo sint benedicenda.

1. Altaris usui vestes nonnisi benedictas in tanti reverentiam Sacramenti, & Sacrificii adhibendas esse perspicue habetur in Canone *Vestimenta* (a), calicis vero & patenæ consecratio cum Chrismatis unctione, & precibus veteri invenitur in ordine Romano descripta, de quorum consecratione meminit etiam Innocentius III. (b), & in canone *Nullus* (c) altaris consecratio recensetur. Quæ quidem vestium benedictio in nostra dioecesi ad Nos de jure pertinet, nec ulli unquam eas benedicendi, ni prius fuerit a Sacra Rituum Congregatione Nobis indultum, facultatem ad tempus elargiti sumus. Calices vero, patenas, altaria & cetera benedicere & consecra-

(a) *De Consecr. dist.* 1.
(b) *Cap. unico §. Ungitur de Sacr. Unct.*
(c) *De Consecr. dist.* 1.

ſecrare, in quibus ſacra requiritur unctio, Nobis tantummodo reſervatur. Et licet Sacra Rituum Congregatio recurrentibus Epiſcopis facultatem tribuat, ſacrarum veſtium benedictionem, in qua ſacra unctio non adhibetur, ſubdelegandi, eam tamen excipit, in qua alterius rei benedictio ſacri fit Chriſmatis unctione. Hinc pro certo habeant Regularium Superiores ſuarum ſe dumtaxat non aliarum Eccleſiarum indumenta benedicere poſſe. Abbatibus vero regularibus, qui Pontificalium uſu potiuntur, tametſi ab Epiſcopo benedictis vel non benedictis, ſed cum privilegio Pontificalia exercendi, ſuarum Eccleſiarum dumtaxat, ſive Monaſteriorum paramenta benedicere conceſſum eſt, ut clare patet ex Summorum Pontificum conſtitutionibus quorum hæc ſunt verba: *Eccleſiaſticam ſupellectilem pro ſervitio dumtaxat ſuarum Eccleſiarum vel Monaſteriorum benedicant.* Nec iiſdem Abbatibus altaria, calices, patenas, campanas, & ſimilia ſacro linienda Chriſmate alienæ Eccleſiæ uſui deſtinata benedicere licet. *Reliqua Pontificalia* (ut ex iiſdem Pontificum conſtitutionibus liquet) *extra loca ipſis Abbatibus non ſubjecta, vel pro ſervitio alienæ Eccleſiæ, aut in Subditos pariter alienos etiam de licentia Ordinariorum exercere non valeant, puta campanarum benedictiones, calicum, & ſimilium, in quibus Sacra adhibetur unctio, nec non minorum ordinum collationes*. Hac ſuper re ſi quis fortaſſe in civitate aut diœceſi vel Superior, vel Abbas regularium, quos ſemper honore & benevolentia proſecuti ſumus, & proſequi etiam atque etiam optamus, antehac ſuæ metam facultatis prætergreſſum eſſe cognoverit, caveat in futurum, & ad pontificiis parendum conſtitutionibus, quas ob oculos poſuimus, libens animum inclinet; ſi ſecus ab aliquo fieri contingat, juſtæ Nobis in eum animadverſionis locus relinquetur, qui jus noſtrum cogimur juris remediis,

pœnis,

poenis, & censuris quantocyus vindicare (*a*).

2. Et quoniam nostræ credita fidei non modo vasa viventia, sed & sacrorum nobis sit demandata cura vasorum, vestium, supellectilis, & aliorum, quæ divino cultui sacrisque mysteriis peragendis deserviunt, qualiter esse debeant ostendamus. Sunt vasa Domini & res sacræ, queis omni jure convenit integritas, munditia, puritas, nitor; excusabuntur forte nonnulli haud valentes redituum tenuitate Ecclesiæ de rebus pretiosis providere, hoc quidem fieri potest, at si pretiosa non sunt, saltem munda & nitida procurarent. Vestes autem laceras aut scissas attritas maculatas sordidas statim ab eo tempore, quo tales fuerint, omnino interdictas declaramus; itaut nulli cum his in posterum liceat celebrare. Calices, patenas, pyxides, lunulas benedictas in quibus hostia consecrata publice exponenda collocatur, quæ omnia saltem interius auro puro esse debent inaurata, si in aliqua parte oculis inspiciatur aurum esse consumtum, volumus item esse suspensa, nec adhiberi donec iterum deaurentur & a Nobis juxta ritum benedicantur.

3. Ne autem diœcesani præsertim e dissitis locis venientes diuturna aliqua expectatione graventur, cunctis notum facimus cujuslibet diei horis antemeridianis vestes, corporalia, & sacra vasa benedicendi, & respective consecrandi paratos Nos esse. Altaria, aras lapideas, campanas cum se dederit occasio opportuno tempore consecrabimus.

Cor-

(a) *Vide Cardin. Petram in const. Apost. tom. 3. ad constit. 6. Urbani IV. & novissime declaravit Benedictus XIV. per epist. Sacræ Rituum Congregat. 1744. jussit noviter imprimi decreta Alexand. VII. circa usum Pontificalium Prælatis Episcopo inferioribus concessorum, eorumque exemplaria ad locorum Ordinarios transmitti. Quæ epistola traditur in appendice.*

4. Corporalia sint latitudinis palmorum circiter trium, & cum frequens est eorum usus quoque mense in aliquo vase mundo a Sacerdotibus vel Diaconibus prius abluantur, & lixivio a lotrice bene purgata & munda, amydo exinde ut moris est incrustentur. Purificatoria sint longitudinis unius palmi, & latitudinis paulo minoris, & ut supra eluantur atque mundentur, sed frequentius, uti deposcit necessitas; aqua vero qua purificatoria & corporalia primum abluta sunt in Ecclesiæ sacrarium proijciatur. Purificatoria alterius filo coloris quam albi non suantur, sicut in sancta Visitatione fila rubea & cærulea in purificatoriis reperta apud aliqua ruralia loca visitatores nostri expungi mandarunt: quæ tamen cum aliquam habeant scissuram nec segmentis reficiantur nec adhibeantur, sed de novis Ecclesiæ Rector, vel cujus interest providendum curet.

C A P. XII.

Nemini præter Episcopos vestes sacerdotales licet accipere de medio altaris, quæ ejus debent esse coloris, quem requirunt rubricæ, nec in violaceis Missa defunctorum celebretur.

NUllus Sacerdos celebraturus etiam si sit dignitas, aut Canonicus, aut Abbas sacra paramenta sumat de medio altaris, sed in Sacristia (*a*); cum hoc sit proprium Episcoporum, qui ea semper & ubique de medio altaris suscipiunt (*b*). Quod si sacristia desit, Sacerdos sacra paramenta ex

(a) *Sacr. Congr. Rituum in Asculana Apuliæ 6. Martii* 1610. *& alibi prima Julii* 1012.
(b) *Gavant. in rubr. Missal. p.* 2. *tit.* 1. *num.* 2.

ex aliquo loco laterali Ecclesiæ ad hoc parato ſumat, eoque deficiente accipiat ex altari non in medio, ſed in Evangelii latere (*a*). Ejus autem eſſe quotidie debent in quibuſvis Eccleſiis altaris paramenta coloris, qui officio, & Miſſæ diei ſecundum uſum Rom. Eccleſiæ convenit, & dietim indigitat divini officii ordo, nec unquam præteriri aut alter cum altero colore confundi poteſt, niſi duplici ſit paramentum colore diſtinctum albo nimirum & rubeo, quocum congruis diebus celebrari poſſe permittitur. Meminerint tamen Sacerdotes in paramentis violacei coloris ſe prohibitos Miſſam celebrare pro defunctis; cum hoc ad eos pertineat, qui epiſcopali ſunt ordine decorati (*b*). Quodque alias in ſancta viſitatione decretum eſt, & etiam in hac noſtra Synodo decernimus.

C A P. XIII.

Intra Miſſarum ſolemnia ſtatim poſt ſanguinis ſumtionem Euchariſtia fidelibus regulariter miniſtranda; quod in Miſſis defunctorum ſemper obſervandum. Feria VI. in Paraſceve, & Sabbato Sancto infirmis porrigenda, præterea nemini. In oratoriis privatis nunquam ſine noſtra licentia.

I. POpuli communionem intra Miſſam poſt calicis ſumtionem & antequam Sacerdos ſe purificet faciendam eſſe clara Miſſalis & Ritualis Romani verba demonſtrant. Et ſane quam ſit pietati & juſtitiæ conſonum cur

(a) *Gavant. in rubr. Miſſal. loc. cit.*
(b) *Vid. Synod. Æſinam Cardin. Petruc. fol.* 198. *num.* 10. *Monacellum tom.* 2. *tit.* 13. *formular,* 2. *num.* 30.

cur post Sacerdotis communionem communicent immediate fideles, & non in fine Missæ ex ejusdem Ritualis rubrica intelligitur in hunc modum dicente: *Cum orationes, quæ in Missa post communionem dicuntur non solum ad Sacerdotem, sed etiam ad alios communicantes spectent. Quibus precibus post communionem a celebrante recitandis privarentur fideles qui communicare voluerint, si sacra iis Eucharistia in fine Missæ tribueretur*. Hinc unicuique injungimus Sacerdoti hanc omni studio regulam tenendam esse, & in praxi servandam, aliquem tamen juxta Ritualis eodem loci rubricam casum excipimus, in quo ex rationabili causa post Missam sit facienda communio, puta si populus Missam audiens sit numerosus, & multi sint communicandi, tunc si credatur diuturna expectatione adstantibus tædium gigni usque in finem Missæ differri potest communio (*a*), vel potius detur ante Missam, quo tempus suppetat pro gratiarum actione, cum experientia constet plerosque expleta Missa statim discedere. Præterea error est & abusus eorum censendus, qui indiscriminatim sive paucis sive multis peracta Missa Eucharistiam fidelibus præbent, nec ullatenus perferendus.

2. Circa autem fidelium communionem in Missis defunctorum fuit anno 1701. editum a Sacr. Rit. Cong. quæ Gavanti sententiæ adhæsit decretum, in quo vetitum erat a Sacerdote Missam defunctorum celebrante Eucharistiam alicui adstantium ministrari, propterea quod Sacerdos qui communionem recipit, aliis communicantibus in fine Missæ benedictionem elargitur, quam impartiri nequit in Missa defunctorum. Sed sciendum est punctum hoc (*b*) denuo fuisse ab eadem Congregatione

(a) *Gavant. supr. rubr. Miss. par.* 2. *tit.* 10.
(b) 21. *Martii* 1711.

in examen revocatum, & gravibus expositis ab Eminentissimo Cardinali Ferrario in suo voto difficultatibus, quæ eveniebant in ordine ad prioris lati decreti insubsistentiam, fuit a Patribus conclusum haud illius decreti copiam extra dari. Unde nihil in eo fundamenti aut roboris situm esse nemo non videt, ut bene advertit Benedictus XIV. qui eidem Congregationi interfuit, cum fidei Promotoris tunc temporis munere fungeretur, & a quo scripta in hoc capite didicimus in suo opere (*a*), & (*b*) pluribus congestis rationibus a Sacerdote post sumtionem calicis immediate non autem in principio aut fine Missæ communicandis fidelibus Eucharistiam distribui posse solide comprobat. Et Eminentissimus Cardinalis Fieschi Archiepiscopus Januensis, qui Sacræ Rituum Congregationi fuerat a Secretis in suæ diœcesis directorio (*c*) in lucem emisso, sic literis demandatum reliquit: *Proposito dubio in Sac. Rit. Congreg. = An liceat in Missis defunctorum fidelibus sacram communionem ministrare? eadem Sacra Rit. Congr.* (*d*) *respondit negative. Verum quia prædicti decreti copiam extra dari prohibuit dicta Sacr. Congr. ex notis motivis; & cum constet ex personis fide dignis, & ex attestatione plurimorum sacrarum cæremoniarum Magistrorum Romæ degentium ibi prædictum decretum non observari; ideo ne fideles tam salutari, & fructifero Sacramento priventur, & attentis præfata suspensione, & prædictis attestationibus declaratur, quod in Missis defunctorum sacra communio licite ministretur.* Quibus innixi momentis, & Missalis mortuorum rubricam præ oculis habentes, in qua sequentia verba leguntur: *Si qui*

(a) *De Sacrificio Missæ par. 4. sect. 2. num. 161.*
(b) *Num. 1612. & sequ.*
(c) *Anno* 1715.
(d) *Anno* 1701.

qui sunt communicandi eos communicet antequam se purificet . Hunc statuimus per universam Diœcesim morem induci & observari : & quamvis in Missa defunctorum communicantes a Sacerdote nequeant in fine Missæ benedictione donari, sat iis esse debet omnium benedictionum , & charismatum auctorem intra cordis sui hospitium excepisse .

3. Feria vero sexta in Parasceve præter infirmos aliis communio præbenda non est juxta Missalis rubricam . Et a Sacr. Congr. Conc. in celebri decreto de quotidiana communione (*a*) Ordinariis injungitur, ut curent ut circa communionem in feria sexta Parasceve Missalis rubricæ & Ecclesiæ Romanæ usus serventur . Quod & in Sabbato Sancto adhuc locum habere decernimus , prout habet communis Ecclesiæ praxis , quæ majoris pendenda est quam privata fidelium devotio ; quo die nulli etiam , nisi dumtaxat ægrotis , communionem Sacerdotes ministrari posse meminerint .

4. Nec tandem liceat Sacerdoti sive seculari sive regulari in Oratorio privato , quod alicui familiæ ex apostolico indulto concessum est , Eucharistiam administrare nisi prius data a Nobis copia ex urgentissima causa , & ad tempus concedenda , cum æque omnibus publicas aditus Ecclesias patere debeat , & non iis tantum domestico carentibus Oratorio .

C A P. XIV.

De Sacerdotibus exteris quoad Missæ celebrationem.

GYrovagi , exteri , ignotique Sacerdotes in qua libet Ecclesia etiam Regularium ad celebrandum nullo

 pa-

(a) *Sub die 12. Februarii 1679.*

pacto admittantur, nisi sui Ordinarii dimissoriales literas per Nos, aut Vicarium nostrum Generalem, vel Foraneos approbatas exhibuerint, quam quidem approbationem tunc obtinebunt cum non ante bimestre fuerint expeditæ. Quoad ultramontanos vero Presbyteros si ex his aliquis huc aut ad quamcumque diœcesis partem forsan pervenerit, tametsi testimoniales sui Ordinarii literas ab apostolico etiam illarum partium Nuntio recognitas ostendat, nullatenus ei Missæ celebratio in qualibet Ecclesia etiam Regularium permittatur, sub gravibus pœnis arbitrio nostro. Sed Rectores sive Sacristæ ad Nos remittant, ut diligentius perquiramus, an præfatæ literæ authenticæ sint, omnive prorsus vitio & fraudis suspicione careant: quibus animadversis quod in Domino expedire arbitrabimur faciemus. Regulares vero alienigenæ, & ignoti per diœcesim transeuntes, si in Ecclesiis nostræ jurisdictionis celebrare petierint, nisi habeant suorum Superiorum obedientiam Vicariis Foraneis, sive Parochis loci semper exhibendam a celebratione pariter arceantur.

C A P. XV.

Sacerdotes recens initiati antequam super Missæ cæremoniis examinentur, Missam ne celebrent; & modus innuitur eas bene callendi, & memoria retinendi.

CUm omnes oporteat Sacerdotes nedum ferventi religionis cultu, sed exacta etiam rubricarum observantia, & decenti cæremoniarum actione sacrosanctum Missæ Sacrificium peragere, ut a primordiis cuicumque earum neglectui via præcludatur, cunctique eas bene addiscere & callere satagant, recenter ordinati Sacer-

cerdotes sub pœna suspensionis ipso facto, & arbitrio nostro duraturæ, nisi prius a cæremoniarum magistro super Missæ cæremoniis examinati & idonei reperti celebrandi licentiam ab adm. Rev. Cantore Metropolitanæ Ecclesiæ majori nostro Cæremoniario obtinuerint.

Ne autem novum Sacerdotem ceterosque temporis decursu vel modica earum oblivio capiat, cujus causa dein plures negliguntur, cunctos Sacerdotes paterne monemus, ut libenter, neque raro, saltem quolibet mense sive in Missalis sive in aliquo apposito libello descriptas rubricas evolvant, & quamvis eas callere norint, peritiores evadent; peroptamus tamen ut in diœceseos locis ubi non est unus & alter, sed multo plures Sacerdotes, ut saltem quolibet mense his congregatis præter solitas casuum moralium conferentias, quas octavo quoque die præteriri nullo pacto feremus, Missalis rubricæ legantur, explicentur, & cæremoniarum praxis sive actio a directore in medium depromatur; sic facile & utiliter fiet, ut si quis in aliquo se aberrare cognoverit, emendationi a semetipso studuerit. Nostris votis obtemperent Sacerdotes, nec querantur postea, si minus aptos in cæremoniis inventos a Missa celebranda suspendemus. Hortamur tandem hujus civitatis, & suburbiorum Sacerdotes, ut & casuum moralium collationibus, & praxi sacrorum rituum, quæ singulis hebdomadibus in cathedrali Ecclesia haberi solent, sint frequentiores, quos majori ceu requisito pollentes, majori quoque in beneficiis conferendis gratificatione dignos reputabimus.

CAP.

CAP. XVI.

De Sacerdote seculari in Regularium Ecclesiis Missam celebrante.

QUædam extant festivitates sub ritu duplici Missam propriam habentes nonnullis Ordinibus Regularium, sive Monialium, non autem Clero seculari concessæ, nec in Missali Romano inductæ. Quam vero Missam legere debeat Sacerdos secularis celebraturus in aliqua Ecclesia Regularium, aut etiam Monialium, in qua fit de festo duplici habente Missam propriam, quæ non sit concessa omnibus, decrevit Sac. Rit. Cong. (*a*) his verbis: *Missam quidem dicat de festo sed cum Missali Romano; quæ quidem Missa cum non adsit celebrantis propria, dicenda est de communi Missalis Romani*, ut statuit eadem Sacr. Rit. Congr. (*b*) His concordat ejusdem & Sacræ Rituum Congregationis (*c*) generale decretum a san. mem. Clemente XI. approbatum, & in ejus bullario insertum, quo declaratum est, posse Confessarium, & Capellanum monasteriorum Monialium, quæ juxta suam regulam romano breviario non utuntur, Missam in honorem alicujus Sancti, cujus ipsæmet officium recitant celebrare, non tamen propriam Regularibus concessam, sed de communi, quæ habetur in Missali Romano: en verba ejusdem decreti in præfato bullario (*d*). *Licere in posterum tum Confessario tum Capellanis quarumcumque Monialium servitio addictis Missas Sanctorum, de quibus ipsæ recitant officium, celebrare, sed cum Missali Romano & de communi, non*

vero

(a) *Die 9. Junii 1668.*
(b) *Die 9. Novembr. 1622.*
(c) *Die 20. Novemb. 1717.*
(d) *Pag. 576.*

vero Missas proprias eorumdem Sanctorum variis Ordinibus a Sacra Congregatione concessas: & ita decrevit, & servari mandavit (*a*). Verum ex peculiari Sacr.Rit.Congr. indulto sub die 10. mensis Februarii 1727. concesso Ven. Monasterio Monialium S. Mariæ de Victoria ordinis Sancti Benedicti hujus civitatis, possunt cuncti Sacerdotes etiam seculares in festo ipsius S. Benedicti, & in earumdem Monialium Ecclesia Missam illius ordinis propriam celebrare.

C A P. XVII.

De Missæ inservientibus.

1. DEcens admodum & laudabile foret, si in quibusvis Ecclesiis Clerici mundis cottis induti Missæ privatæ ministrarent, ut quotidianus mos est in hac Metropolitana, & in aliquibus diœceseos locis. At quoniam id omni loco & tempore præsertim in Ecclesiis, quæ non sunt parochiales, obtineri nequit, non est cur omnes ad purissimo huic Sacrificio inserviendum admittantur, sed ii qui mediocri saltem sed munda veste amiciuntur. Quapropter nec sordibus infectos, nec laceros, nec discalceatos, nec manibus inquinatos ullo pacto Missæ volumus inservire. Cum ea quoque indecora & oculis aspera species sanctissimi Sacrificii reverentiam, & majestatem dedeceat. Volumus item, ut a Missæ Sacrificio ministrando immo & ab Ecclesia arceantur, quibus est caput opertum vel capitio, vel reticulo, vel calantica vulgo *berriuola*; nec nimium parvuli, quibus linguæ usus non est expeditus, nec dum competens ad ministrandum Sacerdoti aptitudo ad Missæ servitium recipiantur.

2. Mo-

(a) *Die* 20. *Novembris* 1717.

2. Monemus ſcholarum Magiſtros, ut majorem habeant addiſcentium curam, non ſolum eos in literis, & Dei timore erudiendi, ſed in iis etiam quæ ad Miſſæ Sacrificio rite inſerviendum ſpectant; atque in primis eos doceant, ut in Miſſæ initio genua flectant in plano a latere Sacerdotis, non in directum, ſed per diametrum retro diſtantes ſpatio circiter bipalmari, poſt vero finem introitus ad infimum gradum aſcendant, & flexis omnino genibus aſſiſtant, cumque ab uno ad aliud cornu altaris tranſeundum ſit, debitas genuflexiones non omittant.

Secundo ut celebranti Sacerdoti reſpondeant claris & integris, nullis omiſſis aut detruncatis verbis, non feſtinanter nec anticipate, ſed devote & tempeſtive. Nec facile credant de ſuis defectibus ſe purgantibus pueris ob nimiam (ut ferunt) celebrantium velocitatem, qui præcipue in introitu Miſſæ ocyus dicunt: huic namque malo, quod valde paucorum erat, ſatius occurriſſe & e medio ſuſtuliſſe niſi ſumus, nec fore ſperamus ut iterum germinet. Reliquum eſt ut Miſſæ inſervientes ſuum, uti decet, obeant munus, de quo magiſtrorum ſedulitatem & vigilantiam excitamus, ut a ſcholaribus plane faciant obſervari.

3. Tertio eos moneant, ut urceolos reverenter porrigant, parique obſervantia vinum & aquam infundant; numquam vero in ſecunda ablutione ſolam aquam, ſed cum aqua etiam vinum, quod eſt aptius ad abſtergendum. Tintinnabulum in ipſis Triſagii, & elevationum momentis, & non ante nec poſt pauculis ictibus pulſent.

4. Quarto ut biretum a Sacerdote in acceſſu ad altare manu accipiant, & in receſſu manu itidem porrigant, numquam vero ſuper Miſſale, nec quippiam ſuper menſam, aut altaris gradus reponant, ſed biretum, ampullas, pelviculam in loco ad id præparato & ab al-

tari

tari sejuncto collocent. Candelas nec tollant, nec extinguant antequam ultimum sit integre lectum a Sacerdote Evangelium, sed postquam ipsi responderint *Deo gratias* candelam prius capiant, quæ est in cornu Evangelii, dein alteram in cornu Epistolæ, & extinguant. Si vero contingat Sacerdotem sive euntem sive redeuntem a Sacrificio transire per altare ubi celebratur Missa, in qua elevatur vel tunc ministratur Sacramentum, Clericus sive minister genua flectat non procul sed prope Sacerdotem similiter genuflexum, & a dextris ipsius a quo statim accipere debet biretum, eique reddere, postquam Sacerdos celebrans deposuerit calicem super corporale seu communionem adstantibus ministraverit.

C A P. XVIII.

De altari, ejusque ornamentis, aliisque ad Missæ celebrationem necessariis.

ALtare, in quo Missa celebratur, lapideum sit oportet, & ab Episcopo consecratum: at si lapide non sit extructum, muro tamen pleno ædificetur, ibique saltem ara lapidea, seu ut dici solet, Sacer lapis ab Episcopo consecratus inesse debet, tantæque magnitudinis, ut commode hostiam & calicem capere possit, quæ tamen firmiter mensæ altaris inhæreat, & tantillum ut facile dignoscatur non multum emineat, ne calix offendat. Altare tribus albis tobaleis, quæ sint ab Episcopo vel a facultatem habente benedictæ contegatur, quarum Superior longa, duæ aliæ breviores, una tamen duplicata sat est, pallium sit & quantum fieri potest coloris festo & officio convenientis; super altare collocanda est Crux in medio cum simulacro bene compacto, aut imagine Chri-

sti Crucifixi, & candelabra saltem duo, nec plures quam duas candelas accensas in Missis privatis ulli præter Episcopos fas est adhibere, nec etiam Vicario Generali (*a*). Crux vero altitudine major esse debet candelabris. Ad Crucis pedem ponatur tabella Secretarum appellata, & pro majori commoditate altera tabella, in qua sit descriptus psalmus *Lavabo inter innocentes &c.* & altera Evangelii S. Joannis. In cornu Epistolæ cussinus supponendus Missali, qui nulli sit alteri usui addictus, ne quidem ut Episcopus genuflectat (*b*); & ab eadem parte Epistolæ valde pium erit si paretur cereus ad elevationem Sacramenti accendendus. Parva campanula, ampullæ vitreæ vini & aquæ cum pelvicula & manutergio mundo in fenestella, seu in parva mensa ad hæc præparata collocentur; super altare vero nihil omnino ponatur quod ad Missæ Sacrificium vel ipsius altaris ornatum non pertineat. Quas quidem ampullas ex fictili materia, itemque argenteas in Missis privatis adhiberi omnino vetamus, sed vitreæ sint, atque ab omni sorde purgatæ, ut facile aqua discerni possit a vino, & singulis diebus post Missarum celebrationem abstergantur, & in rastris ore inverso apponantur, cumque opus sit aqua & corticibus ovorum, seu granis hordei expolientur & mundentur.

TI-

(a) *Sacr. Rit. Congreg. 7. Augusti* 1717.
(b) *Vide Catalanum.*

TITULUS VII.

De Missarum oneribus.

UT piæ fidelium voluntates qui vel beneficii constitutione, vel fundationis lege, vel testamentaria dispositione, vel manualibus eleemosynis Missarum onera imponunt, suum undequaque sortiantur effectum, debitis potiantur stipendiis Sacerdotes, & quavis amputata erroris, fraudis, atque ignorantiæ causa in præfixis Ecclesiis, altaribus, tempore, ac Missarum numero, quibus devincti sunt, suæ faciant obligationi satis, nonnulla quæ magis obvia & opportuna visa sunt declaranda & decernenda censuimus.

C A P. I.

Perpetua Missarum onera quomodo suscipienda?

MIssæ perpetuæ onus quotidie, sive uno alterove die in hebdomadam celebrandæ a qualibet Ecclesia, Oratorio, vel pio loco nullo pacto in posterum recipiatur, nisi pro Missa perpetua & quotidiana assignetur dos, sive annuus reditus non minor ducatis sexaginta hujus Regni & duobus carolenis, itaut singulæ Missæ perpetuæ in hebdomadam ad rationem annui reditus ducatorum octo & carolenorum sex & non minoris recipiantur: quæ quidem dos, sive annuus reditus consistere debet in bonis stabilibus, explicitis, recognitis, & bene visis ab Ecclesiasticis Communitatibus sive Collegiatis, Rectoribus, administratoribus, aut aliis ad quos cura Ecclesiarum pertinet; qui tamen perpetua Missarum onera, præfatis ad-

huc circumſtantiis concurrentibus, acceptare prohibentur ſine noſtra, vel Vicarii noſtri Generalis conſenſu, & licentia in ſcriptis & gratis concedenda. Contravenientibus autem pœnam interdicti imponimus, aliaſque arbitrio noſtro. Obtentam inſuper licentiam in archivo Eccleſiæ uña cum aliis ſcripturis ad futuram rei memoriam ſervandam eſſe decernimus. Pecunias porro, vel bona mobilia cuicumque Eccleſiæ relicta cum onere perpetuo Miſſarum a die acquiſitionis ſtatim penes ſacrum pietatis montem in civitate, per diœceſim vero apud idoneam perſonam deponenda eſſe ſtatuimus, ad finem illas, ſeu eorum pretium in bonis ſtabilibus cum oneris expreſſione inveſtiendi. Nobis autem, ſive Generali noſtro Vicario inconſultis, & abſque permiſſu in ſcriptis exarato, ut ſupra, nemo inveſtire, aut quoquo modo diſponere præſumat ſub iiſdem pœnis paulo ante recenſitis.

C A P. II.

In quibuslibet Sacriſtiis adſit tabella cum deſcriptis Miſſarum oneribus, & libri in quibus Miſſarum ſatisfactiones a celebrantibus Sacerdotibus adnotentur quotannis viſitandi.

1. UT cujuſcumque vel minimæ fraudis ſuſpicio ablegetur, & Miſſarum obligationibus integre ſatisfiat, pendeant e conſpectu in Sacriſtiis tabellæ in quibus omnia Miſſarum onera adnotata ſint. Illas autem in unaquaque Eccleſia infra duos menſes ab hujus decreti promulgatione ab his, quos in hac Synodo ad id muneris deſtinabimus, inſpectis tabulis, & quorum intereſt vocatis confici de novo mandamus, adnotato etiam fundatorum nomine, rogituque Notarii una cum heredibus, ſive aliis qui

qui ſolvere tenentur (quos prout mutari contigerit, mutari quoque in tabella neceſſe eſt) deſcriptis etiam onerum qualitatibus, & circumſtantiis, ſitne ex legato vel beneficio, perpetua, vel temporanea cum diei altariſve præfixione, vel ad libitum. Eorumque omnium exemplar ad Cancellariam noſtram tranſmittendum, ut in libro ad id apparato univerſaliter regiſtrentur; poſtea in cujuslibet reſpective Eccleſiæ archivo fideliter conſervandum decernimus.

2. Tabellis ut ſupra deſcriptis reſpondeant libri, in quibus dietim ipſorum Sacerdotum celebrantium charactere nomine & cognomine celebratæ Miſſæ adnotentur, ut ſic comparato cum tabellis libro piorum fidelium voluntates nullo pacto in irritum abire poſſint: & duo quidem libri cum opus ſit conficiantur, & accurate cuſtodiantur, alter in quo perpetua Miſſarum onera, alter in quo manuales & adventitiæ Miſſarum eleemoſynæ, & celebratæ Miſſæ ſcribantur. Eccleſiarum autem Rectores ſive Capellani, aut Sacriſtæ præfatos libros ad nos ſive deputatos vel deputandos a nobis ſuper ſatisfactionem ipſarum ſingulis calendis Septembris afferant pro reviſione ſub pœnis arbitrio noſtro. Quod idem ſervari volumus in adnotatione Miſſarum montium Defunctorum; habeant enim adminiſtri vulgo *Montiſti* librum, in quo ſinguli Sacerdotes Miſſam pro aliquo defuncto celebrantes manu propria ſuum nomen & cognomen deſcribant: expleta vero Miſſarum ſatisfactione & adnotatione liber ſub ſera cuſtodiatur, & quotannis pro reviſione ut ſupra exhibeatur. Quicumque autem (quod avertat Deus) ſe celebrare falſo ſcripſerit, vel falſam fidem fecerit, ſit ipſo facto per tres dies immediate ſequentes a celebrando ſuſpenſus.

CAP.

CAP. III.

Ubi, & quando præscriptæ sunt Missæ, ibidem & eo tempore celebrentur. Et quid de Sacerdote onus habente Missam quotidie celebrandi, an aliquando vacare possit?

CErta Ecclesia aut altari a fundatoribus, ceterisque benefactoribus pro Missarum celebratione assignato, proprie haud se satisfacere obligationi sciant heredes, seu Capellani, qui ab eorum voluntate recedentes de Ecclesia aut altari satis non sunt solliciti, quemadmodum & eos, qui altera die quam ea, quæ designata fuerit, Missas celebrare præsumserint. Si vero aliquo tempore duraturum impedimentum occurrerit, quominus in Ecclesia, altari, aut statis diebus Missæ celebrari queant, illud Nobis, sive nostro Generali Vicario cum suis circumstantiis exponatur, qui prout exposcit necessitas declarabimus quid facto opus sit, ne Missarum celebrationes ullatenus prætermittantur. Meminerint tamen Sacerdotes, iis dumtaxat, qui onus habent per seipsos quotidie celebrandi concurrenti aliqua rationabili causa aliquando vacare permissum esse. Diebus vero licitæ vacationis nec pro seipsis, nec pro aliis celebrare licet, ut videre est in decretis Sacræ Congr. Conc. in appendice apponendis.

CAP. IV.

De manualibus eleemosynis pro Missarum celebratione.

MIssæ manualem eleemosynam non minorem esse caroleno Neapolitano in hac nostra Synodo decer-

cer-

cernimus, atque declaramus: & quamvis antehac eorum habita temporum, currentisque tunc monetæ ratione, tarenus ut vocant Siciliæ pro unius Missæ celebratione erogaretur, Nos in hac Synodo justis de caussis cujuslibet Missæ stipendium manuale minus caroleno accipiendum vetamus, & in Missis celebrandis sacrorum montium defunctorum antiquam dispositionem servandam esse sancimus: novis tamen jamdiu concurrentibus circumstantiis ab anno 1743. qui contagii caussa huic fatalis Urbi, & Diœcesis parti, non sine dolore memoratur, manuales quoque sacrorum Montium eleemosynæ ad carolenum usque assentientibus & approbantibus Nobis, augeri cœptæ sunt, quas similiter ceterasque posthac manuales eleemosynas ad rationem unius caroleni pro qualibet Missa a sacris montibus defunctorum ecclesiasticis communitatibus, & quibuscumque benefactoribus elargiendas esse statuimus & declaramus. Memores tamen sint Sacerdotes, quibus Missæ celebrandæ traduntur, uberius stipendium recipientes nequire se alteri celebrandas committere collato illi minori stipendio, alia parte sibi retenta *(a)*, etiamsi alter Sacerdos sciens volens consenserit *(b)*; nec duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem *(c)*; nec tandem unam stipem pro fructu satisfactorio, alteram pro impetratorio *(d)*. Acceptis vero pro Missarum celebratione eleemosynis caveant

(a) *Vide propositionem nonam ab Alex. VII. damn.*

(b) *Sacr. Cong. Conc. in Rom. eleemos. 23. Augusti 1664. in lib. 24. decr. pag. 246. Bulla Bened. XIV.*

(c) *Vide prop. 8. ab Alex. VII. damn.*

(d) *Sacr. Congr. Conc. 13. Decembr. 1659. apud Fagn. in Comment. cap. Fraternitatem num. 97. de sepultur.*

veant Sacerdotes nova celebrandarum Missarum onera suscipere, nisi prioribus satisfecerint, aut infra modicum tempus possint omnibus satisfacere (*a*). Quod sane modicum tempus neque ad duos menses, neque ad tres pariter menses protrahendum esse, sed infra mensem consulta Sacra Congregatio Concilii respondit (*b*). Hinc præcipimus, ut cum aliquis Missarum numerus ab ægrotantibus relictus per manuales eleemosynas sit post mortem persolvendus juxta piam eorum voluntatem, & non aliter adimpleatur. Idque scientes Parochi, vel Confessarii quamprimum nobis de Missarum numero relictarum, & intra quale tempus earum satisfactio ponenda sit denunciare teneantur, ut animabus eorum qui Missas celebrandas reliquerunt, provide consulamus, neve Sacerdotes aliis Missarum oneribus gravatos novis ultra vires gravari contingat.

TITU-

(a) *Vid. decr. Urbani VIII. de celebrat. Miss.*
(b) *Julii* 1655. *ut in lib. decretor. pag.* 497.

TITULUS VIII.

De exequiis, et sepulturis.

INjurii naturæ habiti sunt, qui honorem funeris & sepulturæ olim neglexerunt, quos inter Lotophagi amicorum corpora in mare jactabant, Sabæi Principum etiam cadavera in sterquilinium proiiciebant, Scythæ honoris & benevolentiæ gratia cadavera eorum quos diligebant, inter epulas devorabant, & Hircani, vel Messagetæ canibus aut feris ea objiciebant. Hi vero omnes execrabiles sunt, inhumani, & belluini: nihil enim magis naturæ consonum, quam honorem mortuis exhibere corporibus, & decenter in sepulturis tumulari: apud veteres quippe magna fuisse in æstimatione sepulturas sacris est literis commendatum, sic Abraham legimus emisse agrum quadringentis siclis in quo erat spelunca ad sepeliendam Saram; sic Josue post tot triumphos & victorias sepultum fuisse in Tamnathsare sive civitate Solis, sic de sepulcro Moysis Dominum eum sepelivisse in valle Moab, quod Lyranus, Cajetanus, & alii factum putant ministerio Angelorum funus cum solemnitate efferentium. At in novo testamento magnam habet pia mater Ecclesia rationem sepulturæ fidelium. Illi quidem veteres poterant sibi locum eligere ad sepulturam, nunc vero Christifideles communem habent & sacratum in Ecclesia. Hoc autem fit propter fidei & Sacramentorum reverentiam, & caritatis commendationis & vinculum.

C A P. I.

Ecclesia fidelium in Christo obeuntium funeris, & sepulturæ decus instituit, quæ sunt sacris ritibus religiose custodienda.

1. SEpulcra pro Christifidelium in communione sanctæ matris Ecclesiæ decedentium condendis cadaveribus habet Ecclesia, in eisque de more extructis & profundis sunt tumulanda cadavera cum sacris cæremoniis & ritibus, quibus ex antiquissima traditione, & summorum Pontificum institutis sancta mater Ecclesia catholica in filiorum suorum exequiis uti solet: ea siquidem tamquam vera religionis mysteria Christianæque pietatis signa, & fidelium mortuorum saluberrima suffragia summo studio servari debent, atque usu retineri. Cum autem, ut subdit Rituale Romanum, antiquissimi ritus ecclesiastici sit cereos accensos in exequiis & funeribus deferre; caveant Parochi ne hujusmodi ritus omittatur, ac ne quid avare aut indigne in eo committatur, pastoralis nostri muneris est vires omnes intendere, ut hujusmodi Ritualis Romani dispositio in rem sedulo conferatur. Non latet ab ipsis Ecclesiæ primordiis cereorum fuisse lumina in funeribus adhibita. Pontius divi Cypriani Diaconus qui floruit anno 250. & insigne volumen scripsit de vita, & passione ejusdem, teste D.Hieronymo de scriptoribus ecclesiasticis in actis martyrii ipsius Divi Cypriani prope finem sic habet: *Inde cum cereis, & scholaribus in arca cujusdam Candidi Procuratoris magno triumpho sepultum est*. Accedit S. Gregorius Nyssenus quarti seculi scriptor, qui de hac facium pompa in funere Meletii sequentibus verbis meminit. *Quomodo utrinque quasi ignei omnes continentibus facibus tractu*

con-

continuo perpetuoque fluentes quoad oculi longissime prospicere possunt, porrigebantur. Tandem S. Hieronymus D. Gregorio Nysseno Synchronus in Epithaphio Paulæ Matris ad Eustochium virginem sic pompam funebrem describit: *Translataque Episcoporum manibus & cervicem feretro subiicientibus, cum alii Pontifices lampades cereosque perferrent, alii choros psallentium ducerent, in media Ecclesia speluncæ Salvatoris posita est*. His & aliis quæ congeri possent momentis accensorum hanc cereorum delationem in exequiis, & funeribus longissimo abhinc temporis spatio initium sumsisse nemo non videt: sed quoniam cujuslibet sodalitii Confratres hujus Civitatis, aut Diœcesis, cum vocari contingat, in cadaveribus associandis accensas manibus deferre faces soliti sunt: nonnulli etiam pluribus, seu paucioribus accensis intortitiis quæ in scamnis aptata sunt suorum faciunt comitari cadavera defunctorum, ceterique Ecclesiastici hujus ritus obliti sine luminibus ad Ecclesiam transferri patiuntur, Parochis omnibus tum Civitatis tum Diœcesis mandamus, ne fieri permittant exequias, & funera mortuorum sine cereis accensis, quorum numerus pietati & devotioni eorum, qui providere debent relinquitur. Ut autem pauperibus, quibus mortuis parum aut nihil superest, ut propriis impensis humari non possint, consulamus, quemadmodum gratis omnino sepeliuntur, sic debita lumina suis impensis si opus fuerit adhibeant Sacerdotes, ad quos defuncti cura pertinet, vel aliqua pia Confraternitas si fuerit (*a*), quam hic esse volumus sanctissimi Viatici societatem, quæ duos cereos sive candelas e domibus accendendas cum ad Ecclesiam effertur cujuslibet noti pauperis in civitate obeuntis cadaver, subministret, eidem

(a) *Ritual. Rom. tit. de exequiis.*

ſocietati peracta functione reſtituendos , ſublato in his ſuper cereis ſive candelis quocumque jure tum Eccleſiæ tumulantis , tum quartæ funeralis . In locis Diœceſis, ubi adeſt SS. Sacramenti , vel alia Confratrum ſodalitas , eadem ſervetur pro pauperibus defunctis diſpoſitio; & in ſubſidium provideant Parochi .

2. Præſcribitur inſuper in dicto Rituali ſub titulo *exequiarum ordo* , ut in cadaverum delatione Parochus ſit indutus ſuperpelliceo & ſtola nigra , vel etiam pluviali ejuſdem coloris , tandem ut præferatur Crux , & pſalmi decantentur : *Prælata Cruce , pſalmos ut infra decantantes , Parocho præcedente feretrum cum luminibus :* quæ non dubii ſumus, quin de more cum funeris impenſæ pro mortuis Parocho perſolvuntur , tum in hac civitate tum in diœceſi penitus obſerventur . At quemdam irrepſiſſe abuſum comperientes , cadavera ſcilicet pauperum qui gratis funerantur ſine pſalmorum cantu ad Eccleſiam deferri , eaque item pauperum a nobilibus ſodalibus Chriſti Crucifixi , qui eximia ceteroqui caritate etiam ſuper humeros feretrum cum cadavere geſtant , pauco abhinc tempore neſcimus quomodo ſine Sacerdote cum ſuperpelliceo , & ſtola ad Eccleſiam ſepelienda efferri ; cunctis reſpective Parochis , vel Capellano hoſpitalis diſtricte injungimus , ut præſcripti cantus ritus in nullis exequiis & funeribus vel mortuorum , qui paupertatis intuitu abſque ullo impendio tumulantur , prætermittatur , ſatis namque fieri poteſt , ut Parochus cum Sacriſta , vel Clerico quoad fieri poteſt conſtitutos pſalmos decantent aut recitent. Præfati vero ſodales Caritatis appellati pium opus laudabiliter inchoatum, laudabilius, ut paterne adhortamur, proſequantur, & pari pietate atque ædificatione perficiant , accito Parocho illius Paræciæ , in cujus finibus mortuus ad Eccleſiam transferendus pro ſepultura reperitur,

ritur, aut alio Sacerdote quem maluerint, ut in cadaveris gestatione psalmorum cantus officium cum interventu Ecclesiæ ministri pro anima illius rite exsolvatur.

3. Aliud remanet magis grave Ritualis præceptum, ut Missa præsente corpore defuncti pro eo celebretur (*a*) antequam sepulturæ tradatur, quæ etiam die festo celebrari poterit, haud tamen conventuali Missa, & divinis officiis impeditis, nec magna diei celebritate obicem faciente. Tanti enim antiquissimum hunc ritum habuere nonnulli, ut decernente Innocentio III. (*b*): *Excepto die Nativitatis Dominicæ, nisi causa necessitatis suadeat, sufficit Sacerdoti semel in die unam Missam solummodo celebrare; glossa super verbo necessitatis subdit posse alteram celebrari Missam si aliquis moriatur, sed quam dicit necessitatem? Respondeo si celebravit de die & postea etiam moriatur aliquis &c. unde potest unum celebrare de die & aliam pro defuncto*. Inveteratam hanc opinionem temperarunt aliqui sequentibus verbis, quæ depromsimus ex Benedicto XIII. (*c*): *Ammetto ben io per antiquata questa opinione, ma colla modificazione, purchè non accada il caso della sepoltura di un cadavero in dì festivo, e in qualche Parrocchiale servita da un solo Sacerdote; poichè allora giusta il Canone d'Innocenzo III. nel* 212. *fondato nelle parole*, nisi causa necessitatis suadeat, *audacter insegno, che il Prete digiuno però debba celebrare due Messe una della festa corrente, e l'altra da morto per l'anima del presente Defonto; massime avendo io rivocato in usanza nella mia Diocesi l'antichissimo rito di non seppellirsi mai cadavero alcuno senza il divin sacrifizio*. Quem tanti Pontificis

(a) *Tit. de exequiis.*
(b) *In capite Consuluisti de celebr. Missar.*
(c) *Serm. 6. Secundi Trigesimi de Purgat.*

tificis sensum summa qua decet veneratione prosequimur, non autem id in praxim deducendum per nostram Diœcesim ullo pacto audemus, & satis contenti essemus, si eodem obitus die alterove cum circa vespertinum tempus deferuntur cadavera, nulla defunctorum anima in nostræ Diœcesis ambitu pro sui suffragio unius saltem Missæ sacrificio careret. Exploratum Nobis est non unam sed plures in die obitus plurimasque missas in sequentes dies celebrari, valde paucos esse, qui mox defunctum sine unius Missæ suffragio relinquunt: nec tamen hoc perferendum, ut bene gestum a pluribus oppido pauci contemnant; ea propter Parochis mandamus ut antiquissimum & religiosissimum hunc Ecclesiæ ritum in memoriam revocent dilucide ex iis, quæ capite sequenti subnectemus suis Parochianis explanent, eosque totis animi motibus ad pie observandum moneant & hortentur. Animabus pauperum, qui licet in miseriis destituti, in sinu tamen Sanctæ matris Ecclesiæ decedunt, unius ope sacrificii in singulas ex eleemosynis, quas a benefactoribus de nostri permissu pro animabus Purgatorii colligunt quæstores alicujus Confraternitatis, subveniri præcipimus: & in loco, ubi non adest Confraternitas, suppleat Confraternitas vicina; æquum enim pium ac Deo acceptum est, ut pro qualibet anima christianæ pietatis indiciis mox è corpore egressa singulari sacrificio quantocyus apud Deum intercedatur: eo sane consilio & fiducia, ut divinæ largitatis munere, dicente Domino (*a*): *Beati pauperes; quia vestrum est regnum Dei*, dimissa sibi pœna in Purgatorio eluenda, ad perennem Cæli gloriam cito valeant pervenire.

CAP. II.

(a) *Lucæ 6.*

CAP. II.

Explicantur ritus & cæremoniæ in mortuorum exequiis.

SAcri ritus, qui in fidelium funere & sepultura adhibentur, mysteriis pleni sunt, quorum significationem strictim percurrentes Parochis & Cathechistis onus imponimus fusius explicandi. Primo aqua benedicta aspergitur funus, ut significetur defunctum qui in Baptismate Christi fidem suscepit, in ejus fide è vita cessisse, & quia lustralis aqua diabolum fugat a funere. Secundo thus adolemus, ut pro defuncto pias Deo preces, & caritate succensas in odorem suavitatis nos offerre significemus. Tertio pulsantur campanæ ad significandum Angelicæ tubæ sonum, quo mortui ad judicium evocantur, sicut campanæ sono accitur corpus ad sepulcrum: est vero hic sonus lugubris quasi excitans ad orandum pro mortuo, & ad mortis meditationem, & ob eandem causam lugubrem cantum adhibemus, ut ad compassionem excitati defuncto peccatorum veniam impetremus; & hæc fuit antiqua Ecclesiæ disciplina, de qua D. Dionysius (a) si illius genuina sunt auctoris opera, aliique Patres. Quarto luminum usus significat defunctum fidei lumen in Baptismo acceptum in finem usque vitæ conservasse, & cum gratiæ lumine interiisse, gloriæque lumen nos ei optare & apprecari. Quinto Crux præfertur, quia cum viveret sub Crucis vexillo militavit; unde oramus ut meritorum Crucis, devicto erebo, jam particeps fiat, æternamque in Cœlis gloriam assequatur. Denique Clerus, & magnus hominum numerus comitantur, ut pro illius anima orent, utque denotetur justorum animas ab

(a) *Lib. de Cælest. Hier. cap. 7.*

ab Angelorum choris deduci. Quorum omnium principaliores ritus a Sacra Rota Romana apud Molines ejusdem Rotæ Decanum habes in appendice.

C A P. III.

De exequiis parvulorum juxta regulam Ritualis Romani, & non aliter celebrandis; eorumque sepultura.

QUomodo sint parvulorum exequiæ celebrandæ, indigitat Rituale Rom. (*a*) cujus ritum juxta vetustam, & laudabilem Ecclesiarum consuetudinem in omnibus observandum & retinendum esse decernimus. Cum autem, sicut accepimus, in aliquo Diœcesis loco decedentium corpuscula parvulorum, vestibus licet ornatuque tenellæ eorum ætati congruis, & cum florum corollis palam ad Ecclesiam sine Parochi, aut alterius de ejus licentia Presbyteri comitatu humanda transferuntur, id quod Ecclesiæ ritui adversatur, acriter inhibemus, ne in posterum Parochi id fieri permittant, deque eorum permissu, sive conniventia pœnas dabunt arbitrio nostro. Alter vero eorum non est ferendus abusus, qui vita functos, ne debita funeris emolumenta persolvantur, eorum cadavera clanculum ad Ecclesiam deferunt. Quo quid absurdius? & a piæ matris Ecclesiæ in suos filios sensu magis alienum? si pauperes sunt, mortuorum puerorum genitores, aut sanguine juncti, quis prohibet ut è conspectu ad Ecclesiam eorum corpora bajulentur, & gratis omnino sepulturæ tradantur? At si revera haud pauperes sunt, fraus est & injustitia Ecclesiæ ministros diu noctuque eorum servitio in spiritualibus temporali stipendio,

(a) *Tit. de exequ. parvul.*

dio, quod omni jure debetur, callidis artibus defraudare. Hactenus dicta suis Parochianis, qua par est caritate & advertentia, ne videantur avare sapere & pecuniis inhiare, opportunitatem Parochi nancifcentes explicare conentur. Sepultura vero pro parvulis non sit omnibus communis, in qua etiam grandes humantur, sed separata ab aliis & solum infantibus baptizatis, & queis ante annos discretionis obire contingit addicta: ubi vero in aliqua Ecclesia parochiali forte non reperiatur, curet Parochus ut quoad fieri potest quamprimum ædificetur.

C A P. IV.

Pium & laudabile demortuos seculares religioso habitu contectos sepeliri. In Sacris constituti obeuntes sacris vestibus eorum ordini congruentibus, imposita Canonicis mitra, induantur, ac tumulentur; Clerici superpelliceo. Sacerdotes extra mœnia Cathedralis Ecclesiæ communitati adscripti in eorum funere, ut ceteri Civitatis habeantur quoad exemtionem jurium tum Sacristiæ, tum feretri.

Pietati consonum & commendabile est seculares defunctos sacro alicujus Religionis Ordinis habitu indutos sepulturæ mandari singularis devotionis causa, qua illius Religiosi Ordinis Sanctum aliquem, dum viverent præ ceteris colebant. Hoc tamen locum habere nequit in defunctis Ecclesiasticis secularibus, præsertim Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis, quorum corpora, ut a Ritualis Rom. (*a*) ordinatione cui parendum est, non recedatur, sacris amicta indumentis suis è domibus ad Ecclesiam & transferenda sunt & humanda in sepulcro

R ab

(a) *Tit. de exequiis.*

ab iis laicorum separato. Quapropter caveant Parochi, Superiores Ecclesiarum Secularium, & Regularium & quoquo modo exemtarum Sacristæ, aliique, ad quos spectat, ne deinceps Ecclesiasticorum secularium cujuslibet Religionis, aut Confraternitatis habitu vestita cadavera ad Ecclesiam ferri aut exponi permittant, sed cuique juxta sui ordinis rationem sacris respondentibus vestibus, violacei coloris induantur exponantur sepeliantur, sub pœna amissionis cujuscumque obvenientis emolumenti ratione exequiarum & funeris, aliisque arbitrio nostro. Nostræ Cathedralis Canonicis defunctis loco bireti imponatur mitra, quod est peculiare eorum insigne a feliciter regnante Summo Pontifice Benedicto XIV. concessum. Tandem Clericorum cadavera cum superpelliceo super vestem talarem & bireto ad Ecclesiam sepelienda efferantur. Presbyteros extra muros civitatis degentes, & Cathedralis hujus Ecclesiæ communitati adscriptos, tamquam alios hujus civitatis Sacerdotes dictæ communitati aggregatos, in eorum suorumque parentum funere tractandos, nec in posterum jura Sacristiæ, & feretri ullatenus pro iis, eorumque patre & matre persolvenda fore decernimus.

C A P. V.

De non ædificandis de novo sepulcris, nec alienandis, neque fodiendo Ecclesiæ pavimento sine nostra licentia; qua obtenta quomodo, & ubi ea construantur; de eorum lapidibus, cadaveribus in Ecclesia condendis, necne.

1. SIne nostro legitimo permissu in scriptis obtento nulli liceat in Ecclesiis, quæ Nobis subsunt, novum

vum ſepulcrum conſtruere, vel conſtructum alienare: nova autem ſepulcra per fornices extruantur, quod idem ſervetur, cum pavimentum effoditur pro aliquo cadavere de noſtri licentia ibi ſepeliendo, ne curvo ſinu pavimentum flecti contingat, nec in iis cadavera ſepelienda, niſi prius ſepulcra recens extructa benedicantur, quæ tamen in Choro, aut Presbyterio eſſe nequeunt, & a cujuſvis etiam minoris altaris pradella oſtium ſepulcri tribus ſaltem cubitis diſtare debet. Lapidea cujuslibet ſepulturæ tegumenta, ſicut & annuli ferrei ſive ænei iis inſerti, ſolo ita debent æquari, ut ne minimum quidem promineant: nonnullos oſtio ſepulcri paulo altiores tum lapides tum annulos repertos melius reaptari, & ad pavimenti æqualitatem deprimi, & interius reſpective infigi, ne incedentium pedibus offendiculo eſſe poſſent, in ſancta viſitatione mandavimus, & latum decretum iterum confirmamus. Neque fas eſſe decernimus Eccleſiæ pavimentum effodi poſſe pro aliquo ſepeliendo cadavere abſque noſtra conceſſione, & niſi perſoluta prius conſueta eleemoſyna illi vel aliis Eccleſiis applicanda. In ſepulcrorum lapidibus neque Sanctorum imagines, neque ſanctæ Crucis ſignum ſculpantur, ne pedibus conculcentur; & ſi in aliquo ſculpta ſint infra ſpatium duorum menſium a publicatione præſentis decreti deleantur ſub pœna arbitraria (*a*).

2. Quoniam autem evenire quandoque poteſt, ut antehac eveniſſe Nobis innotuit, quod in condendis de novo, aut reſtaurandis ſepulcris apponantur inſcriptiones, quæ incongruitate verborum legentium oculos offendunt, pœnali decreto obliterationis earumdem, & ducatorum vigintiquinque exſolvendorum a Rectoribus, ſive admi-

(a) *Vid. Synod. 2. Matth. de Januar. tit. 7. de exequ. & ſepult.* §. 10.

nistris Ecclesiarum, ubi tales inscriptiones exaratæ inveniuntur, & piis usibus a Nobis applicandorum sancimus, ne deinceps in lapidibus sepulcralibus quomodolibet sculpantur epithaphia, seu inscriptiones, nisi prius eorum exempla ad Nos deferantur, ut recognoscamus, an valeant nostram in scriptis, quæ gratis concedenda erit, approbationem promereri.

3. In Choro, aut Presbyterio non condatur novum sepulcrum & a cujusvis etiam minoris altaris pradella ostium sepulcri tribus saltem cubitis distet, ut superius etiam sancitum est, alias altaria ipsa cum sepulcris interdicentur. Infantes in utero matris intereuntes idem habeant cum matre cujus partes sunt sepulcrum, quo nec privandi sunt, de quorum baptismi validitate aliquando dubitari contingat. Pro infantibus sine baptismo decedentibus Parochi ad populi notitiam deducant haud eis sacrum in Ecclesia locum deberi; attamen prope eam destinent. Ecclesiastica omnino careant sepultura ii, qui enumerantur in Rituali (a) præcipue publice excommunicati, quibus non fuerit prius impertita absolutio.

C A P. VI.

De non efferendis noctu cadaveribus sine licentia eorumque limitatione. Viri & mulieres commonentur, ne ultra meridiem defunctorum consanguineis frequenti visitatione doloris, & consolationis officia exhibeant. Inane prorsus luctus causa barbam intonsam relinquere ostenditur.

SIcut de nocte quamcumque duci Processionem vetuimus, sic pariter cadavera ad Ecclesiam noctis tempore

(a) *Tit. quib. non licet dari Ecclesiast. sepult.*

pore deferri prohibemus: accedente tamen nostra licentia non aliter nisi usque ad secundam noctis horam concedenda volumus, ut plures, vel saltem una campana eo tempore quo effertur cadaver pulsetur, duodecim saltem intortitia circa cadaver eluceant, Parochus, & Sacrista, aliique associantes tum seculares tum regulares Sacerdotes psalmos per viam de more canentes duplici gaudeant stipendio. Viros autem & mulieres vehementer adhortamur, ne ultra diei medietatem spissas faciant ad mortui consanguineos, & respective consanguineas visitationes. Barbam solito magis protrahere nec vivis nec mortuis quidquam prodest: juvantur enim mortui precibus & eleemosynis non excedentis mœstitiæ signis, nec barba promissa.

C A P. VII.

In sacris solemnitatibus dum tota civitas pretiosa mobilia e fenestris pendentia depromit, indecorum est causa alicujus jam præmortui consanguinei, ab iis depromendis abstinere, & pietati dissonum ad Ecclesiam, ubi suorum consanguineorum cadavera condita sunt non accedere. In personas qui in alicujus obitu capillos avellunt, aut genas dilacerant, latæ sententiæ excommunicatio Nobis reservata infligitur.

MOrem illum inductum, quem tenent nonnulli, obitus caussa alicujus consanguinei a tempore luctus, seu ut vulgo vocant *di visito* usque ad plures menses, & forte annum ab externa communique hilaritatis significatione in sacris, & solemnioribus Ecclesiæ festivitatibus abstinentes, in quibus alii è converso exteriori etiamnum, & se-

& festiva ostensione e domibus & fenestris pendentia ditiora mobilia pie & laudabiliter expandunt, facesque laternasque accensas per aliquot noctis horas de foris splendescere faciunt, cordatorum virorum calculo approbare non possumus. Abusum vero, licet mox aliqua parte attenuatum, ad Ecclesias, ubi consanguineorum corpora sepulta sunt, non discedendi reprobamus & condemnamus, eas immo ubi mortui propinqui in sepulcris absconduntur crebrius adire oportet, ut cariorum mortis recordatione edocti orationibus, & sacrificiis cuncti in auxilium animabus præsto forent, vitamque & mores sano consilio in melius commutarent. Contra quascumque personas, quæ in consanguineorum interitu capillos avellunt, aut maxillas dilacerant, latæ pœnæ in prædecessoris nostri Archiepiscopi Matthæi de Januario Synodo, & in hac nostra iterum confirmantur.

C A P. VIII.

Funebrem orationem in qualibet Ecclesia fieri sine nostra licentia probibemus.

FUnebrem orationem in laudem alicujus demortui viri, sive matronæ, quæ eximie vivens utcumque virtute floruit, & pietatis exempla posteris imitanda reliquit, in quibusvis Ecclesiis etiam Regularium tum civitatis tum diœcesis, & a quocumque etiam Regulari oratore interdicimus recitari, nisi antea personæ & virtutum qualitate librata Nobis annuere visum fuerit.

TIT. IX.

TITULUS IX.

De Sacrosanctis Ecclesiis.

NUlli dubium, quin ſacra templa elegerit Deus ampliſſimæ ſuæ majeſtatis & beneficentiæ velut habitacula, quo fideles ad eum colendum, preces effundendas, & miſericordiam implorandam majori fiducia convenirent: *Suſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio templi tui*. (a) Quinimmo divinæ miſericordiæ multitudinem, & redundantiam uberius in ſacra templa diffluere idemmet Propheta teſtatur, *Ego autem in multitudine miſericordiæ tuæ introibo in domum tuam, adorabo ad templum ſanctum tuum*. E contra pro miſericordia Dei ultionem expectent, qui ſacris honorem & reverentiam templis non exhibent, & multimode violare non erubeſcunt, dicente Ezechiele Propheta, *Pro eo quod ſanctum meum violaſti non parcet oculus meus*. Et Chriſtus Dominus qui malorum commiſereri, peccatoribus ignoſcere, & cunctis benefacere ſolitus erat, cum vidit in templo Jeruſalem vendi a mercatoribus oves, boves, & columbas, quibus utebantur homines in illius temporis ſacrificiis, fecit flagellum de funiculis, & ejecit omnes de templo. Quo facto terreri & pavore concuti debemus omnes, & ea qua decet tum corporis modeſta compoſitione, tum animi pia demiſſione ſacroſanctas Eccleſias ingredi, eaſque ibi manendo quammaxime honorare, ne in dies ſuccreſcentia flagella, quæ oculis noſtris non ſine mœrore obverſantur, amplius divexent ac terreant.

CAP.I.

(a) *Pſalm.*47.

CAP. I.

Ordinationes in præteritis, & in hac noſtra Synodo circa templorum reverentiam innovantur. Conſtitutio S. Pii V. contra eos, qui multimode templa inhonorant recenſetur, aliaque irreverentiæ ſigna omnimode prohibentur.

UT religioſus cultus pietas & modeſtia in ſacris templis rite cuſtodiatur, omnes & ſingulas canonicas diſpoſitiones, & quæ in Prædeceſſorum noſtrorum Synodis ſancita ſunt innovantes in hac noſtra confirmamus, & omnino ſervari præcipimus ſub pœnis ibi expreſſis, aliiſque majoribus arbitrio noſtro pro facti, ac delictorum qualitate infligendis. Et in primis vetitum ſit omnibus juxta conſtit. S. Pii V. quæ incipit, *Cum primum*, & ſub pœnis ibi contentis, per Eccleſiam deambulare, curſitare, nugari in circulis, aut cum mulieribus præſertim ſuſpectis colloquia habere, obſtrepere, negotiis ſecularibus vacare, cachinnari, eoque magis verbis inhoneſtum quid moliri, aut ſigna profani amoris patefacere, (*a*) nec pauperibus petendæ cauſa eleemoſynæ Eccleſiam circuire permiſſum ſit (*b*), ne orantes moleſtia afficiant.

Sacri-

(a) *Vide Canon. Odi. 28. q. 1. ibiq. Gloſſam, ſed ſuas.*

(b) *Pauperes impediri debere a petenda ſtipe in Eccleſiis plures Rom. Pontif. juſſere, cum primis S. Pius V., Clem. XI., Bened. XIII. & Sanctus etiam Carolus pluries præſcripſit; quod examuſſim Romæ viget, ubi pauperes ante fores Eccleſiarum catervatim eleemoſynam petunt; lege hac de re Muratorium in libello* della Regolata divozione *cap. 10. pag. 115. ubi & de canibus queritur.*

Uſum ſtandi pauperes ante fores ex antiquo etiam Hebræorum more arceſſit doctiſs. Catalanus in Comment. ad Can. 25. Lugdun. 2. num. 27. & 28. tom. 4. Concil. generalium. Actor. 3. claudum a D. Petro curatum quotidie ad portam templi, quæ dicitur Specioſa, ut peteret eleemoſynam ab introeuntibus in templum poni conſueviſſe refert D. Lucas. Idem obſervat.

in

Sacristis vero cura sit eos ab Ecclesia amandare, & monere ne in posterum ad hunc finem Ecclesias ingrediantur, sed ante januas consistere contenti sint eleemosynas a fidelibus petituri. Fonti in quo aqua lustralis asservatur, vel altaribus inniti, super his brachia, humeros, pileum, aut pannos imponere, in sedibus confessionalibus assidere, uno tantum flexo genu Missæ assistere, aut coram sanctissimo Eucharistiæ Sacramento orare, illi terga vertere, eoque minus coram illo irreverenter sedere sit pariter interdictum (*a*).

C A P. II.

Mulierum locus in Ecclesiis ab illo virorum sit sejunctus.

NUllus virorum audeat in Ecclesia locum mulieribus addictum adire, minusque ibi consistere, vel vultum ad eas conspiciendas studiose convertere, sed feminæ a viris, quoad ejus fieri potest, segregatæ remaneant tempore præsertim sacrarum concionum, & dum divina porrigitur Synaxis; itaut quælibet in Ecclesiis virorum cum mulieribus indecens loci colloquii, ac etiam obtutus communicatio e medio tollatur (*b*). Qui mos quam

S ve-

in primit. Eccles. Chrysost. Hom.28. ad Pop. Antioch.: Ante Ecclesias præ foribus pauperes sedeant, ut nos ex hujusmodi spectaculo capiamus multum utilitatis.

(a) *De Ecclesiar. venerat. vid. Can. 25. Conc. Lugd. 2. & commentar. in eum Josephi Catalani tom.4. Conciliorum Generalium.*

(b) *Quæ fuerit vetustissima Ecclesia disciplina in separandis semper in templis viris & mulieribus, eruitur ex antiquissimo scriptore Const. Apostolicarum Sancto Clementi olim attributarum lib.2. cap.57. plura de hoc optabili more Morinus de Penna lib.6. cap.1. & Lebrun in Liturgiis 4. primorum seculorum tom. 2. dissert.1. art. 8. Consule etiam Lambertinum de Synodo lib. 7. cap.54. ubi & S. Carolum hunc morem Mediolani invenisse*

vetus fuerit, ex sequentibus D. Joannis Chrysostomi verbis clarissime patet: *oportere utique intus* (in Ecclesia) *esse murum, qui vos a mulieribus sequestraret; quia vero id non vultis necessarium esse putarunt patres nostri, ut saltem ligneis tabulis vos separaremus* (a).

CAP. III.

Afferuntur monita quædam, dum Missæ sacrificio assistitur, & divina officia celebrantur.

DUm sacrosanctum Missæ sacrificium peragitur, omnes in Ecclesia summo religionis cultu utroque flexo poplite, nunquam autem, excepta necessitate, sedentes, ad Evangelium vero stantes viri, feminæ tamen si ob aliquam justam causam sedeant, ad Evangelium genuflectant, interesse monemus; ut exteriori & decenti compositione ostendant, se non solum corpore adesse, verum etiam mente ac devoto cordis affectu. In Missa solemni dum incensatur populus, stare debet, non autem sedere, mulieres verò genuflectere decet. Ad tollendum abusum & inexcusabilem ignorantiam quorumdam, qui data opera & absque necessitate quæ foret, cum Ecclesia propter angustiam capere omnes nequeat, Missam audiunt extra Ecclesiæ limina, notum facimus Ecclesiæ præcepto Missam in die festivo audiendi non satisfacere; eoque minus, qui a propriis domibus celebrantem Sacerdotem aspiciunt. Nemo laicorum dum divina officia persolvuntur, chorum introire præsumat; neque

venisse narrat, & Romæ Venerabil. Cardin. Thomasium in Ecclesia sua titulari S. Martini ad Montes instar antiqui Typi hanc separationem laudabiliter renovasse testatur.

(a) *Homil.* 73. *alias* 74. *in Matth. Evang. edit. Venetæ fol.* 712.

que Sacristæ eo tempore cujusque servitii causa, nisi cum cotta ad illum ingrediantur sub pœna expulsionis ab officio.

C A P. IV.

Decenti vestium qualitate Ecclesias adeundum, arma, onera, comestibilia, aliaque id genus ad Ecclesias invehi prohibentur, canes porrò ab iisdem arcendi.

QUi Ecclesias adeunt eas habeant vestes, quibus in civili hominum societate uti solent, cum indecens sit & contra reverentiam templi eo habitu illud ingredi, quo in publicum forum prodire homines vererentur, quod quidem locum habet, & servari præcipimus in nocte Nativitatis Domini, & in SS. Viatici associatione cum noctu accidat: neque liceat in Ecclesiis caput pileo, aut bireto cujuscumque materiæ vel coloris operire, pileolis exceptis nigri coloris, quos aliqui interdum valetudinis causa adhibent: neque intra Ecclesiam, quæ est Regia Principis pacis, arma cujuscumque generis præter ensem lateri appensum deferre: immo nec sclopi, aliave armorum genera quacumque de causa appendantur in Ecclesiæ parietibus, & si, quæ alicubi appensa reperiantur tolli mandamus; item neque onera, neque alia profana in saccis sive peris, aut comestibilia apportare, vel per Ecclesiam, non secus ac foret via publica, transire licitum sit; omnes tandem adhortamur, ne canes qui sæpe strepitum cient, divina perturbant officia & cuncta multimode fœdant, unquam intra Ecclesiam secum ducant; ingressos autem de Ecclesia custodes cum modo tamen protinus ejiciant.

CAP. V.

Mulieribus quomodo ad Ecclesiam accedendum, earum in vestibus luxus illuc venientium improbatur, & potissimum cum Sacramenta recipiunt.

MUlieres nonnisi tectis pectore, brachiis, & scapulis, & juxta antiquam Ecclesiæ disciplinam capite quoque velato Ecclesiam ingredi non dedignentur (a); profusus tamen vestitus, & ornamenti fastus ad Ecclesiam in accessu tamquam superfluus & inanis reprobatur, atque nuper invecto vestium, ornatusque luxui modus aliquo pacto imponatur, adeuntes mulieres sacri quo & quare adeunt loci oportet meminisse. Audiatur D. Joannes Chrysostomus qui unam ex istis splendidiori ad Ecclesiam incedentem pompa in hunc modum interrogat & carpit: *Quid dicis? Deum precatura pergis, & ornamenta aurea circumfers, an vero ad Ecclesiam saltatura pergis? Non est hic supplicis habitus.* Cordati hujus urbis, & nostræ ætatis cives tempora de claris matribus aviis, suisque majoribus, quæ decoris sed modeste appositis vestibus, ornatusque moderatione incedebant sine ira & studio tradunt, & laude commemorant. Heu quomodo haud nimis prisca tempora cum moribus abierunt! Eo igitur habitu saltem Ecclesiam mulieres adeant, ut compositus pudor & religiosa modestia etiam foras erumpat: quod in primis amplius servandum cum ad expianda in sacramentali Confessione peccata, & sacram synaxim recipiendam accedunt, reminiscentes in tabernaculo, Mis-

sæque

(a) *Mulieribus, quæ composito ad immodestiam vultu reserato pectore, & ore depicto ad Ecclesias accedunt denegandam omnino esse Eucharistiam Romæ edixit Innocent. XI; cui præiverat S. Carolus in instructionibus pro Confessariis.*

sæque sacrificio realiter adesse Jesum Christum Dei Filium humilitatis exemplar, a quo peccatorum venia petenda est, & qualiscumque procacitatis adhuc umbra eliminanda est. Nos tamen pro parte muneris nostri in virtute sanctæ obedientiæ hæc tam salutaria mandata observari præcipimus, & nedum præcipimus, sed & monemus hortamur & obsecramus. Parochis vero & Concionatoribus districte injungimus, ut suis ad populum sermonibus & concionibus adversus hunc morem tam noxium, quem in vestibus ornatuque sui corporis mulieres servant, acriter invehantur. Mulieribus vero indecenter ornatis Sacerdotes Eucharistiam non porrigant (a).

C A P. VI.

Quando aperiendæ & claudendæ sint Ecclesiæ, & quomodo in iis scamna permittenda.

Ecclesiarum fores non aperiantur mane ante auroram etiam occasione novendii Nativitatis Dominicæ, aliquo excepto urgentis necessitatis casu a Parocho, sive Capellano propriæ Ecclesiæ probando, quo paulo ante auroram aperiri indulgetur. A meridie usque ad vesperas sint occlusæ, & dato signo vespertinæ salutationis angelicæ nunquam apertæ remaneant etiam ratione cujuscumque festivitatis, & populi concursus sub pœna ducatorum decem a Rectoribus Ecclesiarum vel Civitatis, vel Diœcesis exolvendorum. Ad tollenda vero quæcumque jurgiorum fomenta, quæ præcipue ex mulierum scamnis & sedibus in Ecclesiis firmiter collocatis & permanentibus pro loci, situs, ac varietatis ratione facile oriuntur, omnibus

(a) *Vide adnotationem superius allatam.*

mnibus Ecclesiarum Rectoribus, & Sacristis sub pœnis arbitratu nostro infligendis præcipimus, ut sedes omnes & scamna fixa a suis respective Ecclesiis penitus amoveant, neque in posterum ibi esse permittant, cum in Ecclesia æque omnibus ea debent esse communia. Excipimus tamen concionum tempus, quo nova sedilia sive scamna apponi licebit, sed eo expleto removeri mandamus sub pœnis ut supra.

CAP. VII.

Picturæ, inscriptiones, ædificia, vel alia id genus neque in interioribus neque exterioribus Ecclesiæ parietibus fiant, aut destruantur sine nostro consensu. Segetes, lapides, ligna, scalæ, aut similia intra Ecclesiam non imponantur sub pœnis &c.

IN quibusvis Ecclesiis quomodolibet nobis subjectis, vel in earum Sacristiis sive intus, sive extra laterales parietes nemo audeat sub gravi pœna arbitrio nostro quidquam picturæ, ædificii, vel aliud quodcumque nobis inconsultis conficere, restaurare, quomodolibet innnovare, vel demoliri, neque literas, epitaphia, vel ullam inscriptionem apponere, nisi prius fuerint a nobis recognita & probata. In Ecclesias præsertim rurales inhibemus ne strues lignorum, aut acervi lapidum imponantur, nec inducantur segetes, fructus, arcæ, scalæ, crates arundinum, vel alia id genus ad usum Ecclesiæ non pertinentia, sub pœna combustionis & erogationis in pauperes respective.

CAP.

CAP. VIII.

De sacris Imaginibus in Ecclesia collocandis, novis Campanis benedicendis, & Sacrario sub clavi custodiendo, ac de fonte aquæ lustralis.

NOvæ Sanctorum imagines antequam fuerint a nobis benedictæ nequaquam sunt in Ecclesiis, sive in quolibet altari apponendæ. Sancti vero titularis imago super cujuscumque templi majorem portam, ubi non est depicta aut in lapide sculpta concinne pingatur aut sculpatur. Campanæ noviter fusæ in turrim campanilem haud eleventur, nec usui ecclesiastico deputentur, ne a Regularibus quidem, priusquam sacris precibus & benedictione rite fuerint ab Episcopo consecratæ. In singulis Ecclesiis suum ne desit Sacrarium in Sacristiæ pariete, vel alio loco magis accommodato excavatum, a populi tamen conspectu remotum, quod quidem ubicumque sit, sera aliqua claudatur. Vas ad conservationem aquæ lustralis ex marmore, aut alio solido lapide extructum sit (nunquam vero ex materia testacea) atque in ipso Ecclesiæ ingressu prope januam ad latus dexterum ingredientium decenter aptetur. Si Ecclesia plures habeat januas, cuilibet vas saltem mediocre non tamen ex argilla apponatur; qualibet vero Dominica, aut altera die aqua lustralis renovetur, & vetus expurgata non projiciatur super pavimentum Ecclesiæ, sed in Sacrarium reponatur.

CAP.

CAP. IX.

De Ecclesiarum interiori exteriorique ambitu, ac pavimento.

ECclesiarum Rectores præsertim Parochi quammaxime curent, ut per interiorem earum circuitum nil incultum sit, aut pulvere, aranearum telis, sordibusve obsoletum, sed cuncta religioso cultu eluceant, & tota sacra supellex, potissimum corporalia, purificatoria, mappulæ, amictus, albæ & altaris tobaleæ munda semper & nitida serventur, atque super altarium mensas pro pulveris, sordiumque munimine tela aliqua cærulei, vel alterius coloris, expletis Missis quotidie sternatur: & quoniam nondum Ecclesiarum, sed adjacentium ipsis quoque locorum ratio habenda est; ideo ante illarum fores, atrium, porticum, vestibulum, aut circa earum muros, nisi ab iis decem saltem passuum spatium interjectum sit, nemo cibaria, cupedia, mustacea, merces etiam ad pios usus, aut aliud quidquam venale exponat, etiam occasione festivitatum (*a*), nec ludere audeat pila, aleis, digitis, tesseris, aliisque id genus ludis, nec sono, cantu, saltatione, nugis, clamore, vel alias strepitum facere, maxime cum divina officia celebrantur, aut Dei verbum populo annuntiatur, aut fideles in Ecclesia orant, nihil foetidum immundum, aut indecens circa ipsos Ecclesiarum muros adsit, fiat, projiciatur. Frutices, vepres, arbores, hujusque similia circa illos omnino evellantur, ne earum radices propagatæ parietibus & picturis si quæ sint noceant, aut rami extensi, vel folia inde cadentia tecta operiant, & damnificent. Tandem prope Ecclesiæ muros

(a) *Vide Synod. Cardin. Pignatelli pag.* 123.

muros foveis, ſtagnantibus aquis, aquarumque curſibus tollendis, & alio divertendis cura omnis & conatus adhibeatur; cum per aliqua Diœceſis loca ex continuo retenta, vel terræ infuſa ſecus Eccleſias aqua, earum parietes, & pavimenta humideſcere, & picturas, imagines, & gypſo confecta opera in deterius abire experientia compertum ſit. Eccleſiæ pavimentum quolibet Sabbato verratur, & cum crebrius mundari opus fuerit, ſæpius verri non omittatur.

C A P. X.

Ne templa dehoneſtari contingat, nonnulla tum viris tum mulieribus probibentur, aliaque Sacriſtis, ſive Rectoribus præſcribuntur.

IN Eccleſiis manducare, cubare, aut lectum ſternere nulli licitum ſit, ne occaſione quidem confugii, neque cujuſcumque artis manuale opus efficere ante fores Eccleſiæ, nec laicis in Sacriſtiis moram trahere præter caſum aliquando Miſſæ inſerviendi, aut peccata confitendi, aut urgentiſſimæ neceſſitatis. Nec mulieres quantumcumque honeſtas in Chorum, Sacriſtiam, turrim campanilem, organa quacumque de cauſa introduci: quapropter eaſdem turres, & organa clavi obſerata retineri, nec aliis quam neceſſariis miniſtris aditum patere mandamus. Cuncti verò Sacriſtæ præfatos ut ſupra violatores ad formam prælaudatæ conſtitutionis Sancti Pii V. Ordinario deferre teneantur, & pro iis Eccleſiis quæ Sacriſtas non habent, illarum Rectores ſeu Capellani ſub pœna duorum aureorum inflicta in eadem conſtitutione, ad cujus tramites noverint in ſupradictis caſibus nos proceſſuros non ſolum ex officio ſed etiam per inquiſitionem.

CAP. XI.

Excommunicatio, aliæque pœnæ irrogantur contra inhonestum aliquod perpetrantes aut molientes in Ecclesia, aut ejus vestibulo sive in Sacristia.

QUicumque eo impietatis devenire ausus fuerit, ut sacra templa, sive eorum sacristias, aut vestibulum per actum aliquem inhonestum sive turpia colloquia, aut signa cum mulieribus violare ausus fuerit, latæ sententiæ excommunicationem nobis reservatam incurrat, qua etiam ligatæ remaneant mulieres consentientes, vel quomodolibet cooperantes, nec sint immunes qui ad Ecclesiam refugerint, ut ejus asylo gauderent, si aliquod ex recensitis inhonestum admittere non erubuerint: cumque de turpi constare queat in Ecclesia consuetudine, ad hoc vindicandum immane flagitium acrioribus pœnis procedemus, implorato si opus fuerit etiam brachii secularis auxilio.

CAP. XII.

Ad ludum pertinens cujuscunque generis instrumentum nomine Ecclesiæ, vel cujusvis loci pii retineri, sive locari penitus interdicitur sub pœnis arbitrariis.

QUoniam nonnulli Confraternitatum, seu fidelium mortuorum Deputati, sive Officiales, vel quomodolibet nuncupati insipienti pietatis zelo & Ecclesiarum, ut ferunt, utilitate lusoria instrumenta earum sumtibus emunt, & lusoribus locant, ut etiamnum ante fores Ecclesiæ ludentes a singulis lusoribus assem plus mi-

minusve percipiant in titulum eleemosynæ Sacerdotibus erogandæ pro Missarum celebratione in suffragium animarum fidelium defunctorum, vel pro alio pio opere impendendæ. Id quod dolentes audivimus in aliquibus locis Diœceseos factitatum, & tamquam a vera pietate alienum, & Ecclesiarum utilitati incongruum damnamus & execramur. Non enim nocuos ludos fovere, qui litium, imprecationum, scurrilitatis, & similium sunt seminarium, unquam somniata est, nec sordidis hisce lucris opus habet Ecclesia. Caveant propterea cujuscumque societatis sodales, sive alii quocumque nomine appellentur sub pœnis Nobis arbitrariis, ne in posterum sub nomine cujuslibet Ecclesiæ, Oratorii, vel pii loci lusoria cujuscumque generis instrumenta retineantur, locentur, exhibeantur, nulla habita ratione, imo quovis despecto emolumento, sive eleemosyna ex iis obventura. Curæ tamen sit Parochis, & Vicariis foraneis pessimum hunc abusum e medio tollere, & extirpare; sin autem in sua quispiam contumacia perstiterit, nos faciant quam citius certiores, ut debitis eum pœnis coerceamus.

C A P. XIII.

Præter ensem lateri appensum, & in sacramentorum susceptione deponendum, nullus in Ecclesiam arma deferat, nec apud ejus parietes relinquat.

ARmorum in sacra templa delatio a sacris Canonibus inhibetur (*a*), & D. Carolus Borromæus magnus ecclesiasticæ disciplinæ restaurator in prima Syno-

(a) *Vide Gonzal. in comment. cap. Clerici de vit. & honest. Clericor. num.* 7.

do Provinciali (*a*) ſequens tulit decretum : *Nemini cum venaticis canibus vel volucribus in Eccleſiam ingredi liceat, neque haſtam, vel ſclopetos, baliſtas, aliave ejuſdem generis in eam inferre ;* atque in ſuis inſtructionibus ad Vicarios foraneos (*b*) ait : *Provvedete con quel migliore e più ſpediente modo, che parerà a voi, che i popoli quando vanno a divozioni, come a Litanie, Proceſſioni, e ſimili, vadano ſenz' arma, almeno da aſta, e ſenza archibuſi, e diviſi gl' uomini quanto ſia poſſibile dalle donne, e non s' attenda a crapole, ma a divozione, come ricerca il ſanto iſtituto di quella azione*. Sed multo antiquior diſciplina cum armis aditum in Eccleſiam magna cum ſeveritate interdixit, ut videre eſt in celebri Theodoſii junioris edicto (*c*) ubi hæc verba leguntur: *pleniſſima ſeveritatis juſſione, & horrendis comminationibus præcipue ne id faciant admonebis*. Nam qualem ille ſpem in religione collocat, qui in religionis contumeliam armis accinctus ingreditur? Cumque animadverteret Imperator multum ponderis acceſſurum, ſi ſuo præiviſſet exemplo, ſic de ſeipſo teſtatus eſt: *Nam & nos, qui jure imperii armis circumdamur, quoſque ſine armatis ſtipatoribus eſſe non convenit, Dei templum ingreſſuri foris arma relinquimus, & ipſum etiam diadema deponimus, & quo ſubmiſſioris imperii ſpeciem præferimus, eo magis imperii nobis majeſtas promittitur*. Hinc nos intra Dei templum, quod eſt Regia Principis pacis, & non armorum locus, cujuſcumque generis arma ſive ad ignem concipiendum conflata, cultros, ſicas, macheras, ſtylos, & ſimilia inferri prohibemus;

(a) *In act. E cl. Mediol. p. 2. tom. 1. pag. 30. edit. Lugdun.*
(b) *Tom. 1. ejuſdem operis pag. 695.*
(c) *Cujus pars in lege nona Codicis Theodoſiani ad titulum 43. & apud Balſamonem in Nomocanone Fotii ad titul. 5. cap. 2. & integre habetur in calce Conc. Epheſ.*

mus; nec apud Ecclesiæ parietes deponi sancimus, ut enim ait S. Amator (*a*): *Ecclesia domus orationis*, *non Martis statio petulantis:* immo nec sclopi, aliave armorum genera quacumque de causa etiam alicujus gratiæ significatione a Sanctis receptæ, in Ecclesiæ parietibus appendantur, & si alicubi appensa reperiantur, ab Ecclesiæ Rectoribus sive Capellanis tolli mandamus, ut alias sancitum est. Ecclesiam vero ingredi cum ense ad latus accommodato haud vetamus, propterea quod universalis est usus, & præter antiquitatem, præclaram speciosamque habet originem a christianis militibus proficiscentem, qui sacra templa ensem gestando introire cœperunt, ut eum evaginarent, aut saltem evaginandi, dum Evangelium legebatur, speciem exhiberent; quo facto significaretur, se pro illius tuitione ad pugnandum, & moriendum paratos fore. Id quod nonnulli equestres ordines, etiamnum in praxim deducere gloriantur, Polonæ gentis exemplum fortasse secuti, cum ablegata idololatria, & vero religionis cultu amplexato, jussu invicti Principis Wenceslai, cum lectio sacri Evangelii in Ecclesia habebatur, denudato ense assurgebat, ea indicans actione dimicandi promtitudinem, & sanguinem pro Christi fide effundendi. Verum etsi Ecclesiam ingrediens, ut hactenus dictum est, ensem deferre non prohibeatur, maxime tamen decet in sacramentorum susceptione humilitatis & reverentiæ causa eum deponere; cum nec quibusvis ensem lateri accommodatum gerentibus ad Principes alloquendum detur accessus, sed iis dumtaxat qui prærogativa distincti sunt, aut deferunt in sui Principis defensionem.

TI-

(a) *Relatus a Constantio in vita S. Germani lib. 4. cap. 4.*

TITULUS X.

De Dignitatibus, et Canonicis.

C A P. I.

Indumentorum insignia, Canonicorum numerus, muneris prærogativæ, onus residendi, & divina in choro recitandi commemorantur, atque ad vitæ splendorem, virtutum exempla, in vestibus decentiam in converſando circumſpectionem ſalutaribus monitis excitantur.

METropolitanæ hujus Eccleſiæ Capitulum variis jam ante muneribus decoratum SS. Dominus noſter Benedictus Papa XIV. labente ſui Pontificatus anno ſecundo uſu Cappæ magnæ cum armellino, & mitræ, ceteriſque inſignibus, quibus gaudent & fruuntur præſtantiora Capitula, apoſtolica munificentia exornavit, & auxit. Dignitates propterea, & Canonici, qui ad numerum viginti quatuor pacifice ſunt in noſtra Cathedrali, quo majoris in Eccleſia Dei amplitudinis nota excellere dignoſcuntur, eo eminentiorum ornamento virtutum, ac vitæ ſine ullo offendiculo laudabiliter actæ ſplendeſcere debent, & quemadmodum reliquos omnes de Clero dignitate præcellunt, atque Epiſcopi coadjutores, Eccleſiæ Senatus, & Cleri regula conſtituuntur, ſic morum probitate, virtutibus, & exemplis tum Clericis, tum laicis prælucere, nihilque non modo reprehenſibile, ſed ne leve quidem aut indecorum admittere, dignitatis, & muneris ratio potiſſimum expoſcit. Habitus quoque exterioris decentia ſemper incedant, nimiam cum laicis familia-

lia-

liaritatem evitent, ab otiosa in publicis mora, a sermonibus vanis jocosis & scurrilibus abstineant, ne ulla ex parte eorum ministerium vituperetur, & quæ in sacris Canonibus de vita, & honestate Clericorum sancita sunt, iis maxime accommodari observarique Patres Concilii Aquisgranensis haud obscure indigitarunt (a).

C A P. II.

De Capitulo & Clero quolibet mense convocando, ubi nonnullæ instructiones, Ecclesiarum bonis admodum proficuæ referuntur.

1 Singulis saltem mensibus, & quoties opus fuerit Capitulum & Clerus in Capella SS. Trinitatis convocetur, & de rebus & interesse, quæ ecclesiasticam communitatem spectant, sermo sine strepitu & clamoribus instituatur, & quod pro ejusdem utilitate expedierit collatis consiliis concludatur, quodque fuerit conclusum, fideliter in actis capitularibus scripto tradatur; sed pridie in sacristiæ valvis semper affigatur schedula subscripta per adm. Rev. Decanum, ad quem spectat congregationem indicere: quæ schedula quid in comitiis pertractandum sit contineat, & dato signo meridiei pulsetur campana, per quam significetur consueta hora pomeridiana convocari Capitulum & Clerum. Cum autem in designatum locum omnes convenerint, claudatur janua, & Spiritus Sancti assistentia, & auxilium invocetur

(a) *Qui fuerint olim Canonici dum vitam communem agerent dignoscitur ex eorum regulis compositis ab Amalario Diacono Metensi, ac relatis in Conc. Aquisgran. anni* 816. *vide Natal. Alexand. seculo X. & XI. cap.* 4. *a.* 8. *Vide etiam Lambertinum de Synodo Diœcesana lib.* 7. *cap.* 55.

tur per hymnum *Veni Creator Spiritus* inchoandum a digniori de Capitulo tunc præsenti, atque in fine Deo gratiæ, ut moris est, persolvantur.

2. Experientia compertum est ex defectu, sive diuturna talium conventuum dilatione multa evenire incommoda bonis cujuscumque ecclesiasticæ communitatis, cum ceteroqui si sæpius convenirent Canonici, & Sacerdotes participantes, & de rebus omnibus, quæ sæpenumero accidere solent in locationibus, emtionibus, permutationinibus, expediendis depositis, censibus fundandis, reditibus exigendis, & demum in reparandis & vallo muniendis prædiis, quæ fluviis inundantibus sunt obnoxia, facili negotio tot virorum doctrina & experimento probatorum votis rebus omnibus plane consuleretur, quocirca eorum partes erunt, qui Communeriorum munere funguntur, quique singulis annis noviter per turnum constituti, consueverunt monere in prima hebdomada cujuscumque mensis admodum Rev. Decanum de Capituli & Cleri congregatione propediem indicenda. Quod idem servari a Capitulo, & Canonicis nostræ Cathedralis in iis quæ res dumtaxat Capitulares concernunt consentaneum est. Aliæ vero Communitates ecclesiasticæ, quæ reperiuntur in pluribus nostræ Diœceseos locis, dirigantur juxta formam hactenus præscriptam ecclesiasticæ Communitatis Rheginæ.

CAP.

C A P. III.

De inventario exacte conficiendo super Ecclesiarum bonis infra spatium duorum mensium.

1. Singulæ Dignitates, & Canonici infra bimestre a die publicationis hujusce Synodi plateam conficiant de suis respective præbendis, reditibus, censibus, juribus, stabilibus &c. cum distinctione vicinii seu loci limitum, viarum &c., & descriptæ plateæ exemplum quolibet decennio renovetur, ut cum aliquod quoquo modo variari, aut acquiri contingat, amotis ambagibus, statim deprehendatur, neque ullum valeat Ecclesiæ bonis præjudicium inferri, quæ platearum exempla ad futuram rei memoriam in arca capitulari reponantur.

2. Parochi etiam, & Beneficiati omnes, Capellani, & cujuscumque Ecclesiæ administratores nobis subjectæ tum civitatis tum diœcesis conficient inventarium supellectilium suarum respective Ecclesiarum, & plateam bonorum omnium, sicut de Canonicis mox dictum est; & utriusque copiam nostræ Curiæ Cancellario tradant, ut in archivo conservetur: elapsis autem decem annis inventarium, & plateam renovari mandamus sub pœna ducatorum decem piis usibus applicandorum.

C A P. IV.

Renovatur decretum pro aliquibus anni festivitatibus, in quibus solemniter celebrare debent Canonici.

1. Statuimus alio in loco, ut in festivitatibus Epiphaniæ, Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, & omnium Sanctorum, pariterque tertia

Nativitatis Domini, tertia Resurrectionis, & tertia Pentecostes per turnum solemniter divina officia celebrarent admodum Rev. Canonici, dato initio ab antiquiori usque ad ultimum Canonicum, quam nostram constitutionem renovantes confirmamus, & ad alias festivitates extendimus, & adamussim servari mandamus; nec umquam fuit, nec est nostræ mentis, ut pro suo libito admodum Reverendus Cantor, aut alia Dignitas pro solemniter celebrando in dictis festivitatibus eligat quem Canonicum maluerit, sed Canonicus ad quem per turnum spectat suo jure celebret, ut laudabiliter in singulis anni sabbatis, dum laudes B. M. V. concinuntur, servari solet, incipiendo ab admodum Rev. Decano usque ad ultimum Canonicum. In reliquis vero festivitatibus sacra officia per turnum celebrentur ab admodum Rev. Canonicis, quod si aliquis Canonicus fuerit impeditus, ad Canonicum functio deferatur sequentem. In festo tandem Dedicationis hujus metropolitanæ Ecclesiæ celebret tertia Dignitas. Reliqua quæ alibi sancita sunt, in suo volumus robore permanere.

2. Sacerdotes qui Canonico divina officia celebranti assistere debent, etiam per turnum assignentur ab eo, ad quem spectat designatio, ut æque in omnes hujusmodi assistentiæ dividantur, quod si aliquis Sacerdos assignatus assistere detrectet, ad nos deferatur, ut debitam suæ inobedientiæ pœnam luat: attamen si aliquis iteratis plus æquo assistentiis se gravatum senserit, assignatus ne aliqua detur importuna mora sacras functiones inchoandi, obedire non renuat & assistentiam præbeat, deinde nos faciat certiores, qui suo cuicumque gravamini opportunis remediis consulemus.

TITU-

TITULUS XI.

De Parochis.

CHristus Dominus Petrum in terris Vicarium, ac totius Ecclesiæ Pastorem instituit, atque in illo tamquam principe Pastores omnes erudiens, postquam tertio interrogavit de amore, tertio item injungit ei *pasce*, ad significandum per tres repetitas vices, teste D. Bernardo, triplici alimento debere quemlibet Pastorem gregem pascere: *Pasce*, inquit, *verbo*, *pasce orationis & Sacramentorum Spirituali subsidio*, *pasce conversationis exemplo*. Petrus ergo sibi demandatam ceteros instruendi curam solicite adimplens paterno spiritu & affectu sic nos adhortatur: *Seniores*, *qui in vobis sunt*, *obsecro consenior*, *& testis Christi Passionum*, *ac gloriæ communicator*, *pascite*, *qui in vobis est gregem Dei*. Quæ verba semper animo revolventes, ut primum hujus Metropolitanæ Ecclesiæ meritis licet imparibus onus & pastoralem dignitatem suscepimus pro virium imbecillitate divina adjuvante gratia concredito gregi pascendo incubuimus, & per annos viginti quatuor pro parte muneris nostri variis licet urbis, & amplæ Diœcesis curis distenti publicis ac privatis concionibus per literas, per edicta, per Sacramentorum administrationem nunc monendo nunc docendo, nunc adhortando, nunc arguendo, nunc obsecrando, nunc corripiendo, nunc increpando hactenus prosecuti sumus, nec umqnam a suscepti muneris labore licet ingravescente ætate & ægra valetudine, Deo dante pro modulo nostro cessabimus. Et quoniam Parochi animarum pastores, & duces in Ecclesia constituti sunt, & nobiscum in pastorali munere adlaborant; quomodo eos oportet gregem

 suum

suum pascere sequentia capita demostrabunt.

C A P. I.

Parochorum obligatio plebes sibi commissas doctrinæ verbo erudiendi, & quomodo pueri, rustici, & adulti in fidei rudimentis instituendi sint, recensetur.

1. EX Conc. Trid. decreto Parochis mandatur, sive aliis animarum curam habentibus quocumque nomine appellentur, ut plebes sibi commissas pro sua, & earum capacitate pascant salutaribus verbis docendo ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annunciandoque eis cum brevitate & facilitate sermonis vitia quæ eos declinare, & virtutes quas sectari oportet, ut pœnam æternam evadere & cælestem gloriam consequi valeant. Pascent autem Parochi salutaribus verbis, quum doctrinam Christianam administrabunt, panem frangendo, imo masticando & in fauces inferendo parvulis, & rudibus, hoc est simplices instruendo monendo catechizando in fide, & pietatis rudimentis, & docendo eos, ut loquitur Apostolus (a) elementa exordii sermonum Dei, hoc est enim quod a Parochis tam solicite exquiritur, quia plurimi simplices, seu rudes in campestribus animalia custodientes, & rustico operi addicti errant & ignorant non sine gravi eorum, quibus animarum cura commissa est negligentia, adultosque insuper non paucos intra communitates reperiri est, qui nostræ etiam principaliora fidei mysteria nesciant; & (quod magis dolendum est) cum ceteris in Ecclesia addiscere verecundantur. Instruant ergo Parochi, & doceant mysteria Sanctissimæ

(a) *Ad Hebr.* 12.

ſimæ Trinitatis, & Incarnationis, Symbolum Apoſtolorum, ejuſque articulos explicent, orationem Dominicalem, ſalutationem Angelicam, præcepta Decalogi, præcepta Eccleſiæ, ſeptem ſacramenta, utque omnimode ignorantium malitiæ occurratur, qui catechiſmum effugiunt, diſtricte præcipimus & mandamus, ut diebus Dominicis & feſtivis infra Miſſarum ſolemnia alta voce, & vernacula lingua populo univerſo reſpondente tum in Parochia tum in oratoriis, capellis, & Eccleſiis ruralibus, ubi Miſſæ Sacrificium peragi ſolet, celebrantes ſaltem præfata paulatim cantando edoceant ſub pœna ſuſpenſionis ſtatim a Parochis, & aliis reſpective Sacerdotibus, qui ruri ſive in Eccleſiis campeſtribus celebrant incurrendæ, ſi per tres vices continuas id adimplere neglexerint.

2. Neque horis pomeridianis, & magis congruis præmiſſo campanæ ſigno pueros, alioſque rudes adultos convocandi a Parochis omittatur conſueta doctrinæ Chriſtianæ explicatio in Eccleſia parochiali, & aliquoties cum expedierit in aliis ſuæ Parœciæ Eccleſiis ope etiam piorum Sacerdotum id exequantur, ſub pœna ſuſpenſionis, quam ipſo facto incurrent Parochi, ſi per tres continenter vices id munus obire contemſerint. Clerici vero, & in ſacris ordinati niſi fidem de frequenti doctrinæ Chriſtianæ aſſiſtentia exhibebunt, haud ſperent ad ulteriores ordines ullatenus promovendos. Et quemadmodum Nos vel altioribus Archiepiſcopalis regiminis negotiis occupatos hujuſce humilis inſtructionis non piguit, ſic ea nobiſcum, & una cum Parochis cuicumque de Clero commendabile foret caritatis ſtudio aggredienda, quia & eam Paulus, & ceteri Apoſtoli non ſunt dedignati; & poſt eos viri inſignes, & Eccleſiæ doctores hoc munere magno cum fructu, & Eccleſiæ bono perfuncti ſunt: hoc munus ipſe obibat Joannes Gerſon licet

cet

cet Cancellarius Parisiensis, cumque alii obtrectarent tamquam indignum id foret viro conspicuo: *Convincit*, inquit, *illos exemplum Christi, qui ait, sinite parvulos ad me venire. O bone Jesu, quis ultra post te verecundabitur esse humilis ad parvulos, quando tu usque ad castissimos puerorum amplexus brachia inclinas, & circumligas! Absit ergo, ut indignum sit parvulorum animas plantare & rigare. Venite igitur parvuli ad me, ego vobis doctrinam, vos mihi orationem impendetis, sic Angelos nostros vicissim lætificabimus*. Ita ille.

C A P. II.

Bona filiorum educatio a Parochis commendetur, nullum fidei mysteria nescientem absolvi, & salvari posse, ostendatur.

Cum puerorum indoles ad vitia sit proclivis, & sine educatore in mala sensim prolabatur, incumbant Parochi, ut publicis ab altari, & privatis sermonibus bonam filiorum institutionem parentibus inculcent ac rotundis aperiant verbis, sive adultos, sive pueros ratione pollentes, si fidei mysteria scitu necessaria ignorant, absolutionis esse incapaces (*a*), in æternæ perditionis discrimine versari, nullumque sine fide posse salvari. Unde si parentes mundo natos genuerunt, & per baptismi lavacrum regeneratos, & Christo incorporatos hilari vultu conspiciunt, quammaxime curare debent, ut crescente ætate viam ineant, quæ ad cœlestem ducit vitam in regno Dei, quod sane obtineri nequit, si quod eos credere, quod agere, quod sperare oporteat, non innotescat.

CAP.

(a) *Vid. prop. ab Innoc. XI. damn. & bullam Bened. XIV.*

CAP. III.

Sint Parochis ſcripta nomina puerorum & puellarum ſuæ Paræciæ, eoſque raro vel nunquam ad doctrinam Chriſtianam convenientes parentibus ad corrigendum deferant.

QUoniam pueri, ut non raro contingit, aut parentum incuria, aut ſui ipſorum malitia ad Chriſti doctrinam miſſi non adeunt, neque addiſcunt; unde fit ut decurrentibus annis grandiores effecti & adulti cum fidei myſteriorum ignorantia vivant, eaque addiſcendi ſtulto pudore afficiantur; Nos propterea tanto huic malo a ſui primordio & quoquo modo providere cupientes Parochis mandamus, ut poſthac ſcripto tradant nomina puerorum, & puellarum ſuæ Paræciæ ad dignoſcendum juxta adnotationem, quam poſt ſe retinent, quinam ſint in audienda doctrinæ chriſtianæ explicatione aſſidui, quive infrequentes, quive ſemper vacui. Hinc Parochi certiores reddant parentes, eoſque moneant de notoriis puerorum defectibus, ut paterna authoritate eos adhuc per manus capiendo, & ad doctrinæ chriſtianæ ſcholam dulciter comitando opportune conſulant, & cum opus fuerit minis, terroribus, & virgæ ne parcant; non enim quidquam poterunt Parochi, ſi parentes filiorum inſtitutioni manus non admoveant.

CAP.

CAP. IV.

Per Parochos monendi, & arguendi parentes, qui doctrinam christianam filios suos addiscere non curant.

QUod si Parochorum relatu deprehendant parentes, ignaros pueros a schola doctrinæ christianæ sæpius abesse, neque ullam adhibent curam, ut eorum filii scitu saltem necessaria ad salutem edifcant, Parochis districte injungimus, ut parentibus aperiant gravissimam omnipotenti Deo rationem reddituros, divinam indignationem in scripturis sanctis pluries incussam non evasuros, atque in sua desidia perstantes absolutione indignos esse, nec ab ullo Confessario absolvendos (a), quousque suæ obligationi satisfecisse constiterit.

CAP. V.

Dominorum & Tutorum solicitudo erga famulos, & pupillos in iis, quæ animæ salutem spectant, & famulorum obligatio qualis esse debet, a Parochis expendatur.

ID quod de parentibus erga filios dictum est apposite Dominis, & Tutoribus erga famulos, & pupillos congruit: non enim ferendum est, famulos in via perditionis relictos mysteria fidei, divinæ & ecclesiasticæ legis præcepta nescientes videre, quin Domini de eorum salute quidquam soliciti sint. Clament ergo Parochi, & nedum Parochi, sed & Concionatores Apostoli sententiam ponderatu dignam recolentes: *Si quis suorum & ma-*

(a) *Vid. Encyclic. S. C. Conc. 19. Januar. 1619.*

& maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior (a). Neque silentio prætereundum dominos etiam graviter peccare, qui famulos suos ad festis diebus laborandum notabili temporis intervallo cogunt; quodque deterius esset, si diutius famuli, aliique operarii servitiis occupati Missam iis diebus non audirent. Famuli autem res domini non secus ac proprias, & tamquam providi patresfamilias curent; nec iis licere Parochi enuncient furtis compensare operam suam, quam majorem putant salario, quod recipiunt.

2. Hac occasione data non sine dolore auditos gemitus & querelas eorum referimus, qui tot damna in pascuis, segetibus, & arbustis patiuntur propter improbitatem eorum, qui pecora introducunt ad ea depascenda; & licet Nos alias in albo reservatorum adnotaverimus, Parochis restat, ut suos moneant parochianos non solum de excessu tum custodum qui inducunt, tum dominorum qui permittunt, aut scientes non impediunt; sed etiam de restitutione, ad quam tenentur in solidum custodes pecorum, domini, & quolibet modo ad præfata damna cooperantes.

C A P. VI.

De prædicationis munere ab animarum Rectoribus obeundo, & quomodo.

NOn satis est plebes suas in catholica fide Parochis incessanter instruere, sed etiam divini verbi prædicatione: singulis saltem Dominicis & festis diebus de præcepto eas pascere necesse est, & quidem per seipsos si le-

X

(a) 1. *ad Timoth.* 5. & 8.

si legitimo non careant impedimento. Quodque non solum de Parochis fixis & perpetuis, sed etiam de amovibilibus intelligendum esse decernimus, cum par immo eadem omnino sit ratio (a). Sit autem sermo brevis non ad pompam, non altis & inutilibus eloquiis, neque in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis instructus, sed in ostensione spiritus & virtutis, ut ait Apostolus (b) hoc est simplex, facilis, affectivus, vernaculus, familiaris, & audientium captui accommodatus (c).

CAP. VII.

Non valens Parochus memoriter concionari librum spiritualem, vel scriptum folium populo legat.

SI forte aliqui pusillanimes sint, nec se facile concionari posse arbitrentur, vim sibi faciant paulatim aliqua proferendo; sic enim formidinem, & quamcumque difficultatem assidua exercitatione vincentes, animosiores ad id muneris exequendum in futurum evadent. At si minus idoneos se esse opinentur, vel etiam inhabiles ad memoriæ tradendum, & concionandum, saltem ex libro aliquo pio alta voce graviter ac pausatim populo quidquam legant, quo animæ salutari pabulo reficiantur; parum enim refert, an Dei verbum & salutaria monita proferantur memoriter, an legantur, sed satis est

(a) *Vid. Conc. Mediol. 3. Tit. de Parochis §. Trid.*

(b) *Prim. Corinth. Cap. 7. v. 4.*

(c) *Parochos teneri per seipsos plebes docere non obstante quod plures Religiones Mendicantium in Parochorum subsidium id munus expleant, sæpe declaravit Sacra Congregatio Concilii; & signanter in una Bruxellen. 8. Maji 1681. relata a Van-Espen. Juris Ecclesiastici parte prima tit. 3. cap. 6. & 8.*

est ut Christus annuncietur, & quoad fieri potest spirituali divini eloquii populus alimento nutriatur.

CAP. VIII.

Quo tempore, loco, & indumentis sermocinandum est.

PArochi post lectum in parochiali Missa Evangelium (a) & quidem immediate non post offertorium, neque post secretas orationes conversa facie ad populum pie graviter & modeste sermonem faciant opportunum, retenta tamen casula, stantes capite detecto in cornu Epistolæ sistant, indeque concionentur (b), vel etiam in scamno nudo sedeant ante cornu Evangelii capite contecto (c). Ex ambone quoque sermonem habere potest Parochus eodem tempore Missæ si velit, & tunc retentis amictu, alba, cingulo ac stola ante pectus plicata depositis vero manipulo & planeta, tectus bireto quadrangulari, sedens vel stans prout maluerit sermocinabitur. At extra Missam induet super veste nigra talari superpelliceum, & stolam a collo defluentem capite operto.

CAP. IX.

De qua materia Parochis concionandum.

IN Evangelium vel Epistolam currentis diei incumbant Parochi, immo & ab omnibus fieri concionatoribus peroptamus, & claris verbis exponant, quod in alteru-

(a) *Vid. rubr. Missal. part. 2. tit. 6. num. 6. ibique Gavant.*
(b) *Vide Conc. Mediol. 4. tit. de verbi Dei prædicat. §. Parochi.*
(c) *Gavant. in rubr. Missal. part. 2. tit. 6. num. 6. §. si celebrans.*

tro continetur, inde moralia eruant documenta, quibus audientium animi ad vitia declinanda, virtutes sectandas, ac cælestem patriam concupiscendam excitentur. Sed potissimum curent, ut frequentiora & magis obvia, quæ in Paræciarum locis grassantur, vitia abusus & corruptelas, non autem personas, quæ iis implicatæ reperiuntur, pastorali zelo & libertate redarguant: magna tamen cautela opus est in vitio carnis reprehendendo, & abstinendum est dicere, quod in sua Parochia talia crimina perpetrentur.

CAP. X.

A parentibus qualiter filiorum institutio aggredienda a Parochis enuncietur.

STrictam parentum filios in disciplina, & correctione domini educandi obligationem annuncient Parochi, eosque adhortentur, ut a teneris unguiculis una cum corporis cibo divinæ sapientiæ lac, & Dei timorem puellis instillent, altissimam eos Dei magnitudinis existimationem, singularem erga Jesum Christum qui nos redemit amorem, teneram erga sanctissimam Dei Genitricem devotionem, sacris rebus, Sacramentis, Sacerdotibus, Ecclesiis, ineffabili Missæ Sacrificio venerationem & reverentiam edocentes, custodes Angelos, sui nominis Sanctos in sui Patronos adoptare facientes, & implacabile peccatis odium eorum cordibus ingerentes instar Tobiæ, qui filium suum ab infantia timere Deum docuit & abstinere ab omni peccato. Validior tamen tam paterna quam materna erit filiorum institutio, si quod voce promunt parentes, actione probent & exemplis confirment: utiliora immo pueris sunt exempla quam paren-

parentum verba, ut ad rem ſcripſit S. Hieronymus (a): *Te habeat magiſtram, te rudis miretur infantia, nihil in te & in patre tuo videat, quod ſi fecerit, peccet: mementote parentes virginis magis eam exemplis docere poſſe quam verbis*.

CAP. XI.

Ruri degentes per Parochos inſtruantur, ne eorum pueri, & ſervuli ob animalium cuſtodiam Miſſam omittant.

NOn minor in villis, & campeſtriis puerorum, & ſervulorum cura adhibenda eſt, ne diebus feſtis paſcendorum cauſa animalium Miſſam prætereant, aut prætereundæ tardius redeundo periculo ſe exponant: ferendum potius eſſet, ut Miſſæ tempore jejunarent animalia, quam ſine ſpirituali pabulo animæ remanerent. Quod Divus Joannes Chryſoſtomus (b) eo iniquitatis homines perveniſſe comperiens, ut major iis jumentorum, quam filiorum eſſet ſolicitudo, lamentabatur & exprobrabat: *Majorem aſinorum & equorum, quam filiorum curam habemus* (c).

CAP.

(a) *In Epiſt. ad Lætam.*
(b) *Homil. 60. in Matth.*
(c) *Notandum decretum Synodi Namurcenſis anni 1639. relatum ab eodem Van-Eſpen. cap. 4. num. 6. tit. cit. ut tempore meſſis, & etiam illis diebus quibus opiliones, vel bubulci in agris ſunt, illos viſitent ibidem, & doceant: imitaturi ea in parte veſtigia Salvatoris noſtri, qui per vicos, & plateas tranſibat evangelizare regnum Dei.*

CAP. XII.

Alia nonnulla quæ operarios, colonos, & venditores ſpectant a Parochis enuncianda.

DIſertis verbis annuncient Parochi non licere Sartoribus, Textoribus, Textricibus, ſive mulieribus quæ nent, aut pectunt lanam, linum, aut ſubſericum, videlicet quod reliquum eſt ex ſerico ſimulato colore compenſationis, eo quod cenſent pretium non reſpondere labori, portionem illius rei quæ traditur elaboranda ſibi retinere; nec colonis frondes quibus aluntur bombyces, nec bombyces ipſos invitis dominis ſub quovis prætextu etiam eleemoſynæ aliis donare aut vendere; nec operariis qui ſericum eliciunt ſericeos globulos Eremitis, Religioſis, cujuſcumque ſodalitii Confratribus, aut aliis eleemoſynarum quæſtoribus, cum domini procul abſunt, erogare. Pœnas autem contra eos, qui tales eleemoſynas in officinis petere auſi fuerint infligemus arbitrio noſtro, & cum opus fuerit pro majori animadverſione brachii ſecularis auxilium implorabimus. Inſinuent quoque Parochi, ne falſatis menſuris ponderibus libris emtores aut venditores utantur, eiſque oſtendant ſe jugiter in ſtatu peccati mortalis & damnationis verſari, dum in rerum emtionibus & venditionibus fraudes committunt.

CAP. XIII.

Sacramentorum vim & uſum præcipue cum ea ſunt adminiſtraturi Parochi explicent.

UT Sacramentorum populus competentem habeat pro ſui capacitate notitiam, majorique reverentia, atque

que animi devotione ad ea suscipienda accedat, studeant Parochi antequam ea administrent illorum vim & usum vernacula lingua explicare. Edoceant quando hostia apposita pro sacrificio sit consecrata & adoranda, quave dispositione ad Eucharistiam recipiendam sit accedendum. Quid sit dolere de peccatis, quid contritio, quid attritio, quid Confessionis integritas, & ubi ceteris mortalibus in Confessione explicatis, unum data opera, & justa non accedente causa reticetur, sacrilegam reddi Confessionem, & onus remanere illa denuo peccata clavibus subiiciendi, & pariter sacrilegium & peccatum in Confessione reticitum, atque aliud sacrilegium, si in eo statu sumta fuerit Eucharistia. Pravas cogitationes cum complacentia vel desiderio esse peccata, adeoque confitenda. Quid sit baptismus ejusque effectus, instante necessitate a quolibet conferendus, & quomodo, & formam doceant etiam feminas, & quod in collatione habeant intentionem faciendi quod facit Ecclesia. De Sacramento Confirmationis magis obvia & salutaria explanent. Ad Matrimonium celebrandum, ut ea qua par est animi dispositione contrahentes adveniant, opportunis monitis adhortentur.

CAP. XIV.

Integrum sit cuique Dei verbum ubi annunciatur, aut doctrinam christianam ubi explicatur audire; sed invigilent Parochi, ne a pueris alicubi addiscere prætermittatur.

DOminici verbi, & doctrinæ christianæ a Parochis audiendi strictæ obligationis onus fidelibus imponere non intendimus, cum unicuique pro libito suo ubi

Dei

Dei verbum publice vel privatim promulgatur, & doctrina christiana explicatur liceat audire, & animæ suæ consulere. Laudabile tamen est, & pium unumquemque Parochiæ suæ interesse, ubi commode fieri potest ad Dei verbum, & doctrinam christianam audiendam, quod idem S. Carolus Borromæus monitoriis literis urget (a). Ceterum Parochis invigilandum, ne pueri sub prætextu alio adeundi, ut in doctrina christiana instruantur, neque ad Parochialem, neque alio ad discendum conveniant. At in locis ruralibus, ubi præter Parochum nullus est regulariter qui doceat, instruat, aut concionem habeat, necessarium ducimus, ut saltem diebus Dominicis, & majoribus festis populus ad Parochiam accedat ad audiendum verbum Dei, divinam legem, fidei rudimenta, morum doctrinam, quæ ibi in catechesibus, & concionibus annunciantur & explicantur. Hortamur igitur & admonemus fideles omnes, ut hæc paterna monita amplectantur & exequantur.

C A P. XV.

Orationis, & Sacramentorum subsidio grex pascendus.

PAstoris officium est orare & intercedere pro populo, quia velut medius, & sequester constitutus est inter populum & Deum, sic Aaron sumens orationem pro scuto, & ignem de altari cum incenso procedit ad leniendam iram Dei; sic Moyses velut luctans cum Deo, & ultrices ei vinciens manus urget dimitti noxam populo; Samuel quoque luget & intercedit pro Saul; & Jeremias die ac nocte pro peccatis Jerusalem; ita etiam Pasto-

(a) *In Conc. Mediol. IV.*

Pastorum est preces & vota populi Deo offerre, & dona Dei ad eum referre, orare pro peccatoribus ut ad veram salutis viam revocentur, pro pœnitentibus ut confirmentur, pro justis ut coronam adipiscantur. Sacramenta vero per Parochos ea promtitudine & alacritate administrentur oportet, ut ad ea populus recipienda alliciatur, & quando & quoties indiguerit, facile petat, & eadem facilitate suscipiat. Hinc Parochis districte mandamus, ut diebus Dominicis & festivis ex officio in sede Confessionali assideant evocari non expectantes, ut facilior sit accessus confiteri volentibus, aliis diebus, quum populi devotio exposcit, munus sum lubenti animo obeant, lætantes gregem suum Sacramentis excipiendis assiduum esse. Sacramentorum immo Parochi frequentiam enixe commendare debent, ut spirituali pabulo concreditæ sibi animæ sæpius reficiantur, & in via spiritus magis magisque proficiant (a).

CAP. XVI.

De visitatione, & cura infirmorum, de Sacramentis suo tempore ministrandis, deque animarum commendatione.

PRo infirmis omnis Parocho sit solicitudo, etiamsi non sit vocatus eos invisendi monendique, ut tempestive Sacramentis muniantur, nec familiarium, vel consanguineorum dictis, qui in serius passim differri tempus expetunt, facile acquiescat, ne ingravescente morbo ali-

(a) *Vide epist. Card. Lanfredini ad Parochos suarum diœceseon Auximanæ & Cingulanæ cap.* della necessità che ha il Parroco d'essere uomo d'orazione.

liquem contingat sine sacramentis decedere, cumque opus fuerit tam infirmo, quam ejus familiaribus, vel consanguineis in memoriam revocet Lateranensis Concilii, ac plurium summorum Pontificum decreta, quibus cavetur sub gravibus pœnis, ne medici ultra tertiam vicem ægrotos visitent, nisi prius ipsis certo constet illos Confessionis Sacramento rite expiatos fuisse. Ægrotos etsi Sacramentis refectos ne deserat Parochus maxime in mortis agone, quo atrociores sunt Satanæ impetus, & callidiores insidiæ, majorique indigent animæ salutarium adhortationum, & sacrarum precum adjutorio. Impigre ergo Parochus moribundis assistat, animæ commendationis officium præstet, & dum mente viget infirmus ad fidei, spei, caritatis, aliarumque virtutum actus eliciendos eum adhortetur & excitet (*a*). Modum autem juvandi morientes sicut & de cura & visitatione infirmorum subministrabit Rituale Rom. in suis respective titulis, quod jugiter evolvere debent Parochi, ut rite suum munus adimpleant. Si quem vero Parochum in iis, aut in una ex recensitis obligationibus desidem aut deficientem comperimus, gravissimis pœnis pro modo culpæ arbitrio nostro plectemus (*b*).

CAP.

(a) *Agonizantibus, & moribundis assistere debere Parochum docet Clericatus de Extr. Unct. decis.74. num.23.*

(b) *S.Carolus in primo Conc. Provinciali*: Parochi ægrotos etiam non vocati invisant, ut ad Sacramentorum susceptionem inducant, & eorum animabus quacumque ratione possunt, solicite consulant. *Plura Lanfredinus in cit. epist.* di quello che debba fare il Parroco cogl' infermi.

CAP. XVII.

Diebus Dominicis & festis de præcepto Parochis, & quibuscunque animarum Rectoribus celebrandum, & sacrificium pro populo applicandum.

CUm præcepto divino mandatum sit (*a*) omnibus, quibus animarum cura commissa est pro suis ovibus sacrificium offerre, & tam frequenter celebrare (*b*) ut suo muneri satisfaciant, S. C. Concilii Tridentini interpres pluries declaravit Missæ Sacrificium applicandum esse a Parochis, aliisque animarum Rectoribus pro vivis, & defunctis populi curæ sibi commissæ (*c*). Neque ab hoc onere excusandi veniunt Parochi sive perpetui, sive ad nutum amovibiles, etiamsi tenues iis sint reditus; quia sibimetipsis imputare debent, si pauperem Parochiam scientes & volentes acceptaverunt, quod a S. C. Concilii pluries declaratum fuit, quapropter præcipimus, & mandamus omnibus, & quibuscumque animarum Rectoribus, ut singulis diebus Dominicis & festis Missam celebrent, & Sacrificium pro populo Parochiæ quam regunt applicent, utque de tali adimplemento innotescat, volumus in peculiari libro ad hoc deputato Missas a Parochis celebratas per eos adnotari.

(a) *Conc. Trid. sess. 23. cap. 1.*
(b) *Idem Trid. eadem sess. cap. 14.*
(c) *Sacr. Congr. Conc. in Civit. Caseel. 26. Augusti 1628. & 1. Septemb. 1629. in Hydrunt. 13. Februarii 1639. in Romana 27. Julii 1649. In Clusin. 5. Julii 1670. In Milit. 10. Maji 1692. In Cremon. 26. Decembr. ejusd. anni. In Pampil. 8. Novembr. 1702. In Camerin. 28. Junii 1704. Demum in Forolivien. 6. Martii 1723.*

CAP. XVIII.

De habentium curam animarum residentia, & qualis ea esse debeat, deque pœnis contra non residentes.

CUnctis animarum Pastoribus assidue inter suas oves residentiæ onus incumbere, illudque a Conciliis, & Patribus, & novissime a Tridentino (*a*), & summis Pontificibus inculcari perspicuum est. Nos propterea eorum vestigiis inhærentes jugem Parochis residentiam inculcamus præcipimus & mandamus, eamque esse volumus studiosam formalem & operantem, non materialem, & vacuam, ita ut omnem Parochi laborem & onus super viceparochos rejicientes ad sacra ministeria obeunda manum non admoveant, & plane quiescant; quoniam Parochos in suis Parochiis residere juxta animadversionem Concilii Aquilejensis (*b*) nihil aliud est, quam in iis laborare & operari. *Quod de residentia a S. Trid. Concilio, & summorum Pontificum constitutionibus cautum est, hoc non est intelligendum, ut præsentia assideant, nihil præterea agant, cum ex sacris Canonibus residentia sit accipienda in eum sensum, ut sit laboriosa non otiosa.*

2. Parochi vero, sive alii animarum Rectores quocumque nomine appellentur, si in suis Parochiis residere negligant præter gravis culpæ reatum quem incurrunt, aliasque pœnas arbitrio nostro infligendas, pro rata temporis absentia se norint fructus suos non facere, nec illos tuta conscientia, etiamsi nulla prorsus declaratio secuta fuerit, retinere posse, sed in utilitatem Ecclesiarum a quibus abfuerint loci arbitrio nostro esse erogandos.

Con-

(a) *Sess. 23. cap. 1.*
(b) *Sub anno 1596.*

Contumaces vero per ecclesiasticas censuras, & subtractionem fructuum, atque alia juris remedia, etiam usque ad Parochiarum privationem compellemus juxta Trid. Conc. sanctionem..

3. Et quamvis a Tridentino sit Parochis indulta facultas, ut per duos menses causa prius a nobis cognita & probata, abesse possint; haud tamen sibi licere autument non petita vel non obtenta licentia per hebdomadam a Parochia distare, etiamsi OEconomum, sive Confessarium a Nobis approbatum in ea relinquant (*a*). Immo nec pro absentia modici temporis, nempe unius diei deserenda est Parochia, nisi aliquis in ea remaneat Confessarius designatus, qui in casibus repentinis Parochi vices suppleat. Quod si absentia usque ad triduum protrahatur, urbanos & suburbanos Parochos a Nobis, vel a nostro generali Vicario licentiam volumus obtinere; ruralibus vero, ut a Vicariis foraneis habeant, indulgemus, relicto semper in Paræcia Confessario approbato. Ultra trium dierum spatium eamdem licentiam non a Vicario foraneo, sed a Nobis, vel nostro generali Vicario petitum veniant sub pœnis arbitrariis.

Cumque aut ægritudinis, aut aeris mutandi necessitas pro recuperanda salute, aut alia rationabilis causa subsit, ob quam Parochi a residentia discedere petant, rei qualitate a Nobis perpensa & probata, juxta facultatem Nobis a Trident. concessam omni cum iis æquitate agemus, opportunam in scriptis, & gratis licentiam largientes.

CAP.

(a) *Sacr. Congr. Conc. 7. Octobr. 1604. lib. 10. decret. pag.* 100.

CAP. XIX.

In Ecclesiis Parochialibus, ubi non est archivum sive armariolum construatur ad custodiendas scripturas, vel libros Parochiales, vel saltim domi habeatur; & innuitur modus quo se gerat Parochus requisitus ad extrahendam fidem Baptismi alicujus damnandi ad mortem.

1. UT alibi ediximus in singulis Ecclesiis Parochialibus & præsertim Archipresbyteralibus, ubi ad præsens non adest archivum, erigatur, seu saltem decens armariolum sera & clavi munitum in Sacristia collocetur ad effectum ibi libros, scripturas, inventaria, & publica instrumenta continentia reditus, bona, privilegia, onera, concessiones, aliaque jura quomodolibet spectantia; libros item Parochiales nimirum baptizatorum, confirmatorum, matrimonia contrahentium, mortuorum, ac status animarum diligentissime custodiendi; verum si magis opportunum videatur, ut Parochus suæ habitationis domi præfatum armariolum retineat, in ejus facultate relinquimus, dummodo diligenti cura & sub clavi servetur. Qui quidem libri, moriente Parocho, si forsan apud ejus heredes remanserint, statim intra terminum octo dierum OEconomo stricte consignari debeant, & peracto tempore œconomiæ Œconomus nostræ Curiæ Archiepiscopali tradat.

2. Opportune autem Parochos hic monemus, ne unquam a baptizatorum libris fidem extrahant judici seculari exhibendam ad effectum recognoscendi ætatem rei mortem quidem subituri, si minoritatis fines excesserit. Eo nihilominus casu satis est petenti judici librum exhibere, ut Parochus ab irregularitate evadat immunis, quem-

quemadmodum in una Lycien Sacr. Congr. declaravit (a).

C A P. XX.

Pascendus grex conversationis exemplo,

1. ANimarum Pastor gregem suum sacris nedum eloquiis, Sacramentorum administratione, & spirituali subsidio, sed & boni operis testimonio, conversatione, & vita pascere debet; ita nimirum ut nihil sit in actu inverecundum, in gestu immodestum, in verbis procax, in incessu turbidum, in sermone obscenum, & ut ait D. Paulus: *Sic existimet homo ut ministros Christi nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum* (b). Id quod iis verbis Divus Petrus expressit: *Pascite, qui in vobis est gregem forma facti gregis ex animo* (c); utque explicat D. Thomas, forma ad cujus aspectum informentur alii, & concipiant fœtus similes diversarum virtutum, sicut ad aspectum virgarum diversi coloris oves Jacob concipiebant agnos juxta colores quos videbant; vel ut ait Divus Anselmus: *Forma esto gregis, hoc est, ita vive, ut sis omnibus forma vivendi, & qui te viderint, legant in operibus tuis, veluti in libro & exemplari, quod agere debeant.*

2. Hæc omnino recolentes, ut Parochos, & quoscumque animarum Rectores ad Dei gregem, quam solertissime pascendum excitemus atque extimulemus, ob oculos ponimus illum districtionis diem, quo Princeps pastorum veniet, & rationem cum servis suis, quibus talenta cre-

(a) *S.C.C. in Lycien* 10. *Decemb.* 1661. *Vid. Monacell. formular. tom.* 2. *tit.* 13. *formular.* 3. *num.* 36.
(b) 2. *ad Coloss.* 6. & 3.
(c) 1. *Petr.* 5. & 3.

credidit ponet. Non parvi momenti ducenda res eſt aliorum curam ſuſcipere, immo ars artium eſt regimen animarum, & nihil periculoſiûs, ſi perfunctorie res agatur, quia de quolibet parochiali curæ ſubjecto dicitur: *Cuſtodi virum iſtum ſolicite, qui ſi lapſus fuerit, erit anima tua pro anima illius*. Qui vero expletis ſuis muneris partibus fructum in grege fecerint venientes venient cum exultatione portantes manipulos ſuos, & non ſolum æternæ vitæ coronam, ſed & ſpecialis gloriæ aureolam, quæ iis debetur qui ad juſtitiam erudiunt multos, promerebuntur, dicente D. Petro: *Et cum apparuerit Princeps paſtorum immarceſcibilem coronam cum eo percipietis in gloria*.

TITULUS XII.

De vita, et honestate Clericorum.

CAP. I.

Vivendi forma quæ a Clericis servanda est præscribitur. Quinam libri iis legendi, quive nec legendi nec retinendi.

1. Clericos in sortem Domini vocatos ita coram Deo, & hominibus ambulare oportet, ut eorum laudabilis vita, & probi mores cunctis ædificationem præferant, Ecclesiam honorent, & ordini clericali reverentiam & venerationem concilient. Inquit enim Christus Dominus (a). *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est*. Ut ergo omnes, qui Dominum in hæreditatem sortiti sunt, coram ipso & hominibus irreprehensibiles sint, scientiæ pietatisque documenta, & ecclesiasticarum functionum peritiam pro suo quisque captu præ manibus habeant, comparent sibi & frequenter legant libros utiles, nempe sacram Scripturam, Concilium Tridentinum, Catechismum, Rituale Romanum, exercitium perfectionis Rodriquez, Thomam a Kempis, Summam aliquam casuum conscientiæ pii, & gravis authoris; vitas Sanctorum, & nostras synodales constitutiones & alios iis similes libros pios doctos & probatos, eorumque studio assidue incumbant. Parochi vero, eorumque in animarum cura adjutores præter supradictos habeant

 etiam

(a) *Matth.* 5.

etiam libros ad verbi divini prædicationem, Sacramentorum administrationem, & ad commendandas animas pertinentes.

2. Districte tamen omnibus Clericis inhibemus, ne legant, imo & ne penes se libros retineant quacunque ratione prohibitos: alienum quippe & a christiana professione, ac multo magis a clericali, atque etiam ab humana prudentia tot optimos pios utiles & doctos libros postponere, ac pervolvendos eos assumere, quorum lectio est per Ecclesiam interdicta. Item omnibus mandamus, ut obscena continentes, amatorios, & parum pudicos a se libros abjiciant (a).

CAP. II.

Habitum, & Tonsuram Clerici gestent, & Ecclesiæ inserviant.

ET quia gens sancta interiori cordis affectu Christum induta, exteriori quoque corporis cultu conspicua esse debet, idcirco in prima tonsura, vel minoribus ordinibus constituti, habitum & Tonsuram clericalem deferre, & Ecclesiæ cui adscripti sunt sedulo inservire tenentur. Qui autem clericalem habitum, & tonsuram dimiserit, & laicorum vitam traduxerit, illico fori privilegio se spoliatum remanere sciat (b). In Sacris vero existentes, omnesque in quolibet ordine beneficia ecclesiastica ob-

(a) *Vide Conc. Mediolan.* 1. *par.* 2. *tit. Qui libri. Conc. Avenion. an.* 1594. *cap.* 32. *Conc. Benev. anno* 1656. *tit.* 27. *n.* 2.

(b) *Concilium Viennense relatum in Clementinis, lib.* 3. *Clementinar. cap.* 3. *Trident. sess.* 14. *de reform. cap.* 6. *Conc. Roman. sub Benedicto XIII. Fagnan. in Can. si quis num.* 21. *& seqq. de foro compet. Concordata postrema cum S. Sede cap.* 4. *num.* 8.

obtinentes, præfato habitu & congruenti tonſura aſſidue utantur ſub pœnis in Concilio Tridentino contentis (*a*).

C A P. III.

Frequens Eucbariſtiæ perceptio, aliave Clericis inculcantur.

CLerici ſacram Communionem, doctrinam chriſtianam, collationes caſuum conſcientiæ juxta a nobis pluries ſancita frequentent. Omnes vero qui ad divini Officii recitationem tenentur, competentibus horis ſtudioſe pariter & devote peragant; preces vocales, atque etiam mentales cum meditationibus pro ſua quiſque pietate religioſe fundat.

C A P. IV.

Vetitos ludos Clerici fugiant.

ALeas (*b*), chartaſque luſorias, ac ſimilia, quibus interdum ludentium animi avocantur a divinis, reditus etiam eccleſiaſtici male profunduntur, Dei & Sanctorum nomen impie balſphematur, nec raro ad gravia devenitur, ſibi omnino interdicta eſſe per ſacros Canones Clerici noverint, & nos diſtricte præcipimus & mandamus, ne Sacerdotes, aliique in Sacris ordinibus conſtituti taxillis, aleis, foliiſque luſoriis, ſub pœnis arbitrariis, ullo

 pa-

(a) *Seſſ. 14. cap. 6. & in conſt. Sixtina.*

(b) *Antiquiſſima prohibitio legitur in Can. 42. & 43. ex Apoſtolicis, ac ſtabilitur Can. 50. Trullano. Vide etiam quæ ea de re conperuntur in Codice Juſtiniam. leg. 17. C. de Epiſcopis & Clericis, & lege 34. Codice de Epiſcopali audientia. Vide Can. 3. & 4. Conc. Turonen. 3. anno 813. celebrati. Item Can. 6. Conc. Lateran. IV. & Trid. ſeſſ. 22. cap. 1.*

pacto ludere audeant, nec domum ad ludendum locent, vel adeant inspecturi sub eisdem pœnis. Quod si prædictis ludis palam occupari deprehendantur acrius in eos animadvertemus. In minoribus vero Clerici hisce ludis dediti arbitrarias quoque pœnas non evadent, nec ad ulteriores erunt ordines promovendi.

CAP. V.

Clamorosas venationes evitent, & arma ne ferant; a secularibus conviviis procul absint, & citra necessitatem cauponas non adeant.

A Venationibus in quibus canum, armorum, clamorumque strepitus intervenire solent omnino abstineant (*a*), neque quocumque prætextu ullum armorum genus diurno aut nocturno tempore ferre audeant sub pœnis amissionis eorumdem, pecuniariis, carceris, aliisque pro loci, temporis, armorumque ratione; victus frugalitati studeant, & secularia convivia contra Sacerdotalis reverentiæ honestatem enixe fugiant. *Consolatores*, inquit D. Hieron. (*b*), *potius nos in mœroribus suis, quam convivas in prosperis noverint; facile contemnitur clericus, qui sæpe vocatus ad prandium non recusat*. Tabernas (*c*) nisi

(a) *Oritur hæc prohibitio potissimum ex Can. 15. Lateran. IV. Vide Thomasin. disciplinæ p. 3. lib. 3. cap. 42. & seqq. de Venatione; præsertim diserte loquuntur Conc. Agathense Can. 52. & Epaonense Can. 4.*

(b) *In Epist. ad Nepotian.*

(c) *Notandus Canon. 9. Trullanus: nulli licere Clerico Cauponariam habere tabernam. Si enim ei in tabernam ingredi non est permissum, multo magis &c. Vide etiam Canonem 27. Carthagin. III. multo autem magis IV. Laodicenum, & quadragesimum tertium ex Apostolicis. Ut omittam Canones posteriores Francofordiensem nonum, Alenensem 24. aliosque. Sed non omittendus 16. Lateran. IV.*

nisi itineris necessitate compulsi non ingrediantur. Vino, in quo est luxuria, modice utantur, memores ebrietatem pessima vitia & fovere & alere. Quæ quidem censuris atque corporalibus suppliciis in Clericis plectenda est.

C A P. VI.

Parum honestis repræsentationibus Clerici interesse, in profanis comœdiis personas agere, in Sacris vero sine licentia prohibentur; de nocte e domo nisi in suo habitu & cum lumine & modeste non exeant.

A Choreis, spectaculis (*a*), scenicis, aliisque cœtibus, ubi amatoria, & turpia obscenis verbis, sive deformibus corporis motibus, sive lascivo cantu efferuntur, omnino abhorreant. Ipsos autem clericos præsertim in Sacris ordinibus constitutos in profanis comœdiis, aut etiam sine nostra licentia in Sacris, repræsentationis actores fieri, aut denique personatos in publicum prodire (*b*), sub gravissimis pœnis inhibémus. Nocte domi suæ morentur; & si qua urgente causa exeundum erit, in habitu clericali, ac etiam post secundam noctis horam cum lumine nec voce nec fidibus canendo, vel canentes comitando sub severis pœnis, modeste incedant.

CAP.

(a) *Synodus Laodicena Can. quinquagesimo quarto relat. a Gratiano Can. XXXVII. de consecratione dist. V. Synodus Agathensis relata etiam ab eodem Can. vigesimonono dist. 34. Vide acta Ecclesiæ Mediolanensis Concil. Provincial. prim. p. 2.*

(b) *Plura de his omnibus agit novissime doctus P. Concina Ord. Præd. in tract. de spectaculis edito Romæ an. 1752. dissert. 3. de Presbyteris personatis per totam.*

CAP. VII.

Clerici cum mulieribus, nisi sint consanguineæ usque ad secundum gradum non cohabitent, neque famulam habeant, nisi saltem quinquagenariam, nec mulierum domos sæpe adeant; nec eas literas doceant sine nostra licentia.

CUm per sacros Canones (*a*) Clericis districte prohibitum sit secum in eadem habitatione quascumque feminas etiam non suspectas retinere, præterquam usque ad secundum consanguinitatis, vel affinitatis gradum conjunctas, nempe matres, avias, sorores, materteras, amitas, fratrum & sororum filias, propterea mandamus, ne ullam mulierem sub quovis ancillæ seu famulæ nomine licet honestæ semper famæ, quæ ad minus quinquagenaria non sit, domi secum habere præsumat (*b*). Monemus insuper ad omne incontinentiæ periculum, ac suspicionem caute vitandam, ut extranearum quoque mulierum ædes, familiaritates, congressus, secreta colloquia quovis officii pietatis, aut patris spiritualis, seu directoris præ-

(a) *Celeberrimus est Can.tertius Conc.Nicæni de mulieribus subintroductis, imo potior, & antiquior Canon.27.Concilii Illiberitani; videndi Can.17.Conc. Carthag.3. & Can.3. Arelatensis 2. Lege etiam epistolam S. Siricii Papæ ad Himerium Tarraconensem cap.12. columna 635. edit. p. Constant. & exactissimos Canones, tertium Bracarensis Concilii anno 675. celebrati, ac tertium etiam Nannatensis relatum in cap.1. tit. de cohabitatione Clericorum. Item decimum Moguntini celebrati anno 888. ac innumeros pene alios.*

(b) *Plura Gonzalez in cap.Monasteria 8. de vita, & honest.Cleric.n.7. & 10. & in cap.unico de officio Primicerii n.2. Hieronymus Plati tract. de Card. dignitate offic. cum addition. Illustrissimi D.Joannis Andreæ Tria Archiepiscopi Tyri cap.21. & §.unic. & in præfat. pag.6. cum seq. edit. Romæ 1746. ubi affert celebrem epistolam S. Caroli Borromæi ad Andream Card. Bathorium.*

prætextu, nullatenus frequentent, nec puellas, sive quascumque mulieres domi ad legendum vel scribendum instruant sine nostra licentia sub pœnis arbitrio nostro.

C A P. VIII.

Seculi negotia aliaque sibi vetita fugiant Clerici.

QUia Clerici omnes Deo militare debent, ideo ipsos nec lucrum sectari, nec secularibus negotiis aliquo modo implicari maxime decet (a). Nullam itaque mercaturam, aut negotiationis genus per se, vel per alium exerceant. Laicorum prædia, reditus, vectigalia non conducant, nec ulla cum conductoribus communione jungantur. Fructus, bona, jura suorum beneficiorum fideliter & sedulo tuentes, aliena non usurpent. Publicis Universitatum comitiis non intersint, nec earum negotiis se immisceant. Secularibus personis præcipue feminis in ulla domus gubernatione haudquaquam famulentur; demum in nullo commercio, officio, aut arte seculari, crasso labore aut sordido, si potissimum palam exerceatur, omnino versentur. Qui in aliquo ex præmissis deliquerit, juris, aliasque dabit pœnas arbitrio nostro in-

(a) *Celebris etiam hic est Canon III. Concilii generalis Chalcedon. de Clericis conductoribus alienarum possessionum, & secularium negotiorum gestoribus. Item Canon.* 15. *Conc. Carthag.* 3. *ubi....* Clerici non sint conductores, neque procuratores, neque ullo turpi, aut inhonesto negotio victum quærant. *Vide etiam Canonem* 9. *dist.*88. *& causa* 12. *q.* 1. *can.* 7. *Concilium Coloniense anni* 1260. *can.* 7. *ait* : Negotiatio in Clericis, & usura in laicis quasi unius generis censentur. *D. Hieron. in Epist. ad Nepotianum*, negotiatorem Clericum quasi quandam pestem fuge. *Lege Epist. Eugenii Secundi ad Episc. Lucensem relatam cap.* 2. *tit. ne Clerici vel laici secularibus, & Constit. Alexandri III. relatam cap.* 5. *eodem titulo*.

infligendas. Cumque Clericorum vita ceteris recte vivendi norma esse debeat, eos in Domino hortamur & obsecramus, ut sæpius mente recogitent Tridentini verba (a): *nibil est quod alios magis ad pietatem, & Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita & exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt. Cum enim a rebus seculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos tanquam in speculum reliqui oculos conjiciunt, ex iisque sumunt quod imitentur.*

TI-

(a) *Seff. 22. de Reformat. cap. 1.*

TITULUS XIII.

De Divinis Officiis.

SIcut in Ecclesia triumphanti Beatorum Spirituum chori jugiter laudes Deo persolvunt, ejusque nomen incessanter glorificant, sic & in militanti Ecclesia ad Sacerdotes, ac homines divino servitio dicatos spectat psalmis, hymnis, & orationibus Domino cœli, & terræ dare cultum, & honorem, & gloriam, & benedictionem. Quod ut non solum fiat, sed etiam pie ferventer atque ordinate ad effectum perducatur, ea quæ subnectimus, plane observari volumus.

CAP. I.

Divini officii recitandi modus innuitur.

IN primis officium sive in choro sive privatim non utcumque, sed religiose attente ac devote persolvendum est. Unde illud recitantes non se interim occupent in actibus exterioribus animum alio trahentibus, aut attentionem divertentibus, non cursim, non oscitanter, non mutilatis, vel compressis verbis, non festina, neque præcipiti locutione dicendum est, sed ea reverentia & devotione, qua oportet Deum alloqui & exorare. Id quod apposite & feliciter expressit Summus Pontifex Clemens XI. initio propemodum sui Pontificatus (*a*), ubi sic ad rem legitur: *Vuole Sua Beatitudine, che V.S. inculchi premurosamente a' Canonici, Benefiziati, Manzionarj, Cap-*

 pel-

(a) *In Encyclica epist. S.Congr. Episcop. & Regular. Italiæ, & adjacentium insularum Episcopis missa, & in suo bullario typis excuso pag.* 592.

pellani, Cherici, ed altri Servienti tanto della ſua Cattedrale, quanto delle Collegiate della ſua Dioceſi l'obbligo ſtrettiſſimo, che anno di aſſiſtere in Coro con ogni riverenza, ſilenzio, e modeſtia, come conviene alla preſenza della tremenda Maeſtà dell' Altiſſimo; ed il ſalmeggiare con divozione di cuore, e proporzione di voce, ſenza precipitazione, o troncamento di parole, in modo che una parte del coro non cominci il verſetto, prima che l' altro ſia finito, acciò il popolo poſſa intendere quello che ſi canta, ed eſſere eccitato a divozione, e compunzione in udire le divine lodi. Et quamvis illud recitantes extra ſtatum gratiæ oneri proprio ſatisfaciant, memores tamen ſint verborum pſalmi (*a*): *Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum?* proinde obnixe monemus, ut quantum fieri poteſt, cuncti horas canonicas perſolvant in Dei gratia conſtituti, utque in puritate conſcientiæ, ac animi devotione abſolvantur, expoſcit Clementina prima (*b*).

C A P. II.

Ferialis officii recitatio devote explenda. Detegendum caput, cum Jeſus, Maria, & quædam alia nominantur.

NEc tædeat porro recitantes officiorum ferialium, quæ iis dumtaxat faſtidium creare poterunt, quos religionis piget ac pietatis (*c*). Enimvero Venerabilis Cardinalis Thomaſius tam fervens devotionis alimentum ex il-

(a) *Pſal.*49.
(b) *De celebratione Miſſarum*.
(c) *Vide Muratorium* della regolata divozione *cap.*20. *in fin.*

illorum recitatione se percipere sentiebat, ut facultatem officia de tempore quotidie recitandi a S. Sede sibi fieri exoraverit (*a*). Inde ergo illud provenire necesse est, vel quod alio in persolventibus indevotus feratur animus, vel quod pauci intelligant, quod recitant omnes. Quamobrem nonnullorum etiam quæ frequenter occurrunt locorum (*b*) sensui assequendo peculiariter insistendum, quorum intelligentia digna saltem semel est studio recitantium. Quoties vero in officio, necnon in Missa aliisque sacris functionibus memoratur nomen *Jesu*, *Mariæ*, aut Sancti, cujus ea die fit festum, omnes in Choro deposito bireto caput inclinent; item quando dicitur *Gloria Patri* &c. seu tres Personæ Sanctissimæ Trinitatis sub quibuslibet verbis exprimuntur, aut nomen Papæ viventis profertur.

(a) *Quamvis de hujus facti veritate dubitet Pater Benedictus Plazza in tract. de vindicata devotione de Sanctis part.* 1. *cap.* 11. *num.* 25. *edit. Panorm.* 1751.

(b) *Exempla esse possunt sequentia in hymno*: O Gloriosa Virginum, *ubi legebatur olim* lactasti sacro ubere, *legendum hodie ex correctione Urbana*: Lactente nutris ubere, *non* lactante, *ut irrepsit non raro in editis: quippe quod non naturæ fæcunditate Regem Angelorum sola Virgo lactabat, sed ubere de Cælo pleno. Vide Sarnellum in opere cui titulus* lume a'principianti nelle materie Ecclesiastiche *part.* 1. *quæst.* 24.

Eodem pacto in Antiphona illa: Sancta Maria succurre miseris, *quæ desumta est ex sermone* 18. *de Sanctis Augustino attributo* pro devoto femineo sexu *precamur*, *verbum illud* devotus *pro sacro intelligendum est, ita ut personæ in eo sexu Deo sacræ intelligendæ sint. Auctor siquidem Sanctimoniales a Clero, & Populo distinguere voluit. Sic Agatha ad Luciam*: Soror Deo devota. *Sic Toletanum primum Canon.* 16. devotam peccantem non recipiendam in Ecclesiam. *Sic Isidorus Origin.* 19. *cap.* 31. pileum phrygium ornamentum capitis devotarum. *Vide Macri in Hierolexico verbo* devota, *&* Antiphona.

Demum quando legimus Beatam Virginem cunctas hæreses interemisse, *ita intelligendum quod sub ejus protectione, & patrocinio Doctores Ecclesiæ, ac Patres illas interemerint, quemadmodum ex Baronio observat ibidem Macri. Ita ergo in similibus, semel adhibita diligentia verus sensus habebitur.*

CAP. III.

Ad horas Canonicas obligati quotannis de Ordinario sibi provideant, atque in eo proprium nomen adnotent.

UT unus atque idem servetur ordo in divini Officii recitatione omnibus mandamus, qui ad horas canonicas persolvendas tenentur, ut sibi comparent libellum, qui solet *ordinarium* seu ordo divini officii nuncupari: quoniam autem non raro contingit nonnullos desidia, aut avaritia detineri, quominus illum sibi emant; unde in officio recitando, missisque celebrandis deviant a rubricis, ideo sciant Nos in visitatione una cum breviario ordinarium exhibendum exquisituros, cui volumus proprii domini nomen inscribi.

CAP. IV.

Propria voce cantus, & divini officii recitatio comitandus est.

CAnonici, aliique, quibus inest obligatio choro interessendi, dum divina officia persolvuntur, noverint se propria voce quoad fieri potest cantum atque horarum canonicarum recitationem, quæ ab aliis alta voce fieri solet comitari debere, ut satis aperte indicat S. Concilium Trid. (*a*), ubi de Canonicis loquens sic decernit: *Omnes vero divina per se & non per substitutos compellantur obire officia, & Episcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti assistere, inservire,* *atque*

(a) *Sess.* 14. *cap.* 12. *de Refor.*

atque in choro ad psallendum instituto hymnis & canticis Dei nomen reverenter distincte devoteque laudare; neque suæ satisfacere obligationi, neque distributiones (*a*) lucrari Canonicos non canentes in Choro pluries declaravit S. Congregatio (*b*) C. Tridentini interpres.

CAP. V.

Locus congruus, & stata tempora in divini officii recitatione serventur.

DE loco & tempore, quo horæ canonicæ canendæ sunt, latet neminem, consuetum Ecclesiæ chorum esse proprium canendi locum. Quod si justa de causa scilicet ob frigoris rigorem, vel nimium calorem horas canonicas in Choro persolvere nimis esset incommodum, & valetudini noxium, Nobis deferatur ut pensatis omnibus aliam Ecclesiæ Capellam, aut alium decen-

(a) *Die 12. Januarii 1619. lib. 12. decret. pag. 1.*

(b) *Distributionum quotidianarum origo post invectas præbendas refertur ad tempora S. Ivonis Carnotensis, qui sic scribit ad Paschalem Secundum Papam:* Cum in pluribus Canonicorum Carnotensium desuevisset disciplinæ regularis observantia, ut de negligentibus facerem diligentes, de somnolentis vigilantes, de tardis assiduos ad frequentandas horas Canonicas deliberavi apud me, ut darem iis dimidiam præposituram, ut inde fieret quotidianus panis, quem acciperent assidui, amitterent tardi, ut ad quas eos panis interni dulcedo non movebat, panis corporei refectio provocaret; quamvis eorum annua præbenda eis ad hoc sufficiens esse deberet.

Celebre est illud August. in Psalmo 53. Voluntarie sacrificabo tibi &c. Si propter aliud laudas Deum, ex necessitate laudas. Si adesset tibi quod amas non laudares Deum, vide quid dicam. Laudas Deum, ut det tibi amplam pecuniam; si aliunde haberes amplam pecuniam non a Deo, numquid laudares Deum? Si ergo propter pecuniam laudas Deum, non voluntarie sacrificas Deo, sed ex necessitate sacrificas, quia præter illam nescio quid aliud amas.

centem locum designemus, ubi divina officia commode persolvantur.

Quod autem spectat tempus horas canonicas in Choro exsolvendi, servari volumus in cathedrali Ecclesia tabellam a Prædecessoribus nostris constitutam, quæ in sacristia conspicua esse debet, quamque renovamus & confirmamus. In aliis vero Ecclesiis, ubi divina officia decantantur, quod in sancta visitatione circa tempus inchoandi dispositum est, minime prætermittatur. Pro divini officii privata recitatione cum quis pridie recitare maluerit, habetur per extensum in ordinario singulis mensibus regula horaria matutinum cum laudibus anticipandi. Pro matutino defunctorum legatur ordinarium primi Novembris.

CAP. VI.

A pluribus abstinendum, cum divina officia persolvuntur.

TEmpore divinorum officiorum confabulari, nugari, dormire, literas, aut libros legere, imo & privatim horas canonicas recitare ad eum modum, quo in pluribus Conciliis vetitum est (a), prohibemus. Nec classici.

(a) *In Conc. Basil. sess. 21. cap. 3. sic habetur:* Nemo dum horæ Canonicæ in communi publice cantantur, legat, vel dicat privatim officium: nam non solum obsequium, quo obnoxius est, choro subtrahit sed alios psallentes perturbat. *In Conc. Avenion. celebrato anno 1594. cap. 34. sic decretum est:* Nullus Canonicus, nec Beneficiatus, neque alius Clericus inter canendum dormiat, nugetur, litteras aut libros legat, officium privatim recitet, per chorum vagetur, indecore sedeat, quidquamve faciat aut loquatur, quod chori disciplinam, & psallentium devotionem perturbet. *Sic in Narbonensi anno 1609. celebrato cap. 30.* In choro colloqui non permittatur, non dormiat aliquis, non nugetur, litteras aut libros non legat, officium privatim non recitet. *Sic tandem in 1. Concilio Provinciali Mediolan. p. 2. cap. 53.* Ne in choro ubi commu-

fici desunt auctores docentes graviter peccare eos, qui in choro horarum tempore risus, aut quæ ad rem non faciunt negotia permiscent. Neque in choro psallentes ibi permaneant incomposita & irreverenti corporis habitudine, nec pompatico & ambitioso modo, sed humili ac modesto, ea demum reverentia, qua coram Deo standum est, ejusque nomen in Ecclesia laudandum; eademque modestia etiam quoad oculos custodiatur, ne petulanter circumspiciant: nec interessentes choro quemquam extra illum salutent aut alloquantur.

C A P. VII.

Choralibus vestibus induti sint, qui divina officia in choro persolvunt, & uniformitatem in vestibus, atque in aliis servent.

QUo tempore divinæ laudes in choro decantantur, eidem adstricti ibidem adesse non audeant, nisi chorali habitu induti, atque insignibus sui gradus ordinis & officii; vestem nigram deferant usque ad talos pertingentem, & respective superpelliceum nitidum, habens manicas amplas. Caveant autem tum Sacerdotes tum Clerici tum Sacristæ, ne pro veste talari curtam cum superpelliceo, ne in Ecclesiis quidem campestribus adhibeant, sub pœnis arbitrariis. Uniformitas quoque Choralis habitus inter Dignitates, & Canonicos nostræ cathedralis servanda est: parit enim quamdam admirationem Cappâ nonnullos, muzzetta ceteros qui choro intersunt videre contectos. Eadem pariter servari debet in stando, se-

muni officio opera datur, privatim officium dicant, neve litteras, libros, aliave scripta legant.

sedendo, surgendo, genuflectendo, caput operiendo, vel detegendo, aut inclinando, prout juxta rubricas, & cæremoniale Episcoporum pro diversa temporis officiorumque ratione dispositum reperitur. Omnes denique quotquot in choro assistunt, cum psallendum est; conjunctis vocibus easdem orationes persolvant, & cum quiescendum, respective conquiescant religioso silentio, susurrationibus omnibus aliisque indecoris interim longius ablegatis.

CAP. VIII.

De chori Præfecto, deque his qui tarde ad chorum conveniunt.

PRæfectus chori curare debet, ut omnia rite ac recte in eo peragantur, nihilque prætermittatur, neve quid absurde & indecore fiat, aut a Sacris Canonibus, rubricis, & constitutionibus apostolicis devium; Ipse vero si quem corrigere opus sit, nonnisi depressa voce, vel manus, oculive indicatione, nec non graviter & amanter corrigat, sacramque disciplinam faciat observari.

Ad cohibendum (*a*) tarde ad chorum venientes, & ad choralium solertiam excitandam provide constituimus, ut qui post primum psalmum primi nocturni ad Matutinum pervenerint, ad alias vero horas, & vesperas post pri-

(a) *Quoad tempus lucrandi distributiones rigidius statutum in Concilio Basileensi sess.* 21. *tametsi legitimum tunc esse desierit.*
Ut qui in matutinis ante finem Psalmi Venite *in aliis horis ante finem primi Psalmi, in Missa ante ultimum* Kyrie Eleison *usque in finem divino officio non interfuerit, nisi forte necessitate cogente, & petita, ac obtenta a Præsidente chori licentia discedere oporteat, pro illa hora absens censeatur, salvis Ecclesiarum consuetudinibus, si quæ forte circa hoc arctiores existant. Hactenus Concilium.*

primum itidem psalmum, & ad Missam conventualem post *Gloria in Excelsis &c.*, in Missis Defunctorum post Epistolam, pro absentibus respective horis reputentur. Quæ sane mora discrete tolerabitur si rarius, ac justa ex causa contingat, puta si inchoata alicujus pœnitentis confessio apud Sacerdotem choro interfuturum in longum protrahatur, tunc enim consentaneum ducimus, ut habeatur pro præsenti, donec expleta fuerit confessio.

Cum vero Ecclesiæ exposcat necessitas, ut aliqua Missa privata celebretur, dum divina officia peraguntur, petita venia ab eo, qui choro præsidet, Sacerdos tunc celebrans tamquam in choro præsens habeatur, & distributiones lucretur.

C A P. IX.

De Punctatoribus, & Rationalibus.

CHori Punctatores juxta morem hactenus servatum quotannis eligendi coram Nobis, vel Vicario nostro generali, in diœcesi vero coram Archipresbytero, seu antiquiore Sacedote communitatis ecclesiasticæ juramentum præstent de munere suo recte ac fideliter exercendo; quod si in tali officio infideles deprehendi contigerit, ultra obligationem id restituendi quod eorum fraude præsentibus non accrevit, suspensionis pœnam nobis reservatam ipso facto incurrant, perjuriique quoque aliisque nostro arbitrio pœnis severe punientur. Cumque sæpe nonnullæ super distributionibus lites emergant, quas nimirum quandoque supputationum tempore prætendunt, qui aliqua de causa a choro absfuerunt, ad lites hujuscemodi eo tempore resecandas statuimus, eos qui distributiones ex legitima causa sibi deberi conten-

derint, eo ipso tempore quo absunt, suæ Punctatoribus absentiæ causam aperire, ut distributiones debeantur necne per Punctatores tunc discutiatur; perdifficile enim foret tali discussione in longum abeunte facti circumstantias pro rei veritate invenire. Rationalibus idcirco prohibemus sub eadem pœna suspensionis puncta addere vel demere, cum eorum munus exhibitis punctatorum notulis ad solas rationes supputandas restringatur. Si quis autem alius quippiam in punctorum notulis addere, vel delere præsumserit, eamdem suspensionis pœnam eo ipso incurrat, a qua absolvi nequeat nisi restitutione secuta.

CAP. X.

De iis qui ob infirmitatem, aut rationabilem corporis necessitatem, aut Ecclesiæ utilitatem, licet a chori servitio absentes, distributiones lucrantur.

1. IN capite *Consuetudinem* (a) decernitur, quotidianis distributionibus carere eos, qui horis canonicis, aliisque ecclesiasticis functionibus non intersunt, exceptis illis, quos infirmitas, seu justa & rationabilis corporalis necessitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas excusaret. Pia ergo mater infirmos compatitur, iisque tamen hac lege quotidianas elargitur distributiones, si Ecclesiæ, cum bene valerent, inservire consueverant.

2. Hinc fit, quod non infirmitas ad arbitrium conficta, non quivis capitis dolor, non omnis hypocondriæ flatus, quæ Canonico, aut Participanti impedimento non sunt, quo minus cetera sua peragat, sub infirmitatis nomine

(a) *De Cleric. non resid. in 6.*

mine & re comprehenduntur, atque adeo assequendis in absentia distributionibus non sufficiunt; sed infirmitas cum omnibus circumstantiis examinanda est an vere subsistat, & distributiones modo nuper explicato justa sit causa, cur absentes lucrari possint.

3. Præteritas licentias, seu dispensationes choro non interveniendi pro aliquibus horis, & distributiones percipiendi, quas nonnulli ex fide Medicorum de infirmitate habituali testantium a nobis, sive a nostro generali Vicario nacti sunt, non esse in posterum attendendas, cum eadem non perstet infirmitatis causa, decernimus. Quemadmodum enim Medici suarum attestationum, & Superiores licentiarum in uno rerum eventu rationem habuerunt, sic mutatis deinde circumstantiis tum attestationes tum licentiæ non amplius attenduntur: quapropter singulis annis opus est perquisitione & indagine, præsertim cum infirmitates per seipsas non liquido patent.

4. Hi vero qui ob justam & rationabilem corporis necessitatem a chori servitio absunt, & nihilominus distributiones percipiunt, in plures classes dividuntur: primum sibi locum vindicare videntur, qui tempore pestis quæ grassatur in loco, ubi divina celebrantur, ab eo recedunt, nec divinis intersunt. Attamen S. Congr. re mature perpensa in hunc modum decrevit in causa Mediol. (*a*) *Sacra &c. censuit Canonicis causa pestis absentibus deberi quotidianas distributiones, si pestis grassetur, & petentes soliti sint inservire, & probetur legitima consuetudo, quod distributiones hujusmodi absentibus ex justa causa debeantur*. Quando autem dicatur pestis grassari, ut sit justa causa absentiæ judicio Episcopi esse relinquendum.

(a) *9. Novembris 1630. lib.4. decret. pag.337.*

Secundo qui podagra laborat, & vere impeditur, ut horis canonicis interesse valeat, tunc temporis distributiones lucratur eo modo, quo integra valetudine divinis interesse solitus erat. Tertio potionem seu medicinam sumentibus, sanguine minutis, absentibus ob injustas inimicitias & vexationes, indebite detentis in carcere debentur distributiones quotidianæ, perinde ac si divinis interessent, dummodo antea soliti fuerint his adesse. Quarto absentes a chori servitio ob evidentem suæ Ecclesiæ, aut Capituli necessitatem distributionibus gaudere debent, ut in Panormit. (*a*): *Sacra &c. censuit deberi Oratori distributiones quotidianas pro tempore, quo vere absuit pro negotiis Capituli*. Et aliis prætermissis resolutionibus in Hispalen. inter Archiepiscopum, & suum Capitulum sic (*b*) decisum fuit: *Quod si ex causa necessitatis Capituli recedere voluerit* (verba referuntur ad Canonicos aliosque choro addictos) *percipere tam fructus præbendæ, quam distributiones, nec esse necessariam licentiam Archiepiscopi, ad cujus tamen officium pertinebit examinare, an causa negotiorum vere subsit, & quascumque collusiones, & illicitas remissiones inter Canonicos prohiberi*.

5. Tandem Canonicus Theologus eo die quo legit, & Canonicus Pœnitentiarius dum in Ecclesia confessionibus audiendis applicatur, etiam distributiones lucrantur, non secus ac si divinis adessent. Pro Canonico Theologo sic resolutum fuit in Mediolan. (*c*): *Sacr. Congr. censuit Theologo pro tota die, qua legit, deberi distributiones quotidianas*; & in Liman. (*d*) ad tertium, *Theologum*

(a) 1588. *lib.5.decret. pag.*104.
(b) *Anno* 1589.*lib.5.decret.pag.*287.
(c) *Anno* 1589. *lib.6.decret. pag.*71. *a tergo*.
(d) 18. *Junii* 1622. *lib.*12. *decret. pag.*103.

gum qua die legit, distributiones quotidianas lucrari, tametsi a choro legitime vacare possit. Pro Canonico Poenitentiario clara sunt verba Concilii Trident. (*a*), quod privilegium ampliavit S. Congregatio etiam ad Canonicum ab Episcopo in locum Pœnitentiarii ad fidelium Confessiones excipiendas in Ecclesia deputatum, ut in Lucan. (*b*): *Sacra Congregatio censuit Oratori ita in locum Pœnitentiarii ad audiendas Confessiones ex necessitate, & ex legitima causa ab Episcopo deputato, dum tempore deputationis Confessiones actu audit, deberi distributiones quotidianas, non secus ac si divinis in choro interesset*.

C A P. XI.

Quando teneantur Canonici Episcopo assistere, & a Chori servitio vacantes dum Episcopo assistunt, aut alio modo inserviunt, quando lucrentur distributiones, quando non?

CUm ex decreto Sacri Conc. Trid. (*c*) compellantur Canonici Episcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti assistere & inservire; nonnulla suborta fuerunt dubia, quæ in Sacra Concilii Congregatione proposita (*d*) decretis, quæ legi possunt resoluta fuere.

CAP.

(a) *Sess.24. de Reform. Cap.* 8.
(b) 10. *Martii* 1635. *lib.*15. *decret. pag.*175.
(c) *Sess.*24. *cap.*12.
(d) *Die* 17.*Augusti* 1641. *lib.*16. *decret. pag.*582. & *pag.*583.

CAP. ULTIMUM.

Qui domum religiosam ad peragenda exercitia spiritualia secedunt, distributionum sunt participes.

EX privilegio f. memoriæ Clementis XI. (a) Canonici sive Beneficiati in aliquam se recipientes domum religiosam spiritualibus exercitiis vacaturi, ibique aliquot dies clausi permanentes, eo tempore licet absentes, dum divina officia celebrantur, distributionibus gaudent, dummodo secessus ille fiat de Episcopi licentia; non tamen tempore Adventus, Quadragesimæ, aut solemniorum festivitatum, nec eodem tempore simul ab omnibus choro addictis, sed congrua partitione, & eo modo, ut chori servitio fiat satis.

PARS

(a) *In suo Bullario pag.* 547.

PARS SECUNDA.

T I T. I.

De Sacramentis in genere.

LUx mundi & fons luminis Christus Dominus antequam humanitatis suæ divinitati hypostatice conjunctæ ab hóminum oculis lucem, & visibilem præsentiam subtraheret, novam Ecclesiam extruxit suam, Patrisque domum inclytam, quam sacræ doctrinæ & cœlestis gratiæ perenni lumine decoravit. Utque major foret gloria novissimæ domus, quam primæ excellenti modo, sublimi consilio, adorando mysterio septem in ea instituit Sacramenta, ceu nitidissimos & uberrimos fontes, a quibus promicat & defluit lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, & ex hoc mundo egredientem. In his ergo tam præstantibus, & omni tempore saluberrimis sacramentis quid ab iis exquiratur qui ministrant, quidve ab iis qui suscipiunt, ut dignè accurate & reverenter administrentur & suscipiantur, brevi methodo delibabimus.

C A P. I.

Animi puritate, exteriorique munditie administranda sunt Sacramenta.

SAcramentorum sanctitas, & Ministri consecratio id exposcit, ut sit in statu gratiæ, qui ex officio ministrat: in sua quippe consecratione gratia sanctificante donatus se conformare debet principali agenti Christo,

qui

qui illo tamquam divino instrumento utitur ad primarias sui sacerdotii functiones, & ad gratiam aliis infundendam per ipsa signa efficacia sanctitatis, hoc est per sacramenta: *Conveniens est, ut sacramentorum ministri*, ait S.Thomas (*a*), *sint justi, quia ministri debent Domino conformari secundum illud Levitici* (*b*) *Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum*. Porro si in veteri lege clamabatur, *mundamini qui fertis vasa Domini*; quanto magis id novæ legis Sacerdotibus inclamatur, quibus ipsa sacramenta veluti vasa sanctissimum Christi sanguinem continentia concreduntur, ut per illa plebem efficiant veræ sanctitatis participem? Caveant ergo ad tanti muneris dignitatem electi, ne sacra hæc mysteria polluto ore conficiant, aut fœdis manibus contrectent: pura enim ab impuris tangi nefas omnino est, & sancta sancte tractari debent. Dolenda sanè sors illorum est, qui quotidie inter mysteria sanctitatis & salutis versantes nihil tamen inde profectus redundet, sed majorem sibi comparent damnationem; de quibus vere adimpletur in sensu mystico quod a Michæa Propheta dictum est (*c*). *Tu seminabis & non metes, tu calcabis olivam & non ungeris oleo, & mustum, & non bibes vinum*. Idcirco sacramenta administraturi, si forsan mortalis peccati labe se maculatos senserint, mundare satagant conscientiam suam per sacramentalem confessionem, vel saltem per contritionem, si copia Confessarii desit, & sacramenti administrandi necessitas urgeat, ne secus mortiferis sordibus coinquinati, dum aliis prodesse student, nequiori se obstringant sacrilegio, propriæque salutis exitium moliantur.

Inter-

(a) 3. *p. q. 64. a. 6.*
(b) 19.
(c) *Cap. 6. 15.*

Internæ huic cordis munditiei externus itidem cultus sit conjunctus, nec alibi quam in Ecclesia sacramenta omnia præter Extremam Unctionem, & gravis necessitatis casus conficienda aut conferenda sunt, neque communibus & usuariis vestibus, sed superpelliceo & stola illius coloris, qui sacramento ministrando congruit, ea ministrantes semper induantur, omnique studio curent, ut vestes & vasa sacra aliaque omnia, quæ pro singulorum sacramentorum usu ac administratione adhibentur, munda sint & nitida; ita denique sacramenta administrent, ac debita reverentia prosequantur, ut fideles intelligant quanto sint in honore & cultu & veneratione habenda, iisque pie & religiose utantur, & ad eorum desiderium exardescant.

C A P. II.

De Substantialibus Sacramentorum.

QUæ ad sacramentorum constitutionem intrinsece & essentialiter requiruntur, exacte calleant eorum ministri, ac debitis materia & forma, quæ a Christo Domino instituta sunt, & sancta Romana Ecclesia aliarum Ecclesiarum mater & magistra tot seculorum usu observavit, utantur; nec iis quidquam addere vel detrahere præsumant. Verba, in quibus formæ consistunt, omni animi attentione distincte ac devote pronunciabunt, id semper facere proponentes quod Christus Dominus instituit, & sancta intendit Ecclesia; in reliquis tum verbis tum actionibus, etiamsi ordinem ministrandi ritusque & cæremonias satis teneant, ne tamen hæsitantes in tantæ majestatis mysteriis quidquam agant; Rituale Romanum jussu sanctæ mem. Pauli IV. editum semper præ oculis ha-

habentes, ad ipsius præscriptum omnia exequantur. Ne autem nos lateat, an Parochi, aliique sacramenta administrantes, præsertim in locis ruralibus, ritus & cæremonias bene norint, diligenter super hoc in visitatione personali inquiremus, virosque doctos ac pios in posterum deputabimus, qui eosdem super contentis in dicto Rituali, atque etiam in rubricis Missalis Romani sedulo examinent.

CAP. III.

De explicatione facienda per Parochos super iis, quæ sunt magis obvia in sacramentis, ac de suscipientium dispositione.

1. CUm ad majorem in rudi populo cultum, & devotionem erga sacramenta excitandam valde conferat, si nonnulla magis communia faciliora intellectu eidem populo explicentur; mentem propterea, & præceptum Concilii Tridentini in memoriam revocantes Parochis omnibus mandamus, ut sæpenumero inter Missarum solemnia, ac dum Christianam doctrinam edocent, frequentius vero in sacramentorum administratione, quoties opportunum fuerit, illorum dignitatem, institutionem, usum, & salutares fructus ex Romano Catechismo vulgari ac plano sermone explanent, necnon sanctiores cæremoniarum significationes, quibus singula conferuntur, enucleare non prætermittant.

2. At vero quia non modo in ministrandis, sed & in suscipiendis pietatem, puritatem, externumque cultum exposcunt Sacramenta, crebris adhortationibus animarum pastores suæ Paræciæ fideles admoneant, ut illorum salutares effectus recolentes pure devote ac frequenter ad

ea

ea recipienda libentius accedant, & una cum conscientiæ munditie animique candore, exterius etiam corporis habitu ac gestu humilitatem ac reverentiam præseferant, ideo viri depositis armis, mulieres quam maxime honesto humilique ornatu ad ea se præsentent; ut ita cœlestia Christi Salvatoris munera sanctius recogitantes uberiores divinæ gratiæ fructus consequantur.

C A P. IV.

Ad Sacramenta ministranda faciles promtique sint Parochi, negligentes puniendi.

QUovis tempore tam diu quam noctu ad sacra ministranda acciti fuerint, placido vultu ac promto animo Parochi adeuntes nullam officio suo præstando moram interponant; ideoque populum sæpe monebunt, ut cum sacro ministerio opus fuerit, se quamprimum liberè advocet, nulla temporis aut loci habita ratione, immo cum aliquem in Parœciæ suæ finibus Parochus ægrotare intellexerit, ad eum statim etiam non vocatus accedat, & solidis rationibus quas in promtu habeat, in Domino consoletur excitet ac recreet; deinde, qua decet prudentia, & caritate ad expianda peccata per Pœnitentiæ Sacramentum inducat, & confitentem audiat, etiamsi velit totius vitæ peccata confiteri, atque ad alia Sacramenta disponat, prout vis morbi & necessitas exquirit. Quod si Parochorum negligentia quempiam absque Sacramentis, ac etiam commendationis animæ officio mori contigerit, præter realis culpæ commissæ reatum, severissimis pœnis arbitrio nostro punientur.

TITULUS II.

De Sacramento Baptismi.

CUm hoc Sacramentum ſit veluti janua, qua in chriſtianæ vitæ ſocietatem ingredimur, atque ab eo divinis præceptis obtemperandi initium facimus, principium ſanctiſſimorum mandatorum a D. Dionyſio appellatum eſt, tamque omnibus neceſſarium, ut Chriſtus Dominus nullum exceperit, non infantem, non aliqua præventum neceſſitate, ſed cunctis, qui natura ex Adam filii iræ naſcuntur, unum hoc reliquerit regenerationis lavacrum per aquam in verbo vitæ (*a*), quo mundantur, & heredes gloriæ efficiuntur. Nec ſolum regenerationis lavacrum, ſed & Sacramentum illuminationis a ſanctis Patribus nuncupatur, per quod primam fidei gratiæque cæleſtis lucem depromunt, & de regione umbræ mortis vocantur in partem ſortis Sanctorum in lumine. Hujus ergo acceptæ miſericordiæ beneficium ſæpius memoria, & gratiarum actione recolendum eſt: *Ex quo incipit omnis fidei origo, & ad ſpem vitæ æternæ ſalutaris ingreſſio, & purificandis ac vivificandis Dei ſervis divina dignatio* (*b*).

CAP.

(a) *Epheſ.* 5. 26.
(b) *S. Cyprian. Epiſt.* 73.

CAP. I.

Laudabile foret si paulo ante collationem Baptismi recitet minister aliquam formulam, quæ baptizandi intentionem contineat.

OPtimum in primis erit, si Parochi hoc Sacramentum ministraturi paulo ante pia aliqua ac devota formula veram exprimente baptizandi intentionem utantur; quæ quidem hæc esse potest: *Ego volo baptizare, & conficere baptismi Sacramentum cum intentione faciendi quod Christus instituit, & quod facit Ecclesia*, & quadraginta dierum indulgentias eam recitantibus concedimus: id enim in majorem tam necessarii Sacramenti securitatem simul ac venerationem cedit, quemadmodum in præparatione ad Missam pro opportunitate Sacerdotis facienda intentionis formula habetur: *Ego volo celebrare Missam* &c., & Gregorius XIII. ad excitandos alliciendosque Sacerdotes, cuilibet dicenti quadraginta annorum indulgentiam concessit.

CAP. II.

Quando sit Baptisma sub conditione iterandum?

ET si per conditionatam baptismatis formam periculum adsit rebaptizandi, qui jam semel fuerit rite baptizatus, ea tamen non est passim, & sine delectu adhibenda, sed tunc solum ea uti licebit, cum de prioris validitate baptismi prudens & probabile dubium subesse contigerit, nec diligenti præhabita inquisitione innotescere poterit, an quis fuerit valide baptizatus: idcirco districte Parochis inhibemus, ad baptismum ne sub conditione quidem iterandum devenire, cum nulla occurrit pru-

prudens ratio dubitandi, an prior baptiſmus fuerit rite collatus: ſola autem apprehenſio de anterioris baptiſmi vitio, nulla præmiſſa veritatis indagine, non eſt prudens ratio de ejus valore dubitandi, nec eum iterato ſub conditione conferendi, quibus certo ſcitur jam ſemel antea fuiſſe collatum. Nec itidem Parochi infantes domi in caſu neceſſitatis baptizatos etiam ſub conditione rebaptizare præſumant, eo quod ab obſtetrice, aut ab alio fuerint baptizati, ſed facta prius ſolerti perquiſitione, ſi deprehendant obſtetricem ſive quempiam alium omnia rite expleviſſe, quæ ad baptiſmum neceſſario requiruntur, nullatenus nec etiam ſub conditione rebaptizent, ſed ſolum in Eccleſia cæremonias ſuppleant, ſi vero rei veritas haberi nequeat, & de baptiſmi validitate adhuc prudens dubium remaneat, ſub conditione rebaptizent.

2. Ut autem hæc omnia diligenter cuſtodiantur, meminiſſe opus eſt, quod in Catechiſmo Romano adverſus eos, qui indiſcriminatim, & nulla præmiſſa indagatione de prioris validitate baptiſmi cum additione ſcilicet formæ conditionalis baptiſmum repetunt, conſtitutum eſt ſequentibus verbis: *Neque enim deſunt, qui nullum ſcelus admitti poſſe arbitrentur, ſi quemvis ſine delectu cum adjunctione illa baptizent, quare ſi infans ad eos deferatur, nihil prorſus quærendum putant, an is prius ablutus fuerit, ſed ei ſtatim Baptiſmum tribuunt: quin etiam quamvis exploratum habeant domi Sacramentum adminiſtratum eſſe, tamen ſacram ablutionem in Eccleſia, adhibita ſolemni cæremonia cum adjunctione repetere non dubitant: quod quidem ſine ſacrilegio facere non poſſunt; & eam maculam ſuſcipiunt, quam divinarum rerum ſcriptores irregularitatem vocant: nam ea Baptiſmi forma Alex. Papæ auctoritate in illis tantum permittitur, de quibus re diligenter perquiſita dubium relinquitur, an Baptiſmum rite ſuſceperint, aliter ve-*

vero numquam fas est etiam cum adjunctione baptismum alicui iterum administrare.

3. Quam sententiam de sub conditione repetendo baptismate cum prudenter de prioris validitate dubitatur, amplexata est Sacra Concil. Congregatio. Cum enim claræ mem. Eminentiss. Cardinalis Marescottus Tiburtinæ Ecclesiæ gubernio tunc Præses in relatione suæ status Ecclesiæ hoc idem proposuisset (a), sic respondit: *Infantes ab obstetricibus baptizatos posse rebaptizari sub conditione in casibus particularibus, ubi rationabile dubium oritur circa validitatem Baptismi prima vice collati.* Non absimilis ab eadem Sacra Congregatione prodiit resolutio ad sequentem casum, de quo consuluit Fr. Mathias Hernandez Ordinis Prædicatorum, an infantes domi in casu necessitatis baptizati sint sub conditione rebaptizandi? Sacra Congregatio respondit negative, ni adsit dubium probabile invaliditatis Baptismi.

C A P. III.

Quænam sit regula in praxi tenenda super Baptismo infantis, qui adhuc in utero matris existit, aut aliquam sui corporis partem emisit, ac de pueris projectis, sive expositis, & de monstris.

1. PUerperii initio, quo materni uteri reseratur ostium, infans intra matris uterum adhuc abditus vita periclitatur, & ab obstetrice tangi tractarique potest, ab eadem sub conditione baptizandus est. Proinde Parochi obstetrices moneant, ut adveniente casu, in quo infantem nulla adhuc sui parte editum, qui tamen potest aliquo modo immediate ablui, & mox decessurum prudenter timeant

(a) *Sub die* 19. *Decembris* 1682.

meant, illum baptizent ſub conditione, ſub qua pariter erit rebaptizandus ſi ſupervixerit, & foras prodeat.

2. Infans vero qui non eſt integre natus, ſed aliquam ſui corporis partem, quæ vitalem indicet motum, ex utero emiſit, imminente mortis periculo in ea parte baptizari debet: quod ſi periculum evaſerit, denuo baptiſmatis lavacro ſub forma conditionata tingendus eſt, dummodo non fuerit prius, cum mors timebatur, in capite baptiſmatis aqua perfuſus, quo caſu nullatenus rebaptizari debet, ſed conſuetæ cæremoniæ ſuppleantur, omiſſa forma, & ablutione, ut cautum eſt in Rituali Romano (*a*), cujus præſcriptum tum Parochi tum ceteri, quorum intereſt, exequantur.

3. Projecti ſive expoſiti parvuli, etiam ſi affixa in eis reperiatur ſchedula teſtans eos fuiſſe baptizatos, ſed qui baptiſmum rite contulerit ignoratur, iterum baptizandi ſunt ſub conditione, ut in ſimili conſulta S. C. Concilii, an iterum baptizandi eſſent infantes, vulgo *expoſiti* ad hoſpitale Sancti Spiritus in Saxia de Urbe delati, etiamſi habeant collo appenſam ſchedulam atteſtantem eos fuiſſe baptiſmate ablutos, die decimaquinta Januarii (*b*) reſpondit eſſe denuo baptizandos ſub conditione, niſi certa habeatur notitia perſonæ, a qua ſchedula ſit exarata, aut aliunde indubitatum deſumatur indicium Baptiſmatis eidem rite collati. Si ergo habeatur certitudo perſonæ, a qua fuerit collatus baptiſmus, & quod nihil in collatione defuerit tum ex parte materiæ, tum formæ, tum intentionis, non eſt repetendus baptiſmus, & quamvis major ſit certitudo, ſi plures baptiſmo collato præſentes fuerint, & teſtimonium ferant, nihilominus ſacri Canones ſa-

(a) *Cap. de baptizandis parvulis.*
(b) *Die* 15. *Januarii* 1724.

ſatis probatam habent collationem baptiſmatis per unicum teſtem, præcipue ſi is de facto proprio teſtificetur, hoc eſt, ſi affirmet illud a ſe fuiſſe legitime adminiſtratum, nec quidquam in contrarium occurrat, quod illius teſtimonio fidem detrahat (*a*).

4. In monſtris baptizandis magna eſt circumſpectio adhibenda, & cum caſus acciderit, ad Nos deferatur, vel loci peritiores, ac Medici conſulantur, niſi inſtans mortis periculum timeatur: quo eventu tenenda eſt regula, quam præſcribit Rituale Romanum (*b*), ut ſcilicet monſtrum, quod humanam ſpeciem non præſefert, minime baptizetur, de quo ſi dubium fuerit, baptizetur ſub hac conditione, *ſi tu es homo ego te baptizo &c.* ſi vero dubitetur an plures vel una ſit perſona, & res moram non patiatur, ut certiores reddamur, quod in Rituali Romano (*c*) conſtitutum eſt, inviolate obſervetur.

C A P. IV.

De Patrinis.

1. EX vetuſtiſsima catholicæ Eccleſiæ conſuetudine in Baptiſmi collatione præter miniſtrum, qui conficit, ſuſceptores ſeu Patrini adhiberi ſolent, qui ad ſummum ſint duo, ſcilicet unus & una, aut unus tantum, ſive vir ſive mulier, ſed ſimul non admittantur duo viri, aut duæ mulieres, neque ipſius baptizandi pater aut mater, neque ille aut illi, qui non fuerint a parentibus, & in eorum defectu a Parocho deſignati, neque mares

Dd qui

(a) *Vide Can.* 101. *&* 112. *de conſecrat. diſt.*4. *& cap.Nuper de teſtibus.*
(b) *Eodem cap. de parvulis baptizandis.*
(c) *Eodem cap. de parvulis baptizandis.*

qui decimum quartum annum, feminæ vero quæ duodecimum non expleverint, neque Sacramento Confirmationis nondum initiati, neque fidei rudimenta ignorantes (*a*), nec notorie excommunicati, interdicti, non confessi, nec sacra communione refecti in proximo Paschate, publice criminosi, aut infames, nec quicumque Regulares (*b*) utriusque sexus, & Clerici seculares in Sacris constituti sine nostra speciali licentia.

2. Quid autem sit ab Ecclesia de Patrinis sapientissime constitutum, quæve eorum partes Parochi edoceant, ut lateat neminem, quod non solum is qui baptizat cum baptizato (parentibus dumtaxat exceptis, qui necessitatis causa filium suum baptizaverint), sed etiam susceptor cum eo quem suscipit, & cum ejus veris parentibus cognatione spirituali devinciantur, ita ut legitima nuptiarum fœdera inter hos omnes iniri non possint, atque inita dirimantur. Quod Patrini munus spectat, commoneatur populus de obligatione, quos de sacro fonte suscipit in catholica fide, & bonis moribus ubi opus fuerit, hoc est, si eorum parentes ob aliquod impedimentum facere nequiverint, aut negligentia omiserint erudiendi. Qui autem spiritualis hujus cognationis vinculo detinentur, si in carnis peccatum inter se lapsi fuerint, præter incestus quem admiserint, Nobis in foro conscientiæ reservatum esse sancimus, a quo nisi in casu necessitatis quivis inferior Confessarius in posterum absolvere non præsumat.

CAP.

(a) *Can. Vos ante de consecrat. dist. 4. Can. In baptismate de consecr. dist. 4.*
(b) *Can. Monachi de consecr. dist. 4.*

CAP. V.

De Obstetricibus.

QUoniam rudes imperitasque mulieres, quæ obstetricandi munere funguntur, baptismum in casu necessitatis sæpenumero parvulis administrari contingit, a Parochis recognoscatur oportet, an Baptismi formam aliaque necessaria ad baptizandum probe calleant, & memoria retineant, quæ tamen si ea ignorare vel errare in essentialibus repertæ fuerint, qua decet doctrina & patientia opportune a Parochis instruantur, & interim eis præcipiant a præfato munere se abstinere, donec quæ scire debent bene didicerint (a). Volumus insuper ut obstetrices in civitate degentes, singulis annis infra Pentecostes hebdomadam coram nostro generali Vicario, aut alio a Nobis deputando, aliæ vero diœcesis ab Archipresbytero, vel Vicario foraneo super congrua idoneitate baptismi in casu necessitatis administrandi examinentur, quæ cum sufficienter aptæ adinveniantur in suo munere pergent, sin minus ab eo repellentur.

(a) *Quoad formam instruendæ potissimum obstetrices, ut illi prorsus nihil addant, casus propositus fuit in nostra Congregatione de baptizante in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & Sancti Joannis Baptistæ; recteque insinuatum fuit ex doctrina D. Thomæ 3. part. quæst. 60. a. 8. & in 4. dist. 31. quæst. 2. a. 2. exquirendam esse intentionem baptizantis, an per illud additamentum intellexerit illud nomen aliquid operari in baptismo, an vero illius Sancti intercessionem tantum implorarit. Primo enim casu nullum esset baptisma; secus vero in secundo.*

CAP. VI.

Instructio facienda per Parochos super Baptismo in casu necessitatis a quolibet ministrando.

QUamvis Baptismus nonnisi a proprio Parocho, sive illius approbato Coadjutore ministrari debeat, concurrente tamen necessitate nedum obstetrices, sed omnis homo potest esse minister: ut autem rite conferatur, in explicanda doctrina christiana, aut catechismo, aut alias cum opportunum duxerint Parochi, edoceant quænam sit hujusce Sacramenti materia, quænam forma, & qualis esse debet intentio, nimirum faciendi in ea actione quod facit Ecclesia; itemque edisserant formam adeo conjungendam esse materiæ, ut dum infunditur aqua eodem tempore verba proferantur. Verum in ministris ordo ita servandus est; ut si adsit Sacerdos non baptizet Diaconus, si adsit Diaconus Subdiacono præferatur, Clericus laico, & vir feminæ, nisi exquirat honestas, ut femina potius quam vir baptizet infantem non omnino editum, vel nisi melius femina sciret formam & modum baptizandi.

CAP. VII.

Rituum ac cæremoniarum, quæ in Baptismatis administratione adhibentur, significationes Parochi explicent.

ANimarum curam gerentes nedum baptismatis vim & usum, sed & sacras preces, ritus, & cæremonias, quæ ex apostolica, & antiquissima traditione acceptæ & approbatæ ad hujus Sacramenti solemnitatem pertinent docte & pie fidelibus explicent, & quamvis eædem

dem cæremoniæ quid extrinsecum videantur omnino, tamen conducunt ad interiorem pietatem in Ecclesia conservandam, quemadmodum cortex licet exterior sit valde tamen confert ad virtutem arboris fovendam: has autem cæremoniarum explanationes a Romano Catechismo (*a*) petendæ, & fidelibus stylo magis eorum captui accommodato tradendæ sunt, ut eas fideles intelligentes sibi certo persuadeant, si minus necessariæ sint, plurimi tamen faciendas magnoque in honore esse oportere; cetera quæ circa tempus & locum baptismatis administrandi, necnon de baptizandorum nominibus dicenda forent, habes in aliis editis nostris constitutionibus (*b*), quorum decreta innovamus, & confirmamus.

C A P. VIII.

Fontis Baptismalis benedictioni, quæ fit in Metropolitana Ecclesia, omnes Parochi civitatis, & suburbiorum intersint, expleta prius in suis Ecclesiis eadem benedictione.

1. CUm inter mysticos Ecclesiæ ritus non minus antiquitate celebris quam successione venerabilis sit ea fontis baptismatis consecratio, quæ singulis annis in Sabbatis Paschæ, & Pentecostes fieri solet, quippe quæ ex apostolica traditione descendit, atque illis dumtaxat temporibus facienda est, in quibus solitum erat baptisma conferri (*c*); idcirco, ut ea qua par est decentia in hac

(a) *Tit. de Sacramento Baptism. sub finem.*
(b) *Part. 2. cap. 2. de Bapt. Sacramento.*
(c) *Praxis conferendi baptisma in Paschate tantum & Pentecoste in veteri Ecclesia eruitur ex Tertulliano lib. de baptismo cap. 19. & distinctius*

hac nostra Metropolitana Ecclesia conficiatur, ultra Capitulum, & Clerum ejusdem choro addictum, omnes singulos civitatis, ac suburbiorum Parochos fontis renovationi prædictis diebus in ea solemniter faciendæ sub pœna ducatorum duorum volumus interesse. Quod si illorum aliquos legitima causa præpeditos esse contigerit, alium Presbyterum ad id muneris sufficere teneantur.

2. Verum quia in unaquaque parochiali Ecclesia tum civitatis tum diœceseos baptisteria reperiuntur, curent propterea Parochi in eorum Paræciis functiones prædictis diebus omnino facere. Ii vero quos in Metropolitana Ecclesia fontis benedictioni interesse superius decrevimus, suas prius expleant functiones, ut tempestive fontis consecrationi in cathedrali Ecclesia adesse possint; nec Paschalis cerei, fontisque benedictiones ad sequentes dies audeant ullo pacto differre: propter gloriosum enim noctis ipsius Sacramentum solemniter hæc benedicimus, ut sacræ Resurrectionis Christi mysterium, quod tempore hujus votivæ noctis advenit, in benedictione sancti luminis suscipiamus.

C A P. IX.

Sacra olea opportuno tempore in unaquaque Parochia habeantur pro benedictione fontis, & quomodo illa, & aqua baptismalis servari debeant.

1. NE fontis baptismalis benedictionis differendæ cum sacra olea desint, unde etiam alia subsequantur

ctius inculcatur a S. Siricio in epist. ad Himerium Terraconensem cap. 3. edit. Constant. fol. 626. Apud Græcos additum erat, & festum Epiphaniæ, uti pluribus probat Goar in notis ad Euchologium in ordine benedicendæ aquæ in sacris Theophaniis. Verum, & priorem illum ritum etiam in Ecclesia Latina, nec generaliter invaluisse probat ibidem Constant.

tur absurda, occasio præbeatur, jubemus Archipresbyteris, & Parochis, aliisque ad quos spectat, ut congruo tempore ecclesiasticam personam in sacris constitutam, vel saltem Clericum non ætate minorem quatuordecim annorum ad Nos mittant, qui feria V. in Cœna Domini circa meridiem, vel saltem feria sexta in Parasceve, sacra olea recens benedicta recipiat per manus Presbyteri ad illorum distributionem in Sacrario Metropolitanæ Ecclesiae gratis omnino, ne munusculo quidem requisito, faciendam designati, ita ut de mane Sabbato Sancto quisque Parochus ea habeat, quibus uti possit in benedictione fontis baptismalis, quæ quidem sacra olea ab Episcopo loci, non a quovis alio etiam Regulares accipere debeant. Is autem Presbyter nomina eorum, quibus sacra olea, & pro quibus locis tradiderit, in scriptis referat, & exaratam nostræ Curiæ notam exhibeat & relinquat. Novis receptis oleis, quod e veteri superest (a) in sanctis Ecclesiis, seu in lampade coram sanctissimo Sacramento, vel sacris imaginibus est cremandum; vetus gossipium oleo antiquo perfusum igne a Parochis comburatur, & cineres in Sacrario recondantur.

2. Ut baptismalis aqua ad mundissimum regenerationis lavacrum destinata in sua puritate permaneat, nec sua occlusive aeris quiete vitium contrahat & putorem, vel sacra olea separentur & coeant, aquam ipsam in fonte singulis mensibus circumagant manibus Parochi, & quaqua versus impellant, & cum novæ fit benedictio, vetus aqua in Sacrarium proiiciatur.

Fontis tabernaculum seu ciborium sit decenter compactum de foris inauratum, aut albi coloris panno saltem subsericeo vestitum, intus vero simili panno contectum.

(a) *Can. Litteris de Consecratione dist. 3.*

ctum. Interior tabula, quæ fontis ostium operit, sit bene compressa, sicut & tabernaculum undequaque, & ipsius fenestella stricte clausa sine rimulis, & sub clavi, ut cautius a pulvere, ceterisque sordibus reparetur.

3. Ipsa vero olea tandem in baptisterio argenteis, aut saltem stanneis vasis conserventur, nullo autem pacto ex ære, cupro, aliave materia confectis, quæ æruginem contrahere posset vel mucorem, multo autem minus chrystallina, & fractioni obnoxia. Vasa quoque ipsa notulis, ne error subesse possit, distinguantur, & sub clave penes Parochum custodienda remaneant. Demum quoad fontis structuram, alia vasa, ac linteamina, necnon ad exteriores baptisterii cancellos, quæ alias sancita sunt innovamus & confirmamus.

TI-

TITULUS III.

De Sacramento Confirmationis.

SEcundum Ecclesiæ Sacramentum eſt Confirmatio, qua novus ardor incenditur, nova gratia infunditur in fidelium cordibus, & præſidium & robur contra nequiſſimos hoſtes, tentationes, & pericula mortis exterrentia comparatur. Quemadmodum enim per regenerationis lavacrum, quaſi modo geniti infantes, prima fidei lumina ſuſcipimus, & ad vitam renaſcimur, ſic per Chriſmatis unctionem virtute munimur ex alto & armamur ad pugnam; illinc tyrones in fide ad vivendum, hinc ſtrenui & infracti Chriſti milites ad pugnandum efficimur; quod amplioribus verbis (*a*) Spiritus Sanctus in fonte baptiſmi plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Confirmatione augmentum præſtat ad gratiam; in baptiſmo regeneramur ad vitam, poſt baptiſmum confirmamur ad pugnam, in baptiſmo abluimur, poſt baptiſmum roboramur. Quanti autem facienda ſit hæc ſacra unctio, illud facile declarat, quod regulariter negavere fidem apud Turcas Chriſtifideles, qui non erant confirmati.

(a) *In Can. de Conſecrat. diſt. 5.*

CAP. I.

Sacramentum Confirmationis suscepturi a Parochis instruantur, ut dispositi ad illud fructuose suscipiendum accedant.

1. POst collatum statis temporibus Sacramentum Baptismatis, Pascha scilicet & Pentecoste aliud Confirmationis immediate conferendi antiquissimus mos erat (*a*): mutata postmodum ob multitudinem baptizandorum Ecclesiæ disciplina, sine ullo temporis discrimine, & ubi opus erat quotidie baptismus administrari cœpit, a quo etiam confirmationis collatio in Ecclesia occidentali justis de causis sejuncta est, & Episcopi arbitrio relictum, quo magis congruo tempore ea foret administranda. Hinc Nos pluries in anno tum in urbe, tum per loca Diœcesis, tum in sancta, tum extra Visitationis tempus etiam non requisiti per edictum publicum vocatis, qui nondum sacro fuerant chrismate obsignati, ut ad recipiendum se rite disponerent, hoc Sacramentum administrare consuevimus, & quoties se dederit occasio id præstare parati sumus. Ante collationem, ut major in suscipientibus excitaretur reverentia, animique devotio, brevem facilemque juxta Tridentini (*b*) mandatum præmisimus instructionem, non minor autem Parochis cura esse debet (*c*) appositis, & repetitis instructionibus præ-

(a) *De ritu conferendi statim post baptisma confirmationem usque ad XIII. seculum etiam in Ecclesia Latina moribus, vide Martene de antiquis Ecclesiæ ritibus lib.* 1. *cap.* 2. *a.* 1. *num.* 3. *tomo* 1. *editionis Rothomagens.* 1700. *durat hodieque in Ecclesia Græca teste Allasio in opere de perpetua contentione Ecclesiæ lib.*3.*cap.*18.*editionis Coloniæ Agrippinæ* 1648.
(b) *Seff.* 24. *cap.* 7.
(c) *Trident. ibidem.*

præmonendi confirmandos, ut qua decet tum animi munditie tum corporis compoſitione, & citra luxum & ſeculi vanitates ad ſuſcipiendum ſe præparent.

2. Et quoniam, ut alio in loco ediximus, valde congruum eſt eos qui ſeptimum annum non attigerint, Chriſmatis Sacramento minime confirmari, mox idem ſenſum aperientes Parochis mandamus, ut facti prius de puerorum ætate certiores, ſi ad uſum rationis haud perveniſſe compererint, nec eos ad chriſmate liniendos mittant; verum non ſola ætate idonei cenſendi ſunt, ſed ut præmiſimus bene juxta eorum capacitatem inſtructi, & in ſtatu gratiæ accedentes fructuoſe ſuſcipiant. Unde per Parochos monendi, ut prius impedimentum, ſi quod eſſet, per pœnitentiæ Sacramentum peccatorum expiatione removeant (*a*); qui vero cum peccato mortali ad Sacramentum confirmationis accederet, non confirmaretur in gratia, nec augeretur ſibi gratia, immo peccaret mortaliter, & magis debilitaretur in anima, quamvis characterem reciperet indelebilem.

3. Cohortandi etiam (*b*) ſunt per Parochos confirmari cupientes, ut jejuni ad hoc Sacramentum accedant, quod juxta veterem & laudabilem Eccleſiæ conſuetudinem per duodecim ſecula ſervatum eſt. Nos tamen ſicut hoc Sacramentum nonniſi de mane miniſtraturi erimus, niſi aliud juſta cauſa requirat, ſic ſuſcipientes jeju-

(a) *Vide Patrem Viva in prop. damn.*

(b) *Morem conferendi confirmationem tantum jejunis antiquiſſimum eſſe conſtat ex Sacramentario D. Gregorii a Menardo edito, & ex Euchologio Græcorum a Goar vulgato: Vide Can.* Ut Jejuni: *de conſecratione diſt. 5. Petrus Lombardus ſeculo 12. quo is floruit, viguiſſe teſtatur. Mutata paulo invenitur diſciplina ætate S. Thomæ qui ſcribit in 3. p. q. 72. a. 2. ad 2.* Ubi congrue poteſt convenientius eſt, ut a jejunis detur & accipiatur. *Conſenſit Catechiſmus ad Paroc. tit. de confirm.*

nos peroptamus, eos vero ætate grandiores, qui communicant, ut post susceptum Chrismatis Sacramentum Eucharistiam recipiant ex D. Caroli monito, qui de Parocho loquens sic habet: *Hoc vero diligenter curabit, ut de peccatis confiteantur, confessique ad Sacramentum confirmationis accedant, tum confirmati sacram Communionem sumant.*

C A P. II.

Chrismatis Sacramentum nec prætermittendum, nec a fidelibus differendum.

1. ET si confirmationis Sacramentum non sit adeo necessarium, ut sine eo salvus quis esse non possit, ii tamen qui annos discretionis ingressi nulla valent legitima causa excusari, quominus ab Episcopo ad ministrandum promto recipiant, incuria, & voluntate prætermittentes, aut nimium differentes gratiæ plenitudine, & firmiori ad dimicandum robore carent, nec perfecti Christi milites, immo nec plene Christiani dici possunt. Plures scimus tum in majorem Ecclesiam, tum in alias Diœcesis dum Sacramentum Confirmationis a nobis confertur, ad semel suscipiendum convenire, at ne aliquis id negligi posse arbitretur, eo quod non sit ad salutem necessarium, hanc doctrinam ceteroqui veram, sed in casu non bene applicatam, quomodo intelligenda sit, accurate explicent Parochi, & parentibus, tutoribus, dominis inculcent, ut oblata occasione hujusce Chrismatis Sacramenti per quod divina munera tam large impertiuntur, filios, pupillos, famulos exortes non relinquant, sed sollicite curent ut quamprimum data aliqua opportunitate suscipiant.

2. At cum ad Parochias visitandas, & confirmationem

nem administrandam excurrimus, si qui sint infirmi talique morbo laborantes, ut sine ea decessuri prævideantur, quisque Parochus nobis deferat, qui eorum domos adire, & sine ulla personarum acceptione confirmationem, ne ingravescente morbo sine illa decedant, ministrare non detrectabimus. Parvulorum quoque, qui sunt in mortis periculo constituti, notitiam habere volumus, quibus ita periclitantibus hocce Sacramentum qua fieri potest promtitudine conferemus: ad quod faciendum suadet ratio Divi Thomæ docentis (*a*): *majori parvulos morte obita post susceptam Chrismatis unctionem gloria donari, sicut & hi majorem obtinent gratiam.*

C A P. III.

Præscripto tempore confirmandi ad Ecclesiam veniant cum schedulis Parochorum, mares a feminis sejuncti; & quinam eorum debeant esse Patrini, quive non?

1. INstructi prius & interius per cordis munditiam, & exterius per corporis compositionem rite dispositi statis die & hora ad Ecclesiam conveniant confirmandi secum ferentes schedulam (*b*) a proprio Parocho exaratam, quæ contineat nomen, cognomen, & Parochiam confirmandi, itemque nomina, & cognomina patris ac matris cum expressione, sint ne coniuges nec ne, ac patrinorum seu matrinarum, quæ quidem schedula apud Episcopum confirmantem erit veluti quædam authentica attestatio idoneitatis confirmandorum; ideoque non temere sed magna adhibita cir-

(a) *3. p. q. 72. a. 2. ad 4.*
(b) *Vide Bullam Bened. XIII.*

circumspectione a Parochis, quorum conscientiam oneramus, tradenda erit, sine qua nemo admittetur. Eædem porro schedulæ in manibus deputati Ecclesiastici ad recipiendum & recognoscendum relinquantur, & statim functione peracta Parochis respective tradantur, ut in librum bene compactum instar illius baptizatorum cum iisdem cautelis, quas supra de baptismo præscripsimus, transcribant intra decem dies a collata confirmatione nomina & cognomina confirmatorum, parentum, & patrinorum, & matrinarum, præmissa etiam nominis adnotatione Episcopi confirmantis, diei, & anni juxta formulam Ritualis Romani.

2. Moneant quoque Parochi eos omnes, qui hoc Sacramento erunt obsignandi, ut ad Ecclesiam veniant qua decet modestia, & sine clamoribus, aut nugis, ibique manentes genuflexi, & manibus ante pectus junctis orationi vacent, ac sacræ ab initio functionis, donec absoluta fuerit, silentium servent, & mares sint a feminis segregati. Collatio autem hujus Sacramenti a maribus incipiet, & in feminas desinet. Quod quidem in quinto Concilio Mediolan., cujus determinatio etiam fulcitur a Pontificali Romano, cautum est: *mares in Ecclesia a parte sua, feminæ ab altera sint, sicque separatim distincti &c.*, *& quod veteris ritus est primum mares deinde feminæ confirmentur.*

3. Quoniam autem fideles, qui sacramento confirmationis, veluti firmissimis armis teguntur ac muniuntur ad spirituale certamen obeundum, eruditore indigent, recte ad hujus Sacramenti administrationem patrini, qui veluti duces spirituales præire, & documenta Christianæ fidei, si opus fuerit, tradere debent, eos tamen idoneos existimamus, qui sunt natu majores, aut saltem id ætatis, ut proprio valeant muneri satisfacere, a quo re-

repellendi ſunt non adhuc confirmati (*a*), qui tamen ſi forte admittantur, ſpiritualis cognationis effectus non inde promanat (*b*); atque ii omnes quos in baptiſmo ſuſceptores non admitti mandavimus. Patrinus quoque & matrina, qui puerum de ſacro fonte ſuſceperunt, in ejuſdem pueri confirmatione (*c*) niſi neceſſitas cogat ab eodem officio excludantur; nec vitricus aut noverca reſpectu privigni, aut conjux reſpectu conjugis in patrinum aut matrinum aſſumatur.

3. Illud præterea obſervari volumus honeſtatis ſuadente ratione, ut mares a maribus, feminæ a feminis ſuſcipiantur, ſintque tantum unus vel una juxta ſacrorum Canonum ſanctionem (*d*).

C A P. IV.

Ritus & ceremoniæ, quæ in Sacramento confirmationis adhibet Eccleſia, declarantur.

1. UT Parochi præſertim rurales, quibus librorum copia forte non ſuppetat, brevem facilemque methodum cæremoniarum, quæ in Sacramento confirmationis adhibentur, ſignificationes explanandi præ manibus habeant, quarum notitiam fidelibus non parum utilitatis futuram eſſe confidimus, fuſim in libris pie docteque traditas in ſequentes inſtructiones redegimus atque perſtrinximus. Exorditur ſacra functio ab oratione, in qua Epiſcopus preces ad Deum Patrem fundit, ut ſuper ſacro

(a) *Vide Canon. In baptiſmate* 100. *de Conſecrat. diſt.*4.

(b) *S.C.Conc.in Licien.*13. *Junii* 1654. *apud Pignatellum tom.*1. *conſ.*10. *Clericatum de ſacra confirmatione deciſ.*59. *num.*6.

(c) *Vide Can. In Catechiſmo* 98. *de conſecrat. diſt.*4.

(d) *Vide Can. Non plures* 99. *de Conſecrat. diſt.*4.

cro signandos chrismate mittat Spiritum Sanctum, postea confirmandum proprio advocat nomine, quod si quis forte non christianum haberet, aut turpe, sive ridiculum juxta plurium Conciliorum decreta immutandum est, qua facultate in hujus Sacramenti collatione usi sumus, & deinceps utemur, cum id genus nomina Christianis indecora usurpari sentiemus. Sic igitur proprio aut recenti si opus fuerit compellatum nomine, Episcopus qui est ordinarius minister, tincto pollice in chrismate signat in fronte cum signo Crucis, ac similiter omnes singillatim, eodemque tempore formam profert.

2. Fit autem hæc chrismatio in fronte, quia cum sit frons corporis pars aliorum conspectui magis obvia non clam sed palam se Christianum esse ostendere debet confirmatus, sicut & Apostoli post acceptum Spiritum Sanctum se manifestaverunt, quia prius in cœnaculo latebant (*a*); fitque in figura Crucis cum nulla plane sit Ecclesiastica cæremonia, quæ signo Crucis careat: ***quod signum*** ait D. Aug. (*b*) ***nisi adhibeatur sive in frontibus credentium, sive ipsi aquæ ex qua regenerantur, sive oleo quo chrismate unguntur, sive sacrificio quo aluntur, nihil eorum rite perficitur;*** & Concilium Florentinum (*c*) de fronte, & signo Crucis sic habet: ***ideo in fronte ubi verecundiæ sedes est, confirmandus inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat, & præcipue Crucem ejus, qui Judæis est scandalum, gentibus autem stultitia secundum Apostolum, propter quod signo Crucis signatur.***

3. Porro Chrisma, quod conficitur ex oleo & balsamo per Episcopum benedicto fer.V. in cœna Domini, Spi-

(a) *Vide D.Thomam 3.p. quæst.72. a.9.*
(b) *Tract.118. in Joan.*
(c) *In decret.Eugen.IV. ad Armenos tom.3. Conciliorum.*

Spiritus Sancti gratiam , & odoris fragantiam , hoc est exemplum boni operis , significat : utrumque D. Thomas expressit (*a*) tam de oleo , quam de balsamo loquens : *Gratia Spiritus Sancti in oleo designatur , unde Christus dicitur esse unctus oleo lætitiæ propter plenitudinem Spiritus Sancti quam habuit*. Et eodem loci: *Admiscetur autem balsamum propter fragantiam odoris, quæ redundat ad alios ;* unde Apostolus dicit (*b*) *: Christi bonus odor sumus Deo* , licet multa alia sint odorifera , tamen præcipue accipitur balsamum propter hoc quod habet præcipuum odorem , & quia etiam incorruptionem præstat : unde Ecclesiastici (*c*) dicitur : *quasi balsamum non mixtum odor meus* .

4. Confirmandum patrinus dextera manu juxta veterem ritum capere , atque Episcopo confirmanti præsentare deberet : confirmandus pedem suum supra dexterum patrini ponat ad normam Pontificalis Romani quod quidem suum continet mysterium , ut scilicet patrinus illum tamquam adhuc spiritualiter imbecillum , quodammodo substentet , & veluti militem exercitus Dei armandum , & consignandum sistat , armatum dein tanquam tyronem in spirituali conflictu consilio & directione indigentem quatenus necesse fuerit instruat . At quoniam difficile nimis , & incommodum foret in confirmandorum multitudine pedem alterius pedi supponere, ne sacra functio aliquatenus perturbaretur , non pedem subtus pedem , sed dexteram suam patrinum super dextrum humerum confirmandi tenere in ea circumstantia satis esse arbitramur .

Ff 5. Post

(a) *3. part. quæst. 72. a. 2.*
(b) *2. ad Corinth. cap. 2.*
(c) *Cap. 24.*

5. Post collatum confirmationis Sacramentum alapa leviter impingitur ab Episcopo, ut ea percussione infantes memoriam habeant se fuisse confirmatos, ne iterum confirmentur (a), seu magis accommodata ratione, quam affert Catechismus Romanus, ut meminerit confirmatus, se tamquam athletam paratum esse oportere ad omnia adversa invicto animo pro Christi nomine ferenda. Mox confirmato pacem dat Episcopus, ut intelligat (b) se gratiæ cælestis plenitudinem & pacem, quæ exuperat omnem sensum consecutum esse, ejusque frontem alba vitta ligare patrinum decet ad cavendum, ne aliqua sacri Chrismatis gutta supra confirmati faciem decidat, atque ad significandum opus esse Spiritus sancti gratiam sedulo custodiri. Hujus autem albæ vittæ apponendæ deferendæque septem dies olim usus invaluit, & mirabile scitu, nec sine teneritudine recolendum piorum operum exercitium, cui recens confirmati per id temporis spatium jugiter incumbebant (c). At nunc fidelium attenuato fervore, cum obtineri nequeat, quod tunc facile præstabant fideles, indulgemus, & hortamur, ut saltem integro die, quo Chrismatis Sacramentum suscipiunt, candidam vittam in fronte circumferant, nobis suadentes ipso saltem die honorifica Christi militum tessera insignitos, devotis sanctisque operibus vacaturos, quæ dein vitta ob reverentiam ad profanos usus non adhibeatur.

6. Postquam sacro fuerint omnes Chrismate signati, solemnem Episcopus una cum piis ad Deum precibus benedictionem impertitur, nullumque ab Ecclesia discedere nisi ea accepta, christianæ pietati consentaneum est, & per-

(a) *Conc. Senonense sub anno* 1524.
(b) *Catech. Rom. p.* 2. *de Sacr. confirm.*
(c) *Vide Auctores Ritualium tom.* 1. *Bibliot. Patrum.*

& præcipit Pontificale Romanum. Id quod ante hujus Sacramenti administrationem hortatoriis verbis in memoriam revocare soliti sumus, & Parochorum doctrinæ, zeloque commendamus, ut idem eaque omnia, quæ pro hujus Sacramenti reverentia, & animarum salute in hisce instructionibus tradita sunt, ac cetera quæ magis opportuna existimabunt, viva in suis catechesibus, & concionibus voce plebi suæ annuncient, & inculcare pro viribus satagant.

TITULUS IV.

De augustissimo Eucharistiæ Sacramento.

AUguſtiſſimum hoc Sacramentum Dominicæ paſſionis memoriale perenne præſentis gratiæ alimentum, & futuræ gloriæ pignus, in quo, qui lucem habitat inacceſſibilem, majeſtatis ſuæ radios perpetua præſentia mortalium oculis temperavit, ſufficienti proſequi obſequio quantumlibet certe humana induſtria adniteretur, aſſequi nunquam poterit exactiſſime; quam enim pro tam eximio divinæ largitatis munere vicem reddimus bonorum omnium authori nobiſcum perpetuo commoranti, qui ſeſe quotidie fidelium dentibus terendum offert, nec ſolum mentibus venerandum? ea nimirum humanæ conditionis imbecillitas eſt & ſocordia, ut jugis beneficii æſtimationem non agnoſcat, immo ſoleat generari ex aſſiduitate contemtus, ſicut accenditur ex ipſa raritate devotio. Ad huic ergo ceteriſque malis, quæ ſanctiſſimi hujus Sacramenti dignitatem vel lædunt, vel minuunt, occurrendum, paſtoralis officii noſtri ratio poſtulat, ut de ejus uſu, & crebritate, de reverentia in tractando, & decore in aſſervando dicamus.

CAP. I.

Ut digne & crebro fideles Eucharistiam ſuſcipiant, eaque ſuſcepta gratias agant, per Parochos, & Concionatores ſæpe moneantur.

1. EUchariſtiam ſumturis illa prius fidelibus præparatio adhibenda eſt, ut hanc ſacram a profanis

nis mensis discernant, cœlestem hunc panem a communi; quodque fit, cum certo credimus (*a*), præsens esse verum corpus, & sanguinem Domini, quem in cœlo Angeli adorant, ad cujus nutum columnæ cœli contremiscunt & pavent, cujus gloria plenum est cœlum, & terra: altera vero maxime necessaria illa præparatio est, ut unusquisque a semetipso exquirat, num pacem cum aliis habeat, num proximos vere atque ex animo diligat. *Si ergo*, inquit Christus Dominus (*b*) *offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.*

2. Per accuratum deinde examen suæ conscientiæ latebras quisque scrutetur, ut qui mortalis peccati labe se inquinatum noverit, quantumcumque se contritum existimet, habita Confessoris opportunitate, ad Eucharistiam minime accedat, nisi illud prius sacramentali Confessione purgarit. At non minus animo cogitare debemus immensam Domini majestatem, nostramque vilitatem, ut recognoscentes quam hoc simus beneficio indigni, una cum Centurione, qui cum de se humiliter demisseque sentiret, quam maxime fuit a Domino commendatus, ex corde dicamus: *Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum.*

3. Illud præterea sedulo explorandum, an divinus amor cordibus nostris insideat, numque liceat pari dilectionis significatione repetere, quod D. Petrus a Christo Domino interrogatus, an eum amaret, respondit: *Domine tu scis, quia amo te*. Hic amor sub allegoria ve-
stis

(a) *Catechism. Roman. de Sacr. Eucharist.*
(b) *Matth.* 5.

ſtis nuptialis etiam deſignatur, qua indui eum oportet, qui in Domini convivium ingredi vult, cum ceteroqui liqueat eum, qui in eodem convivio ſine ea accubuerat, in tenebroſum fuiſſe carcerem detruſum, æternisque ſuppliciis mancipatum. At vero non animi ſolum, ſed & corporis præparatio neceſſaria eſt, ut ſcilicet communicare volentes ſaltem a dimidia antecedentis diei nocte uſque ad illud Communionis punctum ſint jejuni, & nihil omnino comederint aut biberint.

4. Et quamvis omni loco & tempore modeſtiam dedeceat chriſtianam ſeculi vanitate & pompis abundare, id profecto dedecet quam maxime in templo Dei, eoque præſertim tempore, quo puriſſimis agni immaculati carnibus ſummo humilitatis exemplo nobis relictis ad veſcendum accedimus, ne ubi majeſtas humiliatur, ibi vermiculus inſletur. Viri igitur omni faſtu ſepoſito ſine armis, & quatenus commode fieri poteſt ſejunctim a mulieribus adeant. Eæ autem mulieres mundo ſatis vano affluentes, pectore ſcapuliſque nudatis, aut detectis brachiis ad hanc menſam timoris plenam venire prohibeantur, ad quam ſic accedentes Sacerdotali conſtantia ſine Communione prætereantur, ut ſatis in edicto ſanctiſſimi Pontificis Innoc. XI. a Clemente XI. innovato cautum reperitur.

5. Ceterum communicaturi ad pedes provoluti altari ſe ſiſtant, manibus in crucis formam pie compoſitis, & ſine chirotecis, quas nec ſuper linteum reponi decet, oculis non vagis, ſed in Chriſti corpus devote conjectis, non halantes, nec lingua extra labia prominente, ſed ſolum labium inferius paulo intus attingente, ut commodius ſacra particula ſuper eam deponi poſſit a Sacerdote, ſumma denique demiſſione quem recipiunt cogitantes, eum nimirum quem ſacro tectum velamine Angelo-

gelorum exercitus ſtipant, & venerabundi adorant. Mulieres vero nedum interiori conſcientiæ puritate, ſed corporis compoſitione, ac veſtium decentia ad ſacra myſteria ſumenda veniant, quas etiam capite velatas eſſe (*a*), quo pacto eas Apoſtolus in Eccleſia manere præcipit, oporteret.

6. Nec minori ſtudio frequens Euchariſtiæ uſus a Parochis, & concionatoribus inculcandus; qui enim ſemel tantummodo corpus Domini quotannis accipit, inflictas ab Eccleſia pœnas evadit, at ſpirituali quo indiget alimento ad animæ vitam nutriendam ſua deſidia privatur: nec diu valebit ſine illo in eadem vita durare, quemadmodum naturali abſque cibo labefactatur corpus & deficit. O fauſta tempora, piique mores, cum fideles quotidianis precibus, aliiſque piis officiis, veluti fidei tyrocinium tranſigentes, dietim ad ſacra Dominici corporis myſteria ſumenda properabant: hæc autem conſuetudo non diu viguit, eamque intermiſſam aliqua ex parte reſtitui (*b*) oportuit, miniſtris qui ſacrificio aderant communionem præcipiendo, quod ab Apoſtolis conſtitutum eſſe crederetur. Priſtinus etiam & diuturnus Eccleſiæ mos fuit, ut Sacerdos, qui ſacrificium peregerat, ad populum

(a) *Huc pertinet can.*24. *Conc. Antiſſidior. ſecundum lectionem Stephani Balutii, & Caroli Du-Cange:* Si mulier communicans Dominicale ſuum ſuper caput non habuerit, uſque ad alium diem dominicum non communicet. *Hinc enim deducitur Dominicale etiam velum fuiſſe, quo mulieres ad Euchariſtiam accedentes tegebantur. Vide Balutium in Gratianum cauſſa* 33.*quæſt.*5. *can. mulier. Du-Cangium in Gloſſario verbo* Dominicale. *Marcum Antonium Boldettum in opere cui titulus*, Oſſervazioni ſopra i Cemeterj de' Santi Martiri. *Romæ* 1720. *tom.*1. *lib.*1. *cap.*10.

(b) *Can.* Peracta *de conſecr. diſtinct.*2. *Non eſt certe Calliſti Papæ, eſt opus Iſidori Mercatoris, uti & Canon* Epiſcopus *ead. diſtinct. unde excerptus eſt. Porro jamdiu viderunt viri eruditi epiſtolas Summorum Pontificum ante Siricium in Iſidori collectione repertas, ſuppoſititias eſſe. Idem judicium eſto de iis, qui tribuuntur Anacleto.*

lum converſus his verbis ad ſacram ſynaxim fideles invitaret, *Venite fratres ad communionem*, tunc qui parati erant ad eam accedebant. Verum temporis lapſu caritate & pietatis ſtudio frigeſcente, cum infrequens apud fideles & rarus admodum eſſet Euchariſtiæ uſus, ſancitum in Eccleſia eſt, ut ter (*a*) ſaltem ſingulis annis in Paſcha videlicet, & Pentecoſte, & Natali Domini quiſque fidelium communicaret. Tandem cum neque ſancta illa ac ſalutaris præceptio ſervaretur, inque plures annos Euchariſtiæ communio differretur, in Lateranenſi Concilio ſtatutum eſt, ut ad minus quotannis in Paſcha omnis utriuſque ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, Euchariſtiæ Sacramentum ſuſciperet; alioquin & vivens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens chriſtiana careat ſepultura.

7. At vero quamvis Eccleſia non amplius inſtet communionis præcepto quam ſemel in anno, non eſt cur in votis non habeat, & ad frequenter communicandum non invitet: etiam num amantiſſima parens ſalutarem omnem puero ſuo præ ægritudine cibum faſtidienti bucceam porrigit, & hanc ſaltem inquit, *comede cauſa amoris mei*; ea ceterum incolumem vellet, ut ſine faſtidio uberius etiam veſceretur; ſic magna in parte fidelium auctum videns Eccleſia ex concupiſcentiarum febre divini

(a) *Nulli dubium* Canonem, Ut ſi non frequentius 16. *eadem diſtinction. perperam Fabiano adjudicari, cum ſit* Concilii T*uronenſis III. uſque ad ea verba:* id eſt: *ſequentia vero, quibus tres illi dies ſtatuuntur, ſunt* Conc. *Agathenſis can.* 18. *primum celebratum eſt ſeculo* 9. *ineunte; alterum ſeculo* 6. *& congruunt quidem diſciplinæ horum temporum, non quidem ſeculi III. quo vivebat Sanctus Fabianus. Etenim ſeculo IV. ita ſcribebat S.Hieronymus ad Pamachium de conſuetudine Romanæ Eccleſiæ.* Scio Romæ hanc eſſe conſuetudinem, ut fideles ſemper Chriſti corpus accipiant. *Vide* Conſtant. *Epiſt. decretal. ſol.* 123. *quamobrem veteris diſciplinæ ſubverſio ſequentibus ſeculis attribuenda.*

vini hujusce panis tædium, unumquemque alloquens ait: *Eja fili saltem quotannis cœlestis Patris amore, meique studio, quæ plusquam mater tuam exopto salutem, ad hanc mensam semel accede*. Verum licet annuam Domini corporis communionem præcipiat, nulli dubium quin frequentius sumere, & ita vivere fideles suos ut quotidie communicare possent, optaret; quod quidem Tridentina Synodus (*a*) satis aperte declarat, cum agens de usu admirabilis hujus Sacramenti paterno affectu admonet, hortatur, rogat, & obsecrat per viscera misericordiæ Dei nostri, ut omnes & singuli fideles panem illum supersubstantialem frequenter, & qua decet præparatione suscipiant; & in doctrina de sacrificio Missæ (*b*) se optare demonstrat, ut in singulis Missis fideles astantes Eucharistiam perciperent.

8. Et quoniam clerici in sortem & hereditatem Domini vocati majori debent vitæ merito prælucere, quod bonorum morum exemplum, & crebrior quam antea corporis Christi communio præ ceteris comprobant, volumus, ut in minoribus ordinibus constituti, prima tonsura initiati, ceterique clericalem habitum gestantes, qui in civitate, & suburbiis commorantur, prima cujuslibet mensis dominica die cum superpelliceis mundis in hac cathedrali Ecclesia de manibus nostris aut nostri generalis Vicarii Dominici corporis communionem accipere teneantur, suaque dare nomina sine clamoribus, aut strepitu, cui adnotandi cura a nobis committitur. Eos tamen præcipimus ne statim post communionem ab Ecclesia recedant, sed ibi modeste compositi, & ad genua flexi gratias Deo acturi aliquantum permaneant, quodve suis magis erit proficuum animabus ab eo, quem penes

Gg se

(a) *Sess.* 13. *cap.* 8.
(b) *Sess.* 22. *cap.* 6

se habent (cum id tempus sit opportunius) humiliter precaturi. Diaconos vero, & Subdiaconos singulis saltem diebus dominicis, & festis solemnibus, in quibus altari ministraverint (a), sacram communionem percipere maxime decet, utque idipsum præstent, enixe in Domino cohortamur; quodque Parochis, in quorum Parœciis degunt, innotescat, ut de Sacramentorum frequentia attestationem rite facere possint. Et quæ hactenus constituta sunt a totius Diœceseos Clericis, Diaconibus, & Subdiaconibus examussim observari mandamus, & Parochorum solicitudini ac vigilantiæ committimus, & eorum conscientiam oneramus, ut nos moneant, an aliqui sint qui huic præcepto parere contemserint. Curent denique ludimagistri, & Parochis curæ etiam esse debet, ut qui in eorum scholis literis imbuuntur, si alias idonei fuerint, ab adolescentia sua vitali huic cibo assuescant, & menstrua saltem pie dispositi se communione reficiant.

9. Quoad quotidianam sanctissimæ Eucharistiæ perceptionem nihil constituimus, sed Confessariorum secreta cordis explorantium judicio relinquimus, qui ex conscientiarum puritate, frequentiæ fructu, & ad pietatem progressu, quibus personis quotidianus Eucharistiæ usus sit permittendus necnè discernere poterunt. Ceterum quemquam nolumus seu frequenter seu quotidie accesserit, a sacro hoc convivio repelli; in id tamen Parochi, & Confessarii enixius incumbant, ut unusquisque pro devotionis, & præparationis modo Christi Domini corporis suavitatem degustet: qui vero ad frequentiorem seu quotidianam hujus sacratissimi cibi sumtionem excitari se senserint, de labili eorum conditione, de Sacramenti dignitate, & divini judicii formidine monendi sunt, ut di-

scant

(a) *Trid. sess. 23. cap. 13. & 14.*

ſcant cæleſtem menſam in qua Chriſtus eſt revereri, & pro majori minorique præparatione, ac pietate modo reverenter ſuſcipere, modo ſubmiſſius abſtinere, exemplo Zacchæi, & Centurionis, quorum alter Salvatorem in domum ſuam recepit (*a*), refugit alter dicens: *Domine non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum*; & tamen ambo eum honorificantes quamvis non uno modo parem ſunt miſericordiam conſecuti (*b*).

CAP. II.

Communicantes ſumto Sacramento non ſtatim ab Eccleſia recedant, aut colloquantur, ſed ibi remaneant Deo gratias acturi.

1. MUltorum deplorandus abuſus, qui vix divino ferculo ſumto, altari humeros vertunt, & ab Eccleſia ſine gratiarum actione aliis vacaturi proficiſcuntur; *ii quidem* (ut teſtatur D. Tereſia (*c*), cujus mens tam fuit a Deo illuſtrata, ut ejus doctrina ab Eccleſia tamquam cæleſtis commendaretur) *idcirco ex frequenti Dominici corporis communione parum valde utilitatis percipiunt; eoquod præcelſum majeſtatis Regem poſtquam hoſpitio ſuſceperunt, ad ſui manſionem uſque cum eo non immorantur. Non defrauderis a die bono, & particula boni doni non te prætereat* (*d*). Hunc ergo pro virili ſatagant Parochi abuſum evellere, inque morem inducere, ut qui ſacris epulis reficiuntur in hujus ſacræ menſæ magni-

(a) *Vide Clericatum de Euch.*
(b) *Vide Can.* Quotidie: *de conſecrat. diſt.* 2.
(c) *Cam. Perfect. cap.* 14.
(d) *Eccleſ. cap.* 14. & 14.

gnitudine pia meditatione versentur, piis affectibus in Deum incaleant, & gratias agant, & majora quibus indigent ea temporis magis apposita opportunitate charismata devotis obsequiis postulent. Id præterea suadentes Parochi aliqua utantur similitudine, puta, si quis pretiosi & magni thesauri sibi datam liberalissime clavem haberet, non eam in cingulo pendulam, atque inertem relinqueret, sed confestim ad arcam referandam, seque ad divitiis ibi clausis onerandum accurreret: sic suum comedendum corpus in Eucharistia tribuens Christus Dominus cælestium dat thesaurorum clavem, ut possideamus, iisque cumulatissime perfruamur. In hunc igitur præ ceteris modum adhortandi fideles, ut eo temporis intervallo quo sacra alimonia pasti sunt, fidem renovent, spem excitent, caritatem accendant, tantoque ardore divinas expetant gratias, quo amantissimus Dominus qui adhuc in eorum cordibus manet, haud prius abire dignetur, quam eos benedicat, & consolatione ac voluptate perfundat.

2. Majorique solertia Parochi, aliique animarum directores de hac salutari gratiarum actione post Eucharistiæ sumtionem facienda, adolescentes, imperitum vulgus, & mulieres sæpius commonebunt. Rudes præsertim in agris degentes raro ad sacra dominici corporis mysteria sumenda concedunt, & si quando communicant, ad finem usque Missæ nihil de speciebus sacramentalibus, an adhuc consumtæ sint cogitantes in Ecclesia sistunt, expletaque Missa ad secularia revertuntur. Mulieres sæpius ceteroqui communicantes saltem unius horæ quadrantem in Ecclesia consistere, & bonorum omnium largitorem quem in Eucharistia recipiunt alloqui, proque suis piget egestatibus exorare. Hi omnes solidis instructionibus, suavibusque monitis atque adhortamentis leniter

ter inducendi, ut sanctissimum hoc sacramentum, quo nos Christus Dominus sacri sui corporis participes efficit, & apud nos usque ad consumationem seculi permanere decrevit, quam maxima veneratione, ac reverentia prosequantur. Atque in primis parati cum vero corde in plenitudine fidei ad hanc mensam accedentes, sumto cœlesti cibo, in divinas laudes, gratiarum actiones, piasque precationes humiliter & devote aliquantum temporis se effundant.

C A P. III.

De ætate, qua sit pueris Eucharistia suscipienda.

1. DE puerorum ætate ad percipiendam Eucharistiam requisita nequit certa regula constitui (*a*): id tamen in jure exploratum est, omnes Christifideles (*b*) postquam ad annos discretionis pervenerint, obligari ad Eucharistiam ad minus in Pascha reverenter suscipiendam; at quoniam non est pueris par in eadem ætate huic Sacramento percipiendo congruens discretio, cum alii citius,

(a) *Parvulos in utraque Ecclesia olim ad Eucharistiam sæpè admissos, imo statim etiam post Baptismum, & Confirmationem apparet ex veteri auctore Const. apostolic. lib. 8. cap. 12. ex libris de cœlesti Hierarchia cap. 3. ex Cypriano lib. de lapsis, & epist. 65. ad Cæcilium, ex Sacramentario D. Gregorii in officio Sabbati Sancti, ex Gregorio Turonensi, Evagrio, Anicephoro, &c. Eum morem frequentem fuisse seculo 8. in Ecclesia Latina habes ex auctore libri officiorum, qui tribuitur Alcuino, tit. de Sabbato Sancto, imo usque ad seculum undecimum aliqua vestigia perdurasse testis est Hugo a S. Victore lib. 1. de Sacramentis cap. 20. Servari hodie in Ecclesia Græca habes apud Arcudium 3. de Sacramentis cap. 11. atque in eorum Euchologiis. At Latina Ecclesia quo magis Sacramenti reverentiæ consuleret, ritum mutavit, quamvis sanctos illos Patres veteres probabilem facti sui caussam pro illius temporis ratione habuisse declaret in Trid. sess. 21. cap. 4.*

(b) *Cap. Omnis utriusq. sexus de Pœnit. & Remiss.*

tius, alii tardius assequantur, Parochis injungimus (& parentibus etiam curæ sit) explorare, & a pueris percontari, an hujus admirabilis Sacramenti cognitionem nacti sint, & gustum habeant, ut ad communicandum saltem in Paschate incipiant urgeri præcepto.

2. Hac tamen volumus in Eucharistiæ Sacramento pueris administrando a Parochis circumspectione procedi, ut non indiscriminatim iis, qui rationis usum ingressi sunt, sed majori potientibus maturitate judiciis Eucharistia præbeatur. Neque facile existiment Parochi pueros statim ac sunt doli capaces, quemadmodum Sacramentalis præcepto confessionis adstringuntur, ita adigi ad communicandum in Paschate, sed major in iis expectandus est rationis usus, ut annuæ communionis præcepto subjiciantur: non enim qualiscunque in iis discretio, quæ ad peccata in confessione eluenda satis esse judicatur, etiamnum ad Eucharistiam rite percipiendam sufficere censenda est, cujus Sacramenti dignitas, & excellentia majorem in pueris intelligentiam exposcit, ut religiose, eaque ut decet reverentia suscipiant.

3. At si pueri in vitæ discrimine constituti sint, usuque rationis, confitendique polleant capacitate, serio monemus & adhortamur Parochos, ne eos sine corporis Christi viatico decedere patiantur; quinimo eo reficiendos esse præcipimus, quos ita periclitantes sedula perquisitione compererint, eam ingenii perspicacitatem habere, ut latentem sub speciebus sacramentalibus Christum & firmiter credant, & reverenter adorent: quo quidem adhibito temperamento, an moriturus puer ad hoc Sacramentum juxta sui capacitatem sit admittendus, prudentis Parochi judicio definire permittitur.

CAP.

CAP. IV.

De cultu, reverentia, ac devotione hujus sanctissimi Sacramenti.

SAcratissimum Eucharistiæ Sacramentum in ultima cum discipulis cœna ante passionem Christus Dominus instituit, in quo sub panis vinique speciebus vere realiter & substantialiter ejus corpus, & sanguis una cum anima & divinitate, atque adeo totus Christus fons & auctor omnis gratiæ continetur, ut non modo fideles hoc Sacramento tamquam spirituali animarum cibo alantur, & confortentur in vitam æternam, sed esset in Ecclesia sua symbolum illius unitatis, & caritatis, qua Christianos omnes inter se conjunctos & copulatos esse voluit. Jam vero sacra Dominici corporis, & sanguinis mysteria, quæ fidei constantia & firmitate credimus, religioso cultu animique pietate veneranda sunt, atque in primis tum per Parochos tum per Concionatores adhortandi fideles, ut sacrosanctam Eucharistiam religiose & frequenter adorent, atque humilibus decorisque obsequiis revereantur: quinimmò nec una quidem foret dies prætereunda, qua Christum Dominum in Eucharistia existentem, qui suas reputat delicias esse cum filiis hominum, & cujus conversatio non habet amaritudinem, quique sanat omnes infirmitates, venerabundi non properent Christifideles adire, eique debita servitutis, & laudis officia persolvere, quod nedum mane cum sacra mysteria peraguntur, sed sub vesperas quibus sacrificia desinunt, præstare & pium & Deo pergratum est, & magnæ ædificationis exemplum. Quod si aliquoties præpediti corpore adesse forte nequeamus, frequenti piorum hominum usui facile conformemur, qui aut infirmitatibus, aut nimia

mia longinquitate, aut negotiorum turba, cum ad Ecclesias Christum visuri haud conferre se possent, eum mente & corde pluries qualibet die visitabant, eodemque modo erga eum afficiebantur, ac si Ecclesiis interfuissent.

CAP. V.

De accurata & decenti Eucharistiæ custodia.

1. IN eo Ecclesiæ altari, in quo SS. Sacramentum asservari solet, sit tabernaculum (*a*) affabre concinneque elaboratum, & majori ex parte de foris auro illitum cum suo decenti conopeo serico vel subserico (*b*) mox unius mox alterius coloris pro temporum varietate mutando: intus vero holoserico albi coloris velo circumvestiatur, subtus nitidum corporale stratum binis saltem quibusque mensibus mutandum collocetur, ibique duæ sacræ pyxides argenteæ, una major, altera minor interius deauratæ cum suis cooperculis, nec ullæ Sanctorum reliquiæ, aut aliud quantumvis sacrum asserventur. In majori pyxide, quæ suo etiam conopeolo, seu velo serico coloris albi tecta semper esse debet, nisi forsan melius acu phrygia sit variatum, quod non opus est immutari, sacræ particulæ ea copia serventur, ut sint Christifidelibus communicantibus satis, & nunquam deficiant. In

(a) *Morem conservandi in Ecclesiis Eucharistiam antiquissimum esse, quidquid Hæretici obgarriant, constat ex iis quæ adsert Baronius ad annum 57. num.152. Columbas aureas, vel argenteas super altare pendentes ad Eucharistiam continendam, D.Basilium primum invenisse legimus in ejus vita Amphilochio tributa. Hunc ritum perseverasse ætate sua in nonnullis Galliarum Ecclesiis testatur Macer verbo* Ciborium.

(b) *Cap. Relinqui de cust. Euch.*

In pyxide minori una vel plures sacræ particulæ retineantur, ut promtius Parochi ad infirmos deferre possint: eæ tamen semel in hebdomada mutandæ sunt, quibus sive mutatis sive consumtis caveat Parochus, ne ulla remaneant fragmenta, sed ea colligens cum hostiis absumat. Pyxides tandem, tabernaculum, vela, & conopea munda intus forisque custodiantur, ab iisque sordes omnes procul absint, pulveresque leviter scopulis excutiantur. Porrò sub fideli custodia Eucharistia conservetur (a), & tabernaculi ostiolum firmissima sera, & clave argentea funiculo vel vittæ sericæ appensa claudatur, quam Ecclesiæ Rector, vel alius Sacerdos (nunquam autem laicus, immo nec Clericus, nisi sit Sacrista, & de nostri licentia) in armariolo alia clave occluso custodiat, nec eam in Sacristia pensilem, aliove loco intuentium oculis obvio teneri ullatenus permittendum, ne possit ad sanctissimam Eucharistiam temeraria manus extendi ad aliqua horribilia vel nefaria exercenda. Si tabernaculi ostiolum negligentia reseratum, aut in eo clavem, aut alibi expositam, sive in loco minus tuto reliquerit, ex quo ab impiis execrabile & sacrilegum ullius pyxidis, aut ostensorii sive cum sacris particulis, & hostia consecrata, sive non, furtum commissum fuerit, pœna carceris, aliisque arbitrio nostro pro modo negligentiæ irremisibiliter, & absque alio processu coercebitur; & nihilominus Rectores, aut Parochi aut Sacristæ aliique quibus Eucharistiæ custodia demandata est, si eidem custodiendæ incurii & desides fuerint, licet furtum aliquod, aut sacrilegium non subsequatur, per tres menses ab officio suspensi remanebunt (b).

(a) *Cap. Statuimus de Custodia Euch.*

(b) *Vide Encycl. literas. Innocentii XIII. super custodia clavis tabernaculi apud Synodum Fulginatem in append. pag.* 213.

2. Clavis item capsulæ illius, in qua fer. V. in cœna Domini servatur Eucharistia in calice latens (a) nunquam laicis quacumque consuetudine aut prærogativa non obstante tradatur, sed ab ipso Sacerdote in sequentem diem illam sumturo e collo pendens sub veste deferatur.

Præterea ante tabernaculum diù noctuque plures, seu quinque, vel una saltem decens & munda lampas eorum, ad quos juxta locorum consuetudinem spectare solet expensis, indesinenter accensa dependeat, optimoque in sanctissimi reverentiam Sacramenti oleo nutriatur: proque exacta hujus observàntia quemque in sua Ecclesia invigilare præcipimus sub gravibus pœnis arbitrio nostro infligendis, quibus etiam majoribusque afficientur Æditui, aliique quorum culpa Sanctissimum in aliqua Ecclesia sine lumine, tametsi modicum temporis remanere contigerit. Ea autem lampas non a latere sed e regione conspectuque altaris seu tabernaculi, nec directe super gradus, sed ab iis procul & tam longe sit collocata, ut Sacerdos & ministri, si qua forsan olei gutta deciderit, inquinari non possint.

3. Dum sacra ministratur Eucharistia super cancellis presbyterii, sive scamno ad id parato mappæ mundissimæ sternantur, alias velum oblongum aut mantile non desit, quod ab ipsis communicantibus teneatur; hujusmodi autem mantile, mappæque huic addictæ usui in profanum converti fas non est: si communicandi fuerint exiguo numero, idest non ultra senarium, poterit sacerdos post sanguinis sumtionem ex particulis in ipsa Missa consecratis, & in patena positis Eucharistiam eis præbere; si vero majori numero fuerint, ad evitandum peri-

(a) *Ex S.R.Cong. decreto apud Barbos. cap.20.num. final. & apud Vertrigl. prax. tom.2. n.4 & 6. Card. Petra tom.3. pag.306. n.43.*

riculum, ne aliqua ex tot existentibus in patena particulis forte labatur, ex pyxide ut supra eos communicet, sacris semper qui ab Ecclesia præscribuntur ritibus observatis.

C A P. VI.

Non communicantes a die Palmarum usque ad diem Ascensionis, an & quam pœnam incurrant?

CUm ex præcepto Ecclesiæ (a) a quibusvis utriusque sexus Christifidelibus quotannis in Paschate sub gravibus pœnis Eucharistiæ communio sumi debeat, collacrymandum sane est in ejusdem Ecclesiæ gremio aliquos reperiri, qui diaboli laqueis irretiti ad hanc salutis mensam præfato saltem tempore accedere vel negligunt vel contemnunt: illud præterea non sine animi nostri mœrore accepimus, plures identidem sub excogitato, nescitur quomodo, prorogationis prætextu hoc præceptum extra tempora a jure statuta adimplendum differre; cum Eugeniana constitutione id tempus infra Dominicas Palmarum, & in Albis aperte satis sit circumscriptum, atque transgressoribus pœna imponitur interdicti ab ingressu Ecclesiæ, & privationis Ecclesiasticæ sepulturæ: qua tamen pœna immunis erit, qui forte de proprii Sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab hujusmodi perceptione duxerit abstinendum (b). Ceterum cum ob aliam nequeat causam in aliud tempus a præscripto Eucharistiæ communio differri eos declaramus, qui sponte sua, & non de Confessarii consilio a Dominica Palmarum ad Dominicam usque in Albis non communicaverint præfatis subdi pœnis.

(a) *Cap. Utriusque sexus de pœnitent. & remiss.*
(b) *Cap. Omnis utriusque sexus.*

CAP. VII.

Qui ab annua communione de Confessarii consilio ad tempus abstinentes absque emendatione in peccata amplius relabuntur, pœnis contra non communicantes afficiuntur, quibus etiam subjacent qui sacrilegè communicant.

HIc tamen caute animadvertendum, ne fraudibus invalidisque excusationibus ostium aperiatur, eos qui de Confessarii consilio ab Eucharistiæ sumtione abstinent, debere per vitæ emendationem, quæ alicujus probatur temporis experimento, ad Eucharistiam suscipiendam se quam citius præparare, quod indicant verba superius allata in cap. *Omnis utriusque sexus*, ibi; *nisi forte de proprii sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab hujusmodi perceptione duxerit abstinendum*: non enim cujuslibet arbitrio relinquendum, Eucharistici Sacramenti susceptionem in Paschate quantum placuerit ad longum tempus protrahere, sed prout justa accedente causa differendam censuerit Confessarius. Ii vero qui peccatis inquinati nullum præseferunt emendationis signum, nec præscriptis ad ea evadenda mediis a confessario uti volunt, tamquam indispositi sine absolutione dimittuntur, eisque præcipitur ne ad Domini mensam polluto audeant corde transire, ni indigna malint sumtione judicium sibi manducare, divinamque horribili sacrilegio indignationem amplius irritare; si tamen (quod Deus avertat) sacrilegè communionem percipiant, se nec minus annuæ communionis præcepto satisfacere meminerint, nec pœnas ecclesiasticas latas contra omittentes annuam communionem effugere.

CAP.

CAP. VIII.

In Dominicis Quadragesimæ, secunda, & tertia die Paschatis de annuæ communionis præcepto statis temporibus adimplendo, moneantur fideles modo inferius descripto.

UT autem fideles omnes ad huic paschalis communionis præcepto obediendum paternis admonitionibus excitentur, unusquisque Parochus qualibet dominica Quadragesimæ usque ad eam Passionis inter Missarum solemnia Lateranensis Concilii decretum sub Innoc. III. latum in Cap. *Omnis utriusque sexus* de pœnitent., & remissionibus populo annuntiet in lingua vernacula sub his verbis, videlicet

2. *Tutti i fedeli Cristiani dell' uno e dell' altro sesso quando siano arrivati ad avere l' uso della ragione, sono tenuti a confessarsi de' proprj peccati, almeno una volta l' anno, e parimente quando per l' età e discernimento siano capaci a comunicarsi ogni anno nella propria Parrocchia, almeno la Pasqua di Resurrezione di Nostro Signore Gesù Cristo. Perciò si notifica a tutti, che onninamente nell' anno presente soddisfacciano a questo precetto della S. Chiesa, altrimenti quei, che ne trascureranno l' adempimento conforme dispongono i sacri Canoni, saranno dichiarati pubblicamente interdetti dallo ingresso della Chiesa, e privi della sepoltura Ecclesiastica in evento di morte.*

3. Secunda vero, & tertia die Paschatis inter Missarum solemnia eos moneat Parochus, qui Paschate non communicaverunt, in hunc modum ut sequitur.

4. *Si avvertiscono tutti coloro, che la Domenica della Pasqua non si sono comunicati, che tutta questa setti-*

timana debbon esser confessati, e aver ricevuta la Santissima Eucaristia; perchè non lo facendo saranno dichiarati, e pubblicati interdetti dall' ingresso della Chiesa con affigersi a' luoghi pubblici i nomi loro, e occorrendo la morte, privati della ecclesiastica sepoltura.

CAP. IX.

Post diem Ascensionis incommunicatorum nomina confestim Parochi ad nos remittant; quos adhuc monitos, & in sua contumacia pergentes etiam excommunicatione plectemus.

TRansacto Ascensionis die statim Parochi eorum nomina, qui hactenus in sua Parochia communionis Paschalis præceptum non adimpleverint, fideliter ad nos transmittant, qui eos canonice moneri faciemus ad dicendam caussam, quare non debeant declarari excommunicati, ut facti pœnitentes ex corde resipiscant, & sanctæ Matris Ecclesiæ mandato digna Eucharistiæ sumtione humiliter pareant, atque ad bonam frugem convertantur: sin autem hæc monita despicientes in sua contumacia permanere dignoscantur, publice declarabuntur & vivi & mortui ab Ecclesiæ aditu prohibiti & excommunicati, eorumque nomina in hujus Cathedralis, necnon Parochialis Ecclesiæ foribus affigentur, ut omnis populus resciat, eosque tamquam putrida membra a fidelium communione sejuncta, donec absolutionem promeruerint, effugiat atque evitet.

CAP. X.

In propria Parochia communicent fideles, nec alibi communicandi a Parochis licentia concedatur, nisi in casu necessitatis, & cum onere afferendæ attestationis susceptæ communionis in scriptis; secus suspensionem incurrent.

COmmunicare tenentur in Parochia quicumque ibi habitant, nec annuæ communionis præcepto extra propriam parochialem Ecclesiam communicantes satisfaciunt, nisi a nobis licentiam obtinuerint, vel a proprio Parocho, cui sub pœna suspensionis a divinis injungimus, ne eam in posterum elargiatur, nisi in casu necessitatis, & sub ea conditione, ut suscepti extra Parochiam sacramenti attestationem in scriptis sibi afferant intra spatium unius diei, aut ad summum intra biduum (*a*), cum debeant oves proprium pastorem, easque pastor agnoscere: quinimmo quilibet Parochus, nisi legitime impediatur, Parochiæ suæ fidelibus, atque in primis adolescentulis primo communicaturis paschale Sacramentum propriis manibus ministrabit.

CAP.

(a) *Conc. Mediol. primum pag. 2. tit. Quæ pertinent ad Sacram Eucharistiam §. Hic.*

CAP. XI.

In die Paschatis prohibentur Regulares in suis Ecclesiis Eucharistiam secularibus ministrare, tametsi isti jam prius annuæ communionis præceptum impleverint; aliis diebus porrigere possunt, at communicantes non eximuntur ab obligatione percipiendi eam a proprio Sacerdote.

ABsolute sibi vetitum meminerint Regulares in die solemnitatis Paschæ Eucharistiam secularibus administrare (*b*) quamvis communicantes ex devotione eam suscipere velint, jamque alia die in propria Parochia pro paschalis præcepti adimplemento antea communicaverint: aliis autem diebus, nempe a Dominica Palmarum usque & per totam Dominicam in Albis integrum erit Regularibus sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum ministrare; ita tamen ut seculares in eorum Ecclesiis sacra communione refecti ecclesiæ præcepto non satisfaciant, nec ab ejus in propria Parochia, & eos intra dies percipiendæ obligatione solvantur.

CAP.

(a) *Sacr. Cong. Conc.* 2. *Martii* 1679. *apud Barbos. de Paroch. cap.*20. *n.* 10. *In Burdegalen.* 9. *Julii* 1694. *In Senen.* 11. *Junii* 1650. *apud Monacell. tom.* 2. *pag.* 29. *n.* 16. *Const. Superna Clem. X.* §. *Et eos.*

C A P. XII.

Ecclesiastici civitatem incolentes feria V. in cœna Domini communicent in Cathedrali, ceteri in archipresbyteralibus, sive parochialibus Ecclesiis; Sacerdotes qui eo die non communicant, nec aliis celebrant, Parochiam adire debent pro communione paschali.

HUic generali Ecclesiæ præcepto Eucharistiam in parochiali Ecclesia sumendi non subjiciuntur Ecclesiastici tam hujus aut in hac civitate degentes, quam ceteri Diœcesis, qui juxta antiquum & universalem Ecclesiæ ritum fer. V. in cœna Domini (*a*) Eucharistiam in cathedrali de manu Episcopi, aut alterius solemniter celebrantis, in aliis diœceseos locis de manu Archipresbyteri seu Parochi recipiunt. Omnes proinde & singuli de Clero cottis amicti (nonnullis exceptis, quibus eo die permissum est celebrare) sub pœnis in nostro edicto contentis Missæ solemni in Ecclesia, & loco digniori intersint, Eucharistiam generali communione sumturi, adhibita quidem a Presbyteris alba stola e collo pendente, a Dia-

(a) *Tametsi Canon in cœna Domini* 17. *dist.* 2. *de Consecratione non sit Soteris Papæ, sed sit Canon.* 47. *Concilii Cabilonensis, anno* 813. *celebrati, antiqua tamen est disciplina communionis generalis hac die peragendæ. Testatur S. August. epist.* 118. *ad Januarium:* hac una die indultum ab Ecclesia, ut post cœnam, ac refectionem in memoriam cœnæ Domini olim celebraretur, ac daretur populo Eucharistia. *Quod etiam confirmat Concilium Matisconense* 11. Sacramenta, *inquit*, nonnisi a jejunis hominibus celebrentur, excepto uno die anniversario, quo cœna Domini celebratur. *Adeatur etiam Synod. Carthag. III. Sacra Rit. Congr.* 27. *Septembris* 1608. Omnes de Clero, etiam Canonici Eucharistiam sumant de manu celebrantis in fer. 5. in cœna Domini.

a Diaconis vero transverſim (*a*). Ii autem Sacerdotes, qui eo die non communicant in Miſſa conventuali, nec aliis diebus ſacra myſteria peragunt, more laicorum in Eccleſia parochiali annuæ communionis præceptum implere tenentur induti tamen cotta & ſtola.

CAP. XIII.

Monaſteriis Servientes, Oblati, & Eremitæ, quibus Tridentini requiſita deſunt, Paſchate communicent in Parochia. Abſentes tempore paſchali poſt reditum intra octo dies in ſua Parochia Eucbariſtiam ſumant, niſi alibi ſumſiſſe conſtiterit.

SEculares Religioſorum Monaſteriis inſervientes præcepto in parochiali Eccleſia communicandi non eximuntur, niſi cum qualitatibus a ſacroſancto Conc. Trid. (*a*) requiſitis, ita Regularium Monaſteriis ſint addicti, ut actu inſerviant, intra eorum ſepta ac domos reſideant, & ſub eorum obedientia vivant; quæ tria ſimul pro exemtione Tridentinum expoſcit. Idem quoque de Oblatis, & Eremitis dictum eſſe intelligatur. Quicumque vero paſchali tempore a conſueto ſuæ reſidentiæ loco abſuerint, poſt reditum intra octo dies ſub pœnis contra non communicantes, in ſua Parochia hoc præceptum adimpleant, niſi de eo adimpleto in alia, in qua commorati fuerint, authenticum teſtimonium ſuo Parocho exhibuerint, illoſque ejus judicii declinandi cauſa inde diſceſſiſſe ſuſpicio ulla non ſubſit.

CAP.

(a) *Seſſ.* 24. *cap.* 11.

CAP. XIV.

Inanis nonnullorum prætextus de paschali communione differenda confringitur, dum Parochi jubentur Eucharistiam non denegare iis, qui promte decimas non solvunt.

UT eorum abusus evellatur, qui designato tempore Ecclesiæ præcepto de communione paschali non parent, eo quod decimas tunc debitas aliasque obventiones promtè solvere nequeunt, quo sane prætextu suam forsan palliantes impietatem sese excusare arbitrantur, & SS. Eucharistiæ sumtionem cæca mente prolongant. Nullum propterea qui parochialia differt emolumenta solvere Eucharistiæ Parochus communione privabit; sed suo in sacramentis administrandis aliisque parochialibus exercitiis obeundis fungatur officio; renitentes postmodum, nisi vere sint pauperes, ad sua jura compellat.

CAP. XV.

Pro communione paschali Vagi, Peregrini, & Advenæ remittantur ad Ecclesiam Metropolitanam, & respective ad Parochiales Diœcesis.

VAgi, Peregrini, & Advenæ qui domicilium fixum non habent, si in civitate, aut prope eam paschalis præcepti tempore maneant, ad Metropolitanæ Ecclesiæ Parochum pro communione adeant juxta D. Matthæi de Januario prædecessoris nostri constitutionem (a), quam confirmamus. Si vero absint a ci-

Ii 2 vita-

(a) *Tit. de Aug. Euch. Sacram.* §. 8. *pag.* 325. *Rit. Rom. de comm. Paschal. n.* 3.

vitate, a Parochis respective locorum Diœcesis communionem accipiant; sed priusquam ad eam admittantur, eos expedit interrogare, an calleant rudimenta fidei, atque ad hujus SS. Sacramenti sumtionem parati veniant, nisi aliter eos scire, & rite dispositos prudenter Parochus existimabit.

C A P. XVI.

Ægrotis, & carceribus inclusis honorifice debet in Paschate deferri, & ministrari Eucharistia.

ÆGritudine laborantibus, qui Ecclesiam adire nequeunt, etiamsi extra tempus paschale sacra fuerint communione refecti, in paschalibus diebus domum adferatur, & ministretur eo modo & solemnitate, qua per viaticum solet in probabili mortis periculo constitutis deferri, & ministrari; dummodo ante cibum & potum, ullumque sumtum per os medicamen, jejuni prorsus a media nocte præcedentis diei jejunio naturali instar communicantium extra ægritudinem recipiant (a), idque ipsum servetur cum iis qui carcere sunt detenti, quibus communio pro paschalis præcepti adimplemento eadem honorificentia & deferenda & ministranda est.

CAP.

(a) *Rit. Rom. de Com. Pasch. n. ult. & de Comm. Infirm. n. 4. §. Ceteris autem.*

CAP. XVII.

Statum animarum inchoato quadragesimali tempore conficiant Parochi, deque pueris communione primo ministranda accuratam adhibeant diligentiam.

SUb initium Quadragesimæ Parochi statum animarum describere instituant ostiatim inquirendo omnium utriusque sexus nomina, in peculiari libro ad præscriptum Ritualis Romani distinctis signis adnotanda, quosve, attenta potius ingenii capacitate quam annis, pueros & puellas in proximo Paschate communicandos agnoverint super fidei rudimentis prius examinatos, quibusdam per singulas hebdomadas præstitutis diebus paterno affectu erudiant in iis, quæ de altissimo hoc Sacramento credenda, quæque ad dignè suscipiendum necessaria sunt, utque pariformitas tum in docendo tum in addiscendo retineatur, Parochi omnes eadem utantur methodo paulo fusius scripto alibi tradita, ex qua puerorum mentes instrui & corda excitari possunt ad fructuosam hujus Sacramenti perceptionem, & ubi eos idoneos repererint ad communionem in Paschate omnes simul separatim ab aliis admittant, cumque fuerit expleta communio, & præstita gratiarum actio, devote ad eosdem vel per se, vel per pium sacerdotem habeatur exhortatio, dein in pace dimittant. Ii vero quos minus idoneos, majorique propter ingenii tarditatem instructione opus habere compererint, donec melius addiscant, & capaces reddantur, communionem differant.

CAP.

CAP. XVIII.

Non sinat Parochus in Paschate communicatos abire, ni sua prius in libro scribenda dederint nomina, quinam vero ab Eucharistica mensa arcendi, ne Domini Corpus accipiant, referuntur.

1. MOrem illum hactenus in civitate, perque majorem dioecesis partem servatum eorum nomina scribendi, qui communionem in Paschate suscipiunt, sedulo custodiri mandamus, & per seipsos Parochi, aut per alium probum industriumque sacerdotem, quatenus commode haberi potest, aut saltem per clericum iisdem praeditum qualitatibus communicantium nomina describi curabunt; in iis vero locis, in quibus impressae schedulae distribuuntur post tempus paschale ostiatim repetendae, utque fraudibus occurratur, & clarius incommunicati detegantur, eorum qui communicant nomina adhuc ut supra, dum praebetur communio, adnotari mandamus; quos vero Parochi diligenter perquisito libro non communicatos deprehenderint, privatim prius, dein publice suppresso nomine, & servato instructionis tenore, quem in capite nono ediximus, admonebunt; quod si adhuc monita amplecti, & exequi detrectent, ad nos quam citius post diem Ascensionis eos deferant canonicis poenis & excommunicatione plectendos.

2. Atque in primis caveant Parochi, ne indignis cum aliorum scandalo Eucharistia praebeatur, quales sunt publice excommunicati, concubinarii, meretrices, blasphemi, malefici, usurarii publici, itemque publice criminosi, ii praeterea qui in odio proximi cum scandalo pergunt; necnon conjuges cohabitare sine legitima causa no-

nolentes, nisi prius ii omnes certum pœnitentiæ cum vitæ emendatione signum præsetulerint.

C A P. XIX.

De sanctissimo Eucharistiæ Viatico: commendatur hujus populi devotio, & religiosa solemnitas in Sanctissimi Viatici associatione, utque magis augeatur, Nobiscum Parochi adhortentur.

DIlectissimi hujus populi in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento cum ad infirmos defertur religioso cultu, solemnique pompa associando, devotionem, ac frequentiam oculis nostris spectantes voluptate perfundimur, & omnipotenti Deo gratias agimus, nec solum in civitate ardens studium, & honorificus spissusque populi concursus, sed & per suburbia, perque aliquot Diœceseos loca (quod amplius lætitiam auget) certatim religiose, ac sumtuose pro facultatibus demonstratur. Nos igitur, quibus & major Dei gloria, & animarum progressus pastoralis est cura potissima, gregem nostrum monemus, adhortamur, & obsecramus, ne hujus augustissimi Sacramenti cultum reverentiam, devotionem, atque id omne, quod magis pietati venerationi honorique cedit, intermittere ullatenus patiantur; cumque id peragant in spem vivam erigimur, non eos ex hac vita sine Christi Domini Corporis salutari viatico, quod est perennis gloriæ sacratissimum pignus, decessuros. Quæ omnia Parochi in suis instructionibus, monitisque sæpius insinuare non omittant; suaque piorumque hominum opera, exemplo, & eleemosynis curent, ut in sanctissimi Viatici delatione peroptatus devotionis fervor accrescat, piæque solemnitatis honos a cuncto populo cunctis in locis exhibeatur.

CAP.

CAP. XX.

Ne infirmi sine communione obeant, Parochis summopere invigilandum, qui & populo comitanti modestiam, & devotionem inculcent.

1. ACcuratissima Parochis infirmorum cura esse debet, nedum eos, etiam non vocatis, qua decet honestate & exemplo sæpius invisendi, sed & sacramentorum præsidio, quoties opus fuerit, aliisque salutaribus alimentis muniendi. Cum igitur Parochus infirmos in sua Paræcia adesse noverit, omnem adhibeat diligentiam, ne quis cum mortis periculum maximè impendeat, absque sacrosanctæ Eucharistiæ Viatico moriatur; eos idcirco paterna monebit caritate, atque efficacibus verbis, ut peccata sua confiteantur, & sacram Eucharistiam opportune recipiant, neque eam sero differant cum periculo si vis morbi ingravescat, & mentis vires obtundat, non ea, qua decet devotione sumendi, aut certe cum phrenesis, aut faucium ægritudo, aut periculum vomitus, aut quid simile superveniat, ministrari non possit. At vero Parochi cum hoc Sacramentum sit ad ægrotos deferendum se paratissimos præbeant quacunque hora vocati fuerint, & datis aliquot campanæ ictibus ad convocandum populum, cum omnibus cæremoniis, ritibus nudo semper capite, & qua majori potest solemnitate ad infirmos Eucharistia deferatur, cunctis eam modeste devote aperto etiam capite associantibus, nec inter se minimum quidem per viam colloquentibus.

2. Ii vero qui sive euntem, sive redeuntem cum viatico sacerdotem offendunt, quamvis equo iter faciant, aut rheda vehantur, non sat est caput dumtaxat nudare, sed prosilire eos maxime decet, & ad genua flexos de-

devoto humilique obsequio transeuntem Regem Regum per manum Sacerdotis delatum adorare: quinimmo & ad domum cui defertur, & inde ad Ecclesiam, ad quam reditur, comitari deberent, uti sæpe & a Pontificibus, & Principibus summis nostra etiam ætate fieri scimus: Quod majoris est observantiæ & honoris argumentum; quod si Parochorum desidia eveniat, ut aliquis sine sanctissimi Christi Corporis Viatico ex hac vita decedat, gravissimis in eos pœnis animadvertemus.

C A P. XXI.

Nunquam sine pompa sacratissimum Viaticum ad infirmos deferatur diurno tempore; nocturno vero idem usque ad secundam noctis horam observetur. In casibus vero summæ necessitatis deferendum cum umbella, baldacchino, luminibus, & companulæ sonu.

CUm sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum est ad infirmos deferendum, etiamsi necessitas id nocturnis horis expostulet, manifeste semper, & honorifice, publice, & cum pompa deferatur usque ad secundam noctis horam in civitate: summis propterea laudibus extollendum sanctissimi Viatici pium opus in hac civitate, aliisque locis jam excitatum summorum etiam Pontificum gratiis cumulatum, in quod menstruæ eleemosynæ a piis fratribus, & sororibus pro decentiori solemnique pompa in ejus ad infirmos delatione erogantur, & annuentibus nobis, liberalissime expenduntur. Cuilibet vero Eucharistiam ad infirmi domum privatim deferri forsan importune poscenti intrepide resistant Parochi, nec a præscripto publicæ hujus pompæ usu aliquo pacto re-

cedant ſine noſtra expreſſa licentia, prout præſenti decreto ſancimus, & ſervari mandamus ſub pœnis arbitrio noſtro. Cumque inopinatum atque inſtans eveniat mortis periculum, & pompæ non ſuppetat tempus, campanulæ ſonus præcedat, & nunquam ſine luminibus, & umbella ſeu de die ſeu de nocte, ſemper tamen detecto capite, viaticum deferatur, nec deſit parvum portatile baldacchinum ad Sacramentum in domo infirmi deſuper collocandum.

C A P. XXII.

Cum nimis longum aut difficile ſit iter, una dumtaxat particula in pyxide deferatur.

IN locis campeſtribus cum perlongum, aut nimis incommodum ſit iter, ne populus ad Eccleſiam redeundo gravetur, una tantum ſacra particula in parva pyxide, nunquam tamen intra corporale deferatur, eamque pyxidem intra burſam ſericam albi coloris apte incluſam, & cum ſuis funiculis holoſericis ad collum appenſam Parochus geſtabit, atque ſuperpelliceo, ſtola, veloque humerali indutus, accenſis facibus, & duobus ſaltem laternis infirmi domum proficiſcatur, conſuetas preces, & pſalmos recitans, ſervatiſque omnibus quæ in Rituali præſcribuntur, ſacro viatico ægrotantem reficiet.

CAP.

C A P. XXIII.

Qui ſumto Viatico aliquot dies ſupervixerint, et in eodem infirmitatis periculo iterum ſumere petierint, poteſt & debet iterum miniſtrari, etiamſi non ſint jejuni. Qui vero periculum mortis evaſerint, ſi iterum velint communicare, Parochus indulgebit, modo jejuni communicent.

ETſi nonniſi infirmis, eiſque dumtaxat communicandi gratia Euchariſtia deferri debeat, & præcepto illius in mortis periculo ſumendæ factum ab eis fuerit ſatis; in prolixiori tamen ægritudine, ſi a ſuſcepto Viatico lapſi ſint aliquot dies, conſtituimus, ne Parochi renuant ſanctiſſimam Euchariſtiam iterato deferre ad ægrotos, qui etiam perſeverante eodem morbi periculo illam ſæpius per modum Viatici, cum naturale jejunium ſervare nequeant, percipere cupiunt (*a*).

C A P. XXIV.

Sacerdoti qui mane Miſſam celebravit, aut laico qui ex devotione communicavit, in ſubitum mortis periculum incidenti, an ſit eodem die Euchariſtia porrigenda, Parochi arbitrio relinquitur.

CUm exactam a Parochis vigilantiam, facilemque promtitudinem in Euchariſtia ceteriſque Sacramentis ad-

(a) *Ben. XIV. de Synod. Diœceſ. lib.7. cap.12. n.4. Sylveſt. V. Euchariſtia 3. §. 6. Tabiena V. Communicare num.48. Sotus in 4. diſt. 12. quæſt. 1. art.8. Toletus in ſumma lib.10. cap.15. Henriquez lib.8. cap.4. n. 1. & cap.50. n.1. Suarez diſp.68. Sect.5. Layman. lib.5. Sum. tract.4. cap.6. quæſtion.6. n. 20. Diana tom. 1. reſolut. 75. Cardin. de Lugo diſp.15. Sect. 3. num.64.*

administrandis exquiramus, gravissimas ceteroqui pœnas daturis, si quempiam eorum inertia usuveniat sine sanctissimo Viatico interire, non intendimus casum illum comprehendi, in quo Sacerdos qui mane celebrata Missa, aut laicus sumta ex devotione Eucharistia eadem die repentino corripiatur morbo, aut lethali afficiatur vulnere, denuo sit ipsamet die Eucharistico cibo reficiendus, ita ut Parochus eadem die Viaticum sic vitam periclitanti non præbens veniat puniendus: non quidem casum istum extraordinarium comprehendimus; cumque accidat, Parocho id relinquimus faciendum, quod sibi magis arriserit: enimvero licet divino jubeantur præcepto fideles, cum in extremo vitæ discrimine constituti sunt, sacram Eucharistiam percipere, anticipata veluti quadam solutione, quæ fuit communio mane peracta, jam satisfecisse putandum est. Porro nec licet bis eadem die Dominici corporis participare mysteria, unde non culpandus est Parochus, si denuo Eucharistiam illi non porrigat, qui mane sanus communicavit, & postea repentinus ei morbus advenit; & nihilominus si brevi morituro, quamvis mane sana valetudine communicaverit, eadem die Dominici corporis Viaticum Parochus administrabit, quis eum audebit arguere? cum tueantur plerique inopinato in vitæ discrimen conjectum ad rursus Eucharistiam recipiendam obstringi, ut validius cum dæmone luctam sustineat, nec enim per communionem in bona valetudine antea factam potuit satisfieri præcepto, quod nondum urgebat, Eucharistiam sumendi in mortis articulo.

CAP.

CAP. ULT.

Indulgentiæ a summis Pontificibus concessæ sanctissimum Viaticum ad infirmos comitantibus referuntur, quibus quadraginta dies superaddimus.

ANtequam populus, qui in comitatu ad Ecclesiam redit cum sanctissimo Sacramento, benedictionem accipiat, Sacerdos ad eumdem conversus sacras indulgentias a summis Pontificibus, & quadraginta dies a Nobis concessas, ut moris est, annuntiet, ut autem quales sint omnibus innotescat, earum elenchum in unaquaque Parochia in tabella conspicuum haberi, & festis saltem solemnibus legi volumus, eo modo quo dabit appendix.

TITULUS V.

De Sacratissimæ Eucharistiæ expositione.

NUlli dubium quin ſanctiſſima Euchariſtia latriæ cultu, quo nullus major in Eccleſia reperitur, quique vero Deo debetur, ſit a fidelibus adoranda, eamque poſſe in Eccleſiis publice interno externoque cultu colendam proponi adhuc certiſſimum eſt. Qui ſane mos viſibilem Euchariſtiam publice fidelium adorationi exponendi & laudabilis eſt, & proficuus: eo enim ubi venerabilis Sacramenti fit expoſitio, commeat populus, ſeque pronus in preces effundit, peccatorum veniam, opemque divinam ut bene agat poſcendo, & ad fidei, ſpei, & caritatis actus eliciendos accenditur.

C A P. I.

Niſi ex cauſa publica a Nobis probanda Euchariſtiæ expoſitio non fiat, ne in Regularium quidem Eccleſiis: ex privata vero an, & quomodo fieri poſſit.

VEnerabile Sacramentum populi conſpectui publice exponi nequit, niſi cauſa publica religionis, aut ſtatus expoſcat, quæ ab Ordinario, ad quem dare veniam pertinet, probanda ſit: ea propter nedum in Eccleſiis Nobis ſubjectis, ſed in qualibet etiam Regularium, Sacræ Congregationis Concilii decretis inhærentes, ullam hujuſmodi expoſitionem fieri vetamus, niſi cauſa a Nobis prius examinata & probata, petitam licentiam facile, & gratis concedendam tribuemus. Ex cauſa vero privata, ex. gr. devotionis, ægritudinis, aut alterius neceſſita-

tis

tis alicujus personæ fieri permittitur hoc modo, videlicet, ut reserato tabernaculi ostiolo sacra pyxis suo contecta conopeolo appareat, sed sacratissima hostia nec cerni possit, neque e tabernaculo extrahatur.

C A P. II.

Quid tum in publica tum in privata Eucharistiæ expositione servandum.

UT sacratissima Eucharistia decenti forma, ac debita cum veneratione exponatur, plura observanda præcipimus.

I. Ut ejus expositio in majori Ecclesiæ altari regulariter fiat.

II. Ut inibi quævis imago aut simulacrum operiatur.

III. Ut in altari Sanctorum lypsana non apponantur, & apposita tollantur.

IV. Duo de viginti saltem cerea lumina continenter resplendeant.

V. Haud sint in Ecclesiis discus, aut bursæ pro colligendis éleemosynis, nec per eam circumeant fratres, confratres, nec pauperes quæstuantes, sed in vestibulo maneant, ad quibus pie subveniendum fideles adhortamur.

VI. Campanulæ sonus, cum in Missa elevatur hostia, jam a seculo XII. ut sic fidelium mentes ad orationes excitentur, invectus, non tantum in altari, ubi est expositum sanctissimum Sacramentum, sed in tota Ecclesia prætermittatur.

VII. Cum Sacerdos ad sacris operandum e Sacristia discedit, sat est modicum campanulæ signum dari, ut in Ecclesia præsentes, an sacrum audire velint, moneantur

tur, prævia tamen benedictione cum sanctissimo Sacramento impartienda, aliquot distinctis ictibus campana pulsetur ad populum convocandum, ut eam accipiat, ipsamque benedictionem eodem tempore comitetur aliud campanæ signum, ut absentes qui norunt etiam adorent.

VIII. In altari ubi fit expositio, ceterisque ejusdem Ecclesiæ non celebrentur Missæ defunctorum.

IX. Cum in venerabilis Sacramenti expositione brevis aliquis sermo ad devotionem excitandam habetur, eo loco situque fiat, ut nullam audientes irreverentiam, humeros Eucharistiæ vertendo irrogare cogantur.

X. Quivis ante sacramentum expositum accedens aut transiens, aut ab eo decedens utroque genu flexo reverenter adoret (*a*). Sacerdos vero Missam celebraturus tam in transitu per altare, ubi est exposita Eucharistia, quam in reditu ad sacrarium, facta prius genibus flexis, & detecto capite adoratione, iterum tegat bireto sacerdotali (*b*).

XI. Cum sacerdos sacra peragit, ut manus abluat, extra altare descendat, versa facie ad populum.

XII. In Ecclesia Metropolitana, aut quavis alia Canonici, ceterique omnes, qui ante expositam Eucharistiam divina officia persolvunt, sive sint in choro, sive extra chorum, ne sedeant, sed stent aperto capite, cumque ob sacrarum functionum diuturnitatem stare non possent, sedeant, sed omnino detecto capite.

XIII. Coram augustissimo Sacramento exposito in nostra Metropolitana duos sacerdotes ad minus unum superpelliceo & stola indutos juxta adnotationem ab eo, ad quem spectat faciendam, utroque genu flexos ante scamnum

(a) *Sacr. Cong. Rit.* 19.*August*.1651.
(b) *Sacr. Cong. Rit.* 7.*Septemb*.1636.

mnum tapeto, aut panno decentis qualitatis, & coloris contectum prope infimum altaris gradum volumus semper assistere, ut adhuc moris est in insignibus Romæ Basilicis, & in capella Paulina, in qua bis in anno fit expositio 40. horarum, summi Pontificis familiaribus alternatim assistentibus. Id quod Domini Canonici hujus nostri Capituli etiam præstare meminerint, adscribi facientes in tabella, & exemplo suo alios ad lubentius assistendum allicientes. Idem a Religiosis servandum cum in eorum Ecclesiis publicæ adorationi sacramentum exponitur, quemadmodum Romæ Regulares omnes efficiunt. In his autem Ecclesiis, ubi sunt laicorum Confraternitates erectæ, ibique aut alibi velint sodales sacco propriæ societatis, & genibus flexis bini statis horis per vices orare coram sanctissimo Sacramento, adsit etiam scamnum decenter opertum, ut secus illud procumbentes orent, ab illo tamen Sacerdotum sit disjunctum.

XIV. Cum Eucharistia velatur, ne laicus sed Ecclesiasticus eam tegat.

At vero in locis Diœcesis, in quibus Sacerdotum numerus non sufficit, ut per turnum quisque constituta hora coram sanctissimo Sacramento oraturus assistat, suppleant clerici superpelliceo, aut confratres sacco amicti.

Quod attinet ad expositionem ex causa privata faciendam modo superius enunciato, cum scilicet panditur ostiolum tabernaculi, & sacra pyxis suo tecta conopeolo apparet, sed a tabernaculo non extracta, sex ad minus candelæ semper ardeant, & Sacerdos cotta & stola indutus pronus orans semper intersit, illique cura sit, qui hanc fieri petiit expositionem, ut tot Sacerdotes inveniat, quot orando qualibet hora necessarii sunt: secus Ecclesiæ Superior hanc licentiam denegabit.

Demum quocumque modo fiat sacramenti expositio

 sive

ſive publica etiam 40. horarum, ſive in civitate, ſive per Diœceſim ſub gravibus pœnis arbitrio noſtro præcipimus, Eccleſiæ fores claudendas veſpere ſub datum ſignum ſalutationis Angelicæ, tribuendamque populo benedictionem, quæ dari conſueverat, nec aliam extra morem de novo ſuperaddendam, nec ullam ſummo mane fieri expoſitionem etiam Nativitatis Domini occaſione novendii.

C A P. III.

Intra duos menſes a cunctis Eccleſiarum Rectoribus etiam Regularium ſuperioribus exhibeatur diſtinctus indiculus omnium expoſitionum, quæ in eorum reſpective Eccleſiis fieri ſolent.

UT omnia quæ ad Sacramenti expoſiti cultum, devotionem, ac decorem pertinent, probe diſpoſita ſint atque ordinata, neque ulla forſan ex multiplicitate expoſitionum modo, hora, aliave circumſtantia ingeratur confuſio, aut quid venerationis aut decoris ſubtrahatur, mandamus omnibus Eccleſiarum Rectoribus, vel quomodolibet eorum adminiſtrationem habentibus, ac etiam Regularium Superioribus, & Capellanis Monialium ut intra ſpatium duorum menſium poſt hujus decreti publicationem, diſtinctum nobis, ſeu generali noſtro Vicario afferant ſeu mittant catalogum omnium ſanctiſſimæ Euchariſtiæ expoſitionum, quæ in unaquaque reſpective Eccleſia civitatis, & Diœceſeos quotannis celebrare ſolent, quid nobis de numero, modo, ceteriſque magis in Domino expedire & opportunum eſſe videbitur audituri.

TI-

TITULUS VI.

De Sacramento Pœnitentiæ.

Piissimus Redemtor noster humanæ conditionis fragilitatem agnoscens, quotque forent maxima ex parte ingrati homines, qui post susceptum regenerationis lavacrum in varios peccatorum morbos sæpe laberentur, atque æterna damnatione perirent, eorum sanandis languoribus medelam exhibuit salutarem, eamque semper paratam relinquit Ecclesiæ sponsæ suæ, ut quo tempore & quoties opus esset, facili negotio ejus filii invenirent, nec æternis addici cruciatibus mererentur, hoc utique medicamen est pœnitentiæ Sacramentum, quo egestis omnibus peccatorum sordibus, innocentiæ stolam, & Dei gratiam recuperamus, nobisque Deo reconciliatis, inque rerum bene gestarum pergentibus semita, divina aspirante clementia, ad perennem gloriam aditus reserabitur: ut autem hoc sacramentum lapsis post baptismum ad salutem penitus necessarium a Sacerdotibus, quos voluit Christus Dominus esse dispensatores, eo diligentius administretur, quo plura requiruntur ad illud recte digneque tractandum, ac suscipiendum nostræ solicitudinis esse intelligimus aliqua super hoc scitu necessaria vel saltem utilia sedulo memorare.

CAP. I.

Vitæ integritas, sufficiens doctrina, & prudentia in Sacerdote requiritur, qui ad confessiones excipiendas approbari valeat.

1. AD Confessarii munus assumendus morum integritate, & scientia necessaria præditus esse debet, quam non poterit melius comparare, quam apprime callendo Ritualis Romani doctrinam, cujus usum in omni sacramento hisce verbis commendat Paulus V.: *Hortamur in Domino venerabiles Fratres Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, & dilectos filios eorum Vicarios, necnon Abbates, Parochos universos ubique locorum existentes, & alios ad quos spectat, ut in posterum tamquam Ecclesiæ Romanæ filii ejusdem Ecclesiæ omnium matris, & magistræ auctoritate constituto Rituali in sacris functionibus utantur, & in re tanti momenti, quæ catholica Ecclesia, & ab ea probatus usus antiquitatis statuit, inviolate observent*: hæc autem doctrina cum prudentia conjungatur oportet, ut cum judicis tum medici quo fungitur officium probe adimpleat Confessarius, recto quippe judicio discernens inter lepram & lepram, aptaque remedia quibuslibet animarum morbis ex industria adhibens. Is vero, cui ex memoratis aliqua deficiat qualitas, futurum non speret, ut ad confessiones audiendas approbetur. Omnem ergo doctrinam circa hoc sacramentum Rituali contentam recte nosse studebit confessarius, aliamque juxta ipsius Ritualis præscriptum ejus rectæ administrationi necessariam, ex probatis auctoribus præsertim ex Catechismo Romano, & prudenti peritorum consilio desumendam.

2. Optimum quoque erit sæpius legere jus canonicum in ea saltem parte, quæ tangit forum conscientiæ, & mo-

moralium casuum decisionem, relicta jurisperitis alia parte, quæ pertinet ad forum exterius; nec minus proficua censenda est lectio Summæ Divi Thomæ, quæ Moralis Theologiæ principia complectitur. Prima secundæ agit de virtutibus & de vitiis in genere; secunda secundæ de virtutibus, & vitiis in specie; tertia pars a quæstione 60. cum toto fere supplemento de Sacramentis. At vero ultra Rituale, & Catechismum Romanum præcipue Concilium Tridentinum, omniaque hujus nostræ Synodi decreta naviter evolvant Confessarii. Cumque in aliis auctorum libris, qui de morum doctrina pertractant, aliquam invenerint nimium laxam opinionem, quæ moribus componendis dissona est, vel nimis rigorosam, quæ scrupulis ostium, animarumque perplexitatibus aperit, fovere abstineant, sed summa prudentia & discretione in hoc se ministerio gerant sanæ semper doctrinæ adhærentes, eamque inoffenso pede deducentes ad praxim. Omnibus propterea, qui Confessarii munus obire cupiunt, notum facimus inter alia quæsita, quæ ab Examinatoribus fient, eos esse super propositionibns a summis Pontificibus proscriptis examinandos, & signanter super 24. 25. 40. & 41. Alex. VII. & super 9. 34. 49. 50. 51. 60. 61. 62. & 63. Innocent. XI., quæ omnes circa peccata carnalia habentes consuetudinem peccandi, & constitutos in proxima peccandi occasione versantur. Magnum quippe Nobis timorem incutit Venerabilis Cardinalis Bellarmini dictum (*a*). *Non esset hodie tanta facilitas peccandi, si non esset tanta facilitas absolvendi.* Id quod in habituatis, iisque quibus peccandi est occasio proxima, maxime locum habet.

CAP.

(a) *Concione 4. super Dominicam IV. Adventus.*

CAP. II.

Casus reservatos noverint Confessarii, eosque Parochi statis temporibus populo declarent.

1. SEdi Apostolicæ, Nobisque reservatorum casuum notitiam habere debet quilibet Confessarius tum secularis, tum regularis, ne ignorantem eveniat suam ultra limites duplici dispendio, sui videlicet & pœnitentium, jurisdictionem extendere: enimvero latæ sententiæ excommunicationem summo Pontifici reservatam, aliasque pœnas, in decretis jussu Clementis VIII., Pauli V., Urbani VIII., Innocent. X., & Clementis X. (*a*) editis incurrunt Confessarii tam seculares quam regulares, qui sine impetrata facultate quempiam ab ullo ex casibus in bulla Cœnæ, vel quomodolibet Sedi Apostolicæ vel Ordinariis locorum reservatis, præterquam in articulo mortis absolvere audent vel præsumunt. Porro super reservatis a non habente facultatem collata absolutio nullius est roboris vel momenti: nec Regulares, quibus a Sede Apostolica indulta est facultas ab omnibus casibus sibi reservatis absolvendi, quidquam similiter poterunt circa reservatos a Nobis, ut ex Clementis X. constitutione quæ incipit *Supernas* (*b*) declaratum est; *Et habentes* (ibi) *facultatem absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reservatis, non ideo a casibus Episcopo reservatis absolvere posse, nisi tamen a Sede Apostolica individue super his facta fuerit concessio.*

2. Ut autem omnibus innotescant, & facilius memoria

(a) *Apud Quaranta v. casus reservati. Cleric. de Sacram. Pœnit. decis. 46. num. 9.*
(b) §. *Et habentes.*

ria retineantur, quinam sunt casus Nobis reservati, omnibus Parochis tam urbanis, quam diœcesanis injungimus, ut singulis annis Dominica quarta Quadragesimæ casuum reservatorum notam in appendice harum constitutionum inferendam vulgari idiomate inter Missarum solemnia populo annuntient, idque itidem faciant Fer. V. in cœna Domini extra civitatem Parochi; cumque omnes ii casus in nostra Metropolitana eodem die legantur, ab hac lege Parochos civitatis excipimus. Et nihilominus meminerint Rectores omnes Ecclesiarum præceptorum alias in sancta Visitatione datorum de exarando, & unicuique sedi confessionali affigendo casuum elencho, qui sedi Apostolicæ, & Nobis quomodolibet reservati sunt; pœnas alioqui post lapsum duorum mensium a publicatione præsentis decreti inertiæ suæ in duos ducatos loci pauperibus erogandos daturi.

SYNOPSIS CASUUM NOBIS RESERVATORUM.

CASUS RESERVATI CUM EXCOMMUNICATIONE.

I. Blasphemia hæreticalis, & blasphemia in Deum, & B. Mariam Virginem.

II. Dare Diabolo sanctitatem.

III. Actus superstitiosi, magia, & maleficium.

IV. Perjurium in judicio etiam ad reorum defensionem; & ad id consilium dantes, aut quomodolibet cooperantes effectu secuto.

V. Homicidium voluntarium patrare sive consulere, vel auxilium vel favorem dare, secuto tamen effectu.

VI. Inducere, vel induci permittere pecora, aliaque animalia in pascua vel segetes, vel arbusta cujuscumque generis Ecclesiarum, vel piorum locorum.

VII.

VII. Colloqui cum Monialibus, aliisque in Monasteriis earum sive in Conservatorio educandarum existentibus de rebus obscenis, quod intelligitur tam de exteris colloquentibus cum Monialibus, quam de Monialibus colloquentibus cum exteris.

VIII. Non adimplere præceptum Paschatis usque ad Dominicam in albis inclusive.

CASUS RESERVATI SINE EXCOMMUNICATIONE.

I. Peccatum sodomiticum inter masculos supra ætatem XIV. annorum.

II. Procurare abortum, etiamsi fœtus non sit animatus, secuto effectu.

III. Incestus usque ad secundum gradum consanguinitatis, vel affinitatis ex copula licita, vel usque ad primum ex copula illicita.

IV. Actus inhonesti, aut inhonesta collocutio sponsi cum sponsa de futuro; quæ reservatio ad permissionem parentum vel consanguineorum, qui sponsæ curam habent, extenditur.

V. Scienter conscribere, aut scribi mandare, consulere, vel deferre epistolam absque nomine, sive cum nomine proprio, sive cum nomine supposito ad superiores tam ecclesiasticos quam laicos falsum contra aliquos continentem.

VI. Colloqui cum Monialibus, aliisque in Monasteriis earum, sive in Conservatorio educandarum existentibus absque nostra speciali licentia, quod intelligitur tam de exteris colloquentibus cum Monialibus, quam econtra.

CAP.

CAP. III.

Pœnitentiæ Sacramentum qualiter digne administretur?

1. QUamvis Sacramentorum minister lethali sit peccato coinquinatus, debitis tamen materia & forma, atque intentione utens valide conficit, neque ejus pravitas Sacramenti effectum ullatenus impedire potest; at quoniam indigne administrat, æternæ mortis reatum incurrit: quapropter confessarius mortali culpa se forsan maculatum noscens, antequam pœnitentes auscultet, sacramentali confessione se purget, aut saltem si copia desit confessarii, sacramentique administrandi urgeat necessitas, conteratur. Potissima vero & perpetua hocce Sacramentum ministrantibus illibate pieque vivendi cura esse debet; ne dum alios ad viam salutis reducere satagunt, sibimetipsis nocui iter perditionis arripiant. Auditurus ergo confessiones orationibus se præparet, Spiritus Sancti auxilium implorando, & recitans si maluerit sequentem orationem: *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis, redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me, docebo iniquos vias tuas, & impii ad te convertentur. Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ, & exaltabit lingua mea justitiam tuam.*

OREMUS.

2. *DOmine Deus omnipotens propitius esto mihi peccatori, ut digne possim tibi gratias agere, qui me indignum propter tuam magnam misericordiam ministrum fecisti officii sacerdotalis, & me exiguum humilemque mediatorem constituisti ad Dominum nostrum Jesum Christum*

filium tuum pro peccatoribus, & ad pœnitentiam revertentibus; ideoque dominator Dominus, qui omnes vis salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, qui non vis mortem peccatorum, sed ut convertantur & vivant, suscipe orationem meam, quam fundo pro famulis, & famulabus tuis, qui ad pœnitentiam venerunt, da illis spiritum compunctionis, ut resipiscant a diaboli laqueis, quibus adstricti tenentur, ut ad te per dignam satisfactionem revertantur. Per eundem &c.

Et antequam audire incipiat, formet intentionem eos absolvendi, super quos absolutionem impendet, & pœnitenti benedicat his aut similibus verbis: *Dominus sit in corde tuo, & in labiis tuis, ut bene confitearis peccata tua. In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.*

C A P. IV.

Dum pœnitentes audiunt Confessarii, a quibus abstinere debeant?

EO temporis, quo pœnitentes ad Confessarii pedes provoluti se de suis peccatis accusant, procul absint colloquia inutilia, nam confessio non est conversatio, ac petitiones ad rem non facientes; sed continuata ab iis peccatorum accusatione judicis majestatem confessarius christiana mitiget mansuetudine; pœnitentes quidem conviciis non exasperando, sed spiritu lenitatis illos instruendo. Odio habeantur peccata non homines, corripiantur tumidi, tolerentur infirmi, & quod severius castigare necesse est, non sævientis plectatur animo, sed medentis (*a*). Nullum pariter ad peccata sua festinanter proferenda,

(a) *Vide Can. Odio habeantur. 2. dist. 86.*

da, citoque confessionem expediendam urgeat, sed cunctis congruum det tempus aperiendi conscientiam suam, quamvis magnus sit concursus confitentium: præstat enim paucos bene confessos audire, quam multos tumultuaria confessione non bene exoneratos dimittere. Neque audeat in Confessione complicum nomina a pœnitentibus exquirere.

C A P. V.

De nonnullis instruendi sive interrogandi pœnitentes.

1. PArochorum partes, & eorum quibus ad populum catechisticum habendi sermonem, aut alias quoquo modo in Ecclesia docendi munus concreditur, erunt instruere, ut antequam suorum peccatorum confessionem quisque incipiat, confessario dicat ultimæ suæ confessionis certum tempus, si bene norit, sin minus, circiter quoad ejus fieri potest; deinde impositæ satisfactionis adimplementum, aut negligentiam, sive causam, qua non fuerit adimpleta, seque ab ultima confessione conscientiam pro viribus examinasse, si fecerit; patefactis his omnibus confessario, tot repetendis eum, præsertim in concursu multorum pœnitentium, interrogationibus relevabunt, cumque silentio eos præterire contigerit, supplebit confessarius de his omnibus interrogando, nisi aliter noscat, seu ex confitentium qualitate prudenter judicaverit ab iis jam rite præmissa.

2. At quod maxime Parochi, aliique in Ecclesia, sive scholis docentes inculcare debent, est dolor prævius in iis, qui pœnitentiæ sacramentum suscipiunt, necessario requisitus. Ad conscientiæ examen sat est diligens peccatorum perquisitio pro pœnitentis capacitate, temporis

mora, ceterisque circumstantiis, & qualem vir prudens in gravibus negotiis adhibet, vel docti & timorati adhibere solent, etiamsi quis putet majori diligentia plura se reperturum. Quo examine sic præhabito, si aliquod peccatum haud in mentem veniat, aut inter confitendum memoria decidat, non vitiatur confessio; illudque omissum, seu oblitum sufficit in sequenti confessione aperire. At si deficiat dolor, sive perfectus, ut est contritio, sive saltem imperfectus, ut est attritio, invalida erit confessio, inanisque absolutio: ea propter pœnitentes hortandi præsertim timoratæ conscientiæ, ne post diligens examen multum anxii, inquietique sint in peccatis inveniendis, cum peracto examine omnia mortalia quæ memoriæ occurrunt confiteri sufficiat, nec venialia quidem confitendi extat obligatio, ea quippe aliis mediis remitti possunt; sed adhortandi pœnitentes, ut maximam Dei auxilio freti impendant operam eliciendo dolori tam huic sacramento necessario, etsi sola venialia confiteantur. Quinimmo confessarios monemus, ut pœnitentes suos ad dolorem & contritionem adhortentur & excitent, prout fieri præcipit Rituale Romanum, confessario injungens, ut audita pœnitentis sacramentali confessione, ejusque peccatis diligenter perpensis, opportunas correptiones ac monitiones, prout opus esse viderit, paterna caritate adhibeat, & ad dolorem & contritionem efficacibus verbis adducere conetur.

CAP. VI.

De integritate Confessionis.

A Parochis aliisque Ecclesiæ ministris edocendi fideles, præsertim rustici & imperiti, ut integram suorum peccatorum confessionem instituant, insanumque removeant pudorem, quo præpediti dæmonis suasu peccata confiteri non audent; cumque inabsoluti ob alicujus reservationem casus dimittuntur, monendi sunt, ut ad privilegiatum confessarium accedentes non illud tantum reservatum, sed & omnia peccata apud illum confiteantur. Neque ullus sibi suadeat fas esse confessario, qui in reservata tributam a superiore facultatem habet ea solum audire, proque aliis non reservatis ad simplicem confessarium pœnitentem remittere, cum nec superior id peragat, sed solum potest ab excommunicatione extra sacramentum absolvere, ac tollere reservationem, & sic pœnitentem remittere ab inferiori absolvendum a reservatis simul, & non reservatis; quod efficere nequit confessarius, quamvis facultate sibi a superiore concessa a reservatis absolvendi potiatur, sed integra apud illum facienda est confessio.

CAP. VII.

De annua Confessione.

1. QUemadmodum utriusque sexus fideles ad Eucharistiæ Sacramentum saltem semel quotannis sumendum in Paschate præcepto obstringuntur (*a*); sic

(a) *Cap. Omnes utriusque sexus.*

sic in eodem capite injungitur, ut fideles omnes rationis & doli jam per ætatem capaces semel saltem in anno peccata sua confiteantur. Hujus autem annuæ Confessionis tempus ex salutari, servatoque in universa Ecclesia more illud est sacrum & maxime acceptabile Quadragesimæ, quem morem maxime probat Conc. Trid. (*a*); & amplectitur tamquam pium, & merito retinendum.

2. Hinc summopere animarum Rectoribus invigilandum, ut pueri discretionis annos ingressi, ac de necessariis instructi quam citius peccata sua confiteantur; cum ceteroqui ferendum non sit, pueros & puellas ingenii capacitate pollentes, qui malitiam haud discere ignorant, & pluribus forsan vitiis dediti sunt, ne in Paschate quidem confiteri: cum ergo Parochi sub Quadragesimæ initium statum animarum de more conficientes pueros, & puellas doli capaces deprehenderint, quamvis Eucharistiæ suscipiendæ nondum idoneos, ad sacramentalem confessionem, ut reliquos fideles, paterna caritate invitent.

3. Ne autem fideles cuncti, ac præsertim pueri annuæ confessionis præceptum adimplendum rejiciant in hebdomadam majorem, aut Paschales dies, quando Sacerdotes pluribus Ecclesiæ functionibus occupantur, & intra stricti temporis ambitum propter confitentium multitudinem omnibus congruenter satisfacere nequeunt; ideo Parochi eos tempestive moneant hortentur ac deprecentur, ut magis opportuno Quadragesimæ tempore animæ sordes sacramentali confessione detergant, utque bene erudiantur, & facilius præstent inter missarum solemnia, & doctrinæ christianæ explicationem edoceat Parochus, rationem & methodum conscientiæ examinis faciendi juxta regu-

(a) *Sess. 14. cap. 5. de Confess. prope fin.*

regulas pro majori facilitate & captu in appendice insertas; edoceat quænam sint hujus Sacramenti partes, & claris verbis, quid sit contritio perfecta, & motivum unde sit concipienda, quale est propter Deum summe dilectum, ut probe sciant, & ad praxim deducant; plures enim comperimus ajentes de peccatis se dolere, sed ex quo motivo doleant, prætermittunt; edoceat, quid sit contritio inperfecta, attritio nuncupata, & quomodo inter se differant, quid sit confessio, & ejus integritas, quid satisfactio, & quam promte atque hilariter acceptanda; demum edoceat, quid sit propositum; atque in ipsamet confessione hujus Sacramenti minister salutaribus, ac solidis rationibus a Catechismo Romano, aliisque probatis auctoribus hauriendis; monitis, adhortamentis, atque obtestationibus pœnitentes ad dolendum ex animo de admissis peccatis, atque ad vitæ emendandæ, & de cetero non peccandi firmam voluntatem eliciendum excitet atque inflammet.

C A P. VIII.

De obligatione denunciandi Sacerdotes, qui in confessionibus sacramentalibus pœnitentes ad turpia quoquo modo solicitaverint. Qui vero innocuos Sacerdotes hujusce solicitationis falso accusant, a nemine extra mortis articulum absolvi possunt, præterquam a Romano Pontifice.

SI eo impietatis ac impudentiæ deveniat Confessarius, etiam Parochus, ut in excipiendis confessionibus seu occasione vel prætextu confessionis, sive ante sive post confessionem quoquo modo pœnitentes ad inhonesta & turpia solicitaverit aut verbis, sive signis, sive nutibus,

tibus, ſive tactu, ſive per ſcripturam, aut tunc, aut poſtea legendam tentaverit, aut cum eis illicitos & inhoneſtos ſermones, vel tractatus temerario auſu habuerit, vel etiam extra occaſionem confeſſionis in ſede confeſſionali ſive in alio loco ad confeſſiones audiendas deſtinando, aut electo cum ſimulatione audiendi ibidem confeſſionem, præter divinam cui ſubjacet ultionem, canonicas pœnas contra ſolicitantes non evadet; perſona vero ſolicitata gravibus verbis moneatur a confeſſario de obligatione eum juridice nobis denunciandi ad formam bullæ Gregorii XV., alias denunciare nolenti abſolutio neganda eſt; & ne quiſpiam ab hujuſmodi denunciatione terreatur, commonendi ſunt pœnitentes ſe non teneri ſi ſolicitationi conſenſerint proprium aperire conſenſum, & ſi detexerint, nulla habebitur ratio, nec ſcripto tradetur. Ad concutiendos vero gravis formidine pœnæ improbos homines, qui nefaria impudentia, horribilique ſcelere innoxiis Sacerdotibus apud eccleſiaſticos judices ſolicitationis maculam falſo inurunt, Benedictus XIV. in ſua conſtitutione initio ſui Pontificatus edita calendis Junii anno 1741. quæ incipit *Sacramentum Pœnitentiæ*, obtinendæ abſolutionis (præterquam in articulo mortis) ab alio ſacerdote quacumque etiam dignitate exornato, niſi a pro tempore exiſtente Romano Pontifice, ſpe carere decrevit quamcumque perſonam, quæ in horrendum hoc facinus inciderit, ſive per ſeipſam innocentes Confeſſarios impie calumniando, ſive conſilio, ſuaſione, promiſſis, blanditiis, minis, aliove quolibet modo, ut ab aliis fieret, procurando.

CAP.

CAP. IX.

Denunciandi juridice apud Nos quoque sunt hæreticaliter blasphemantes, Magi, &c.

HAnc pariter Ordinario denunciandi obligationem Confessarius patefaciat pœnitentibus, qui aliquem sciverint, aut notitiam habuerint, blasphemias hæreticales in Deum, Beatam Virginem, Sanctosque protulisse, aut ad aliquem actum offensionis & contemtus contra imagines, & figuras idem repræsentantes processisse. Obligandi pariter pœnitentes ad Nobis denunciandos, quos noverint fecisse actus, ex quibus argui possit pactum expressum, vel tacitum cum dæmone, exercendo incantationes, magias, sortilegia, offerentes suffitum, incensum ad inveniendum thesauros, & alia, petendo responsa illorum, invocando, & promittendo obedientiam, consecrando pentaculos, libros, enses, specula, & alia, in quibus interveniat nomen, & opera ipsius; aut se ingessisse in experimentis nigromanticis, aut magicis cujuscumque generis, ingrediendo circulos, faciendo experimentum amphoræ, aut cribri ad inveniendos thesauros, res occultas furto ablatas, aut amissas, vel faciendo similes actiones superstitiosas ad alios fines, maxime cum abusu Sacramentorum, Sacramentalium, rerum sacrarum, aut benedictarum; qui tamen sic moniti eos non denunciabunt, nullatenus absolvi possunt: cumque monitis pareant eos denunciando ex Concilii Lateran. constitutione decem annorum indulgentiam consequentur.

CAP. X.

Quibus neganda, seu differenda sit absolutio?

1. Consuetudinarii, meretrices, concubinarii, recidivi, conjuges illegitime separati, usurarii, blasphemare inter ludendum soliti, ac ludere perseverantes, qui odia & inimicitias fovent, nec deponere, nec ignoscere volentes, qui in proxima peccandi occasione versantur, eamque dimittere nolentes, aliique hujus furfuris tamquam indigni, absolutionis beneficio privandi sunt, donec tanto temporis intervallo ab hujusmodi sceleribus se compescuerint, ut prudentis Confessarii judicio effulgeat certa spes, eosdem firmum propositum jam ex animo concepisse vitam posthac in melius emendandi.

2. Qui vero ad rerum, aut famæ restitutionem tenentur, deque sua obligatione commoniti, vel restituere nolunt, vel frivolæ & inanis excusationis velamine obtendunt, se eam adimplere non posse, cum alias eos restituere nolle prudenter Confessarius judicabit, absolutionem minime impertiatur, nec eorum pollicitationibus ipsimet, aut aliis Confessariis pluries factis, & quæ numquam effectum sortitæ sunt, facile credat; sed eo casu, nisi tales circumstantiæ comitentur, certaque indicia faciendæ ab eis restitutionis appareant, absolutionem tamdiu differat, quousque ea adimpleta, si possint, illatis damnis satisfecerint.

CAP. XI.

De ademta facultate Confessariis in opere carnali criminis socium absolvendi; quem tamen extra mortis articulum, & alio tunc deficiente Sacerdote, etiam non approbato, absolventes excommunicatione Sedi apostolicæ reservata plectentur.

1. Confessariis omnibus tum secularibus tum regularibus omnimodam alibi sustulimus facultatem absolvendi pœnitentes utriusque sexus ab iis criminibus, in quibus ipsi Confessarii fuerint complices cum illis in materia necessaria contra sextum Decalogi præceptum: nunc a fauste prospereque regnante Summo Pont. Ben. XIV. Confessariis sublata est ipso jure quæcumque auctoritas & jurisdictio ad absolvendam, etiam in vim cujuscumque jubilæi qualemcumque personam, cum qua impudicitiæ scelus admiserint, ab hujusmodi culpa, & superaddita latæ sententiæ excommunicatio Sedi apostolicæ reservata adversus Confessarios, qui complicem in turpi incontinentiæ peccato extra mortis articulum, & deficiente tunc etiam alio Sacerdote, qui Confessarii munus obire possit, absolvere tentaverint, ut videre est in apostolicis literis datis calendis Junii 1741. (*a*).

2. Ut autem conscientiarum tranquillitati consuleret Summus Pontifex (*b*), declaravit ad rem, de qua agitur, prohiberi atque interdici Confessario audire & absolvere in mortis articulo sui criminis complicem in re venerea, modo alius non desit Sacerdos licet ad confessiones au-

 dien-

(a) *Constit. 2. volum. 1.*
(b) *Aliis similiter literis datis die 8. Februar. 1745. constit. 120. ejusd. volum.*

diendas non approbatus, qui tamen sine scandalo, & aliqua oritura infamia vocari & accedere posset, ut confessionem excipiat, & absolutionem impendat. At si tales inveniantur circumstantiæ, ut sine scandalo, aut aliqua oritura infamia alius Sacerdos vocari, aut accedere nequeat, tunc alium Sacerdotem perinde haberi censerique potest, ac si revera abesset, atque deficeret, ac propterea in eo rerum eventu non prohibetur Sacerdos criminis socius pœnitentem etiam ab eo crimine absolvere: quæ quidem infamiæ scandalique pericula non sunt ultro confingenda, cum revera absint: immo Confessarius quantum in se erit hujusmodi pericula & antevertere, & removere sub gravi tenetur: secus enim pœnas non effugiet in eadem constitutione contentas.

CAP. XII.

De Satisfactione.

Satisfactio pro peccatis, quæ integralis est pars Sacramenti Pœnitentiæ a Confessariis imponenda, non tantum esse debet ad confitentium novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medelam; verum etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem, itaut pro gravissimis culpis levissimæ satisfactiones seu pœnitentiæ non imponantur (*a*); ne alias connivendo, aut plus æquo pœnitentibus indulgendo, alienorum criminum Confessarius particeps fiat: quantum ergo spiritus, & prudentia suggesserit, expensa peccatorum qualitate, pœnitentium viribus, & doloris magnitudine salutares congruasque satisfactiones pœnitentibus injungat, & quatenus fieri potest

(a) *Vide Conc. Trid. sess. 14. cap. 8. de Sacr. Pœnit.*

teſt contrarias peccatis, quibus ſunt implicati, ceu avaris eleemoſynas, libidinoſis jejunia, vel alias carnis mortificationes, ſuperbis humilitatis officia, deſidioſis devotionis ſtudia.

Et quamvis antiquorum Canonum, qui Pœnitentiales vocantur, Eccleſiæ benignitas rigorem temperaverit, nec ad eorum præſcriptum pœnitentiam imponant Confeſſarii; illorum tamen notitiam habere debent, eamque ſæpius pœnitentibus indicare (a), quo illos excitent ad majorem contritionem, & ad eo promtius exequendam pœnitentiam injunctam, cum videant ſecum benignius agi, quam ſcelerum ſuorum magnitudo, & pœnarum gravitas mererentur.

CAP.

(a) *Can. Pœnitential. notitia quantopere ſit Confeſſariis neceſſaria, utilis vero pœnitentibus, innuit Catechiſmus Romanus tit. de Pœnit. his verbis*. Ut pœnitentes ſuorum ſcelerum gravitatem magis agnoſcant, opere pretium erit, eis interdum ſignificare quæ pœnæ quibuſdam delictis ex veterum Canonum præſcripto; qui pœnitentiales vocantur, conſtitutæ ſint.

Non ſolum vulgatos Canones Pœnitentiales, qui habentur in ſumma Aſtentii, & ad calcem Gratiani, ſed quamplures etiam alios in unum collectos edidit, propoſuitque aſſidue legendos Confeſſariis S. Carolus. Ex multis aliis Pœnitentialibus libris innumeri hodie vulgati ſunt a Morino ad calcem tractatus de Pœnit.; a Martene tom. 2. de antiqu. Eccleſiæ ritibus; a Muratorio tom. 5. antiquit. medii ævi, ipſeque liber S. Caroli proſtat editus Romæ ſub finem præteriti ſeculi ad uſum Confeſſariorum. Itaque eos ſaltem aſſidue volvant Confeſſarii, qui in fine decr. Gratiani omnibus ſunt obvii. Lectionis hujus utilitatem eximie more ſuo demonſtrat piiſſimus Cardinalis de Aguirre ad Canones 11. & 12. *Conc. Toletani* 3. *imo ipſe S. Thomas, cujus ætate jam Eccleſia mitius agebat, hæc ſcripſit, Quodlibet* 3. *q.* 13. *art.* 1. melius eſt quod Sacerdos pœnitenti indicet, quanta pœnitentia eſſet ſibi pro peccatis injungenda, & injungat ſibi nihilominus aliquid, quod pœnitens tolerabiliter ferat, ex cujus impletione aſſuefiat, ut majora impleat, quæ etiam Sacerdos ſibi injungere non attentaſſet.

CAP. XIII.

Confessarius nihil petat, aut acceptet in actu confessionis, nec imponat eleemosynas sibi, aut suis profuturas.

1. UT omnis avaritiæ & mercimonii suspicio in hujus sacramenti administratione procul absit, Confessarius a pœnitentibus ne minimum quidem ea occasione postulet, & quodvis munus etiam sponte oblatum minime acceptet, nec quidquam pro satisfactione imponat sibimet, suorumque propinquorum, vel Conventus, aut Ecclesiæ utilitati profuturum (a). Verum cum pœnitentes ad restitutionem parati sint, eamque per ipsum Confessarium fieri velint, facile id onus in se suscipiat: ut tamen suæ fidelitatis clariora indicia præbeat, a recipientibus apocham de recepto exquirat, quam pœnitenti postea suo tempore tradet.

2. Cum bene pensatis justitiæ legibus restitutiones imponendæ sunt, eas fieri quibus de jure competit Confessarius decernat; idque præjudicium evellere satagat ab imperitis suæ obligationi satisfacere arbitrantibus, cum loco pio, pauperibus, aut in missarum eleemosynas erogant, quæ certis dominis restitui debent, ac declaret sic factam restitutionem infectam omnino censeri, nec onus restitutionis extingui; quo vero ad restitutiones incertis dominis faciendas nihil sibi, aut suis consanguineis, neque Ecclesiæ, nec etiam prætextu paupertatis, aut divini servitii applicet Confessarius, sed conferat Nobiscum, & nihil nisi de nostri consilio faciat, præsertim si summa sit notabilis.

CAP.

(a) *Rit. Rom. §. Pœnitentias.*

CAP. XIV.

De absolutione proxime morituris impertienda.

QUamvis confessio ore proprio fieri debeat, non vero per literas, aut nuncium, cum ipsa erubescentia partem habeat remissionis; nihilominus, quemadmodum sacris Canonibus cautum est, conferri debet absolutio in mortis articulo constituto, quamvis ei supervenerit phrenesis, aut quid simile, vel obmutuerit, si eam vel nutibus & signis prius quæsierit, vel confitendi desiderium sive per se, sive per alium ostenderit.

CAP. XV.

De Sigillo Sacramentali.

SAcramentalis sigilli quod juris est naturalis, divini, & positivi (a) tenaces adeo esse debent Confessarii, ut nullum in confessione auditum ullo prætextu etiam urgentissimæ necessitatis, sive directe sive indirecte verbis, signis, scripto, aliave ratione revelare, aut in pœnitentis præjudicium, habita in confessione scientia, non sine enormi sacrilegio, uti possint: qui tamen si (quod absit) in hac parte quidquam deliquisse comperti fuerint, etiamsi Regulares sint, gravissimis pœnis depositionis, carceris, ac detrusionis in Monasterium juxta sacros Canones punientur, quas etiam subibunt nedum peccata mortalia, aut venialia in individuo revelantes, sed & eorum circumstantias, sive adminicula, & omne id, ex cujus manifestatione aut damnum pati, aut pudore suffun-

(a) *S. Th. 3. p. q. 42. a. 1. ad 2.*

fundi queant pœnitentes.

2. Caveant propterea Confessarii, ne in audiendis confessionibus nimium sint gesticulosi, ne horrorem vultu præseferant, ne manus collidant, ne vocem extollant, ne tandem alia signa prodant, quibus terreri possunt pœnitentes, ut minus confidenter peccata sua confiteantur. Verba autem absolutionis semper secreto & submissa voce proferenda sunt, ne præsentes qui verba formæ non audiunt, alta voce pronunciata in eorum suspicionem veniant, qui inabsoluti dimittuntur.

CAP. XVI.

In Confessionalibus nullus præter Confessarios sedeat.

CUm indecens sit atque indecorum in confessionali sede seculares viros, indecentissimum maximeque indecorum mulieres commodi causa assidere, interdicimus omnibus & singulis secularibus, ne ullo pacto in locis, ubi Sacramentales confessiones excipiuntur, quamvis loca vacua sint, nullusque eo tempore confiteri volens, sedere audeant vel præsumant, utque super hoc qualiscumque inobservantiæ tollatur occasio, Rectoribus omnibus, seu Capellanis, vel quomodocumque Ecclesiarum administrationem habentibus sub pœna duorum ducatorum loci pauperibus distribuendorum præcipimus, ut in posterum sedes confessionales sera claudant, clavemque ipsam vel a Sacrista, vel a Confessario asservari curent.

CAP.

CAP. XVII.

Nullus quamvis gravissimorum scelerum reus, qui dispositus sit, aut per signa talis haberi potest, morte impendente, absolutione privandus.

1. CUm nullum sit peccatum quod vera pœnitentia non deleat, dicente Domino (*a*) *: Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua*. Et (*b*) si post susceptionem baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram potest semper pœnitentiam reparari. Nulli dubium quin mortis periculo imminente ad peccata confitenda quisque teneatur; *quia ea quæ sunt de necessitate salutis*, inquit D. Thomas (*c*), *tenetur homo in hac vita implere: ideo si periculum mortis immineat, etiam per se loquendo, obligatur aliquis ad confessionem faciendam tunc*.

2. Duo tamen hic consulto animadvertenda; primum ut nulli quantumcunque iniquissimis sit adstrictus criminibus, si mortis periculum impendeat, absolutio denegetur (*d*); quod idem dicendum est de Sacramentis Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis. Secundum ut omnis cura

(a) *Ezechiel.* 33.

(b) *In capit. Firmiter de Summa Trinit. & Fide cathol.*

(c) *In 4. sent. dist. 17. q. 3. a. 1. q. 4.*

(d) *Generaliter autem omni cuilibet in exitu posito, & poscenti sibi communionis gratiam tribui, Episcopus postquam probaverit, ex obligatione dare debebit; verba sunt Canonis Niceni* 13. *moderantis antiquiorem eo tempore disciplinam, de qua loquitur Innocent. I. in epistola ad Exuperium, quæ est* 7. *editionis Constant. cap.* 2. *eamque moderandam præscribit; quia nempe absolutio negabatur in exitu iis, qui post baptisma omni culparum labe fœdatam ducentes vitam in illo articulo veniam ab Ecclesia petebant. Huic praxi tenacius hæsisse S. Cyprianum patet ex illius epistola* 51., *quæ est ad Antonianum. Vide Morinum de pœnitentia lib.* 5. *capite* 21. *& Albaspinæum, & Catalanum in notis ad citatum Canonem.*

adhibeatur dispositis conferendi, aut qui per signa externa dispositi censeri valeant; non enim hominis est, sed Dei corda hominum nosse, ut ad rem perpendit S. Cyprianus (*a*). *Si autem, quod Dominus avertat a fratribus nostris, aliquis ipsorum fefellerit, ut pacem subdole petat &c. seipsum fallit & decipit, qui aliud corde occultat, & aliud ore pronunciat*. Nos in quantum nobis videre, & judicare conceditur faciem singulorum videmus, cor scrutari, & mentem perspicere non possumus. De his judicat occultorum scrutator, & cognitor cito venturus, & de arcanis cordis, atque abditis judicaturus.

C A P. U L T.

Opportune a Medicis ægroti monendi sunt, ut peccata sua confiteantur.

1. AT vero plane perspectum esse oportet statum a sacris Canonibus, apostolicisque constitutionibus tempus, quo & a quibus monendi sunt ægroti, ut peccata sua confiteantur; cum hæc temporis circumstantia non levis sit momenti, tum pro pœnitentiæ Sacramento, tum pro ceteris Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis rite suscipiendis; nec tamen sine doloris magnitudine recolendum, miseros quandoque ægrotantes de confitendi obligatione sero monitos, suspectam reddere, & minime proficuam suam quam instruunt confessionem; eo quod in eo statu an vicinæ mortis horrore, aut morbi sævientis incursu, rationis sensu gaudeant, incertum; cum ceteroqui nedum pœnitentiæ, & Eucharistiæ sacramenta iis administrari debent, qui sunt sui compotes, & norunt

quod

(a) *In epist. Synod. 2. Synodi Carthag.*

quod agunt; ſed etiam ex Venerabilium Patrum, qui Romanum Catechiſmum juſſu Pauli V. compoſuerunt, teſtimonio, graviſſime peccare dicuntur, qui Extremæ Unctionis Sacramentum ad tempus differunt, quo infirmus omni ſpe ſalutis amiſſa ſenſibus deſtitui occipit. *In quo tamen*, ſunt verba Catechiſmi (*a*), *graviſſime peccant, qui illud tempus ægroti ungendi obſervare ſolent, cum jam omni ſpe ſalutis amiſſa, vita & ſenſibus carere incipiat. Conſtat enim ad uberiorem Sacramenti gratiam percipiendam plurimum valere, ſi ægrotus, cum in eo adhuc integra mens & ratio viget, fidemque, & religioſam animi voluntatem afferre poteſt, ſacro oleo liniatur.*

Sed quoniam Sacramentum Pœnitentiæ illud eſt, quod duobus aliis Sacramentis ab ægroto ſuſcipiendis viam parat, tempus præfixere Pontifices maximi, quo illi ſit conferendum, & quis monere debeat ut conferatur.

3. In Conc. Lateran. ſub Innoc. III. (*b*) ſtatuitur, & diſtricte præcipitur Medicis, ut cum eos ad infirmos vocari contigerit, ipſos ante omnia moneant, & inducant ad medicos advocandos animarum; ut poſtquam fuerit de ſalute animarum proviſum, ad corporale medicinæ remedium ſalubrius procedatur; ibique tranſgreſſoribus interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ indicitur. Quæ quidem conſtitutio innovata fuit a Clemente V. in ſecundo Concilio Ravennatenſi (*c*), ubi monentur Medici, ne redeant ad infirmos, nec eoſdem curent, niſi prius conſtiterit, quod ipſi infirmi prædicti medicum advocaverint animarum, & eis fuerit de animarum ſalute proviſum: & contra Medicos hujus monitionis contemptores eadem pœna

Oo 2 ut

(a) *§. 9. de Extremæ Unct. Sacram.*
(b) *In cap. Cum infirmitas de pœnit. & remiſſion.*
(c) *Rubric. 15. de pœnit. anno 1311.*

ut supra constituitur. Sanctus Pius V. non solum renovat, & inculcat observantiam super hoc dispositionis Conc. Lateran., sed aliam de novo superaddit: ut scilicet Medici ad infirmos vocati ante omnia eos moneant, ut idoneo Confessario peccata sua confiteantur, neque tertio die ulterius eos visitent, nisi longum tempus infirmo Confessarius ob aliquam rationabilem causam, super quo ejus conscientia oneratur, concesserit, & eis per fidem Confessarii in scriptis factam constiterit, quod infirmus, ut præmittitur, peccata confessus fuerit.

4. Cujus injuncti oneris & Medicis, & aliis quibus medendi licentia facta est, memoriam excitantes, monemus & adhortamur, ut suo muneri adamussim satisfaciant, ægrotis tempestive nunciantes, ut peccata sua confiteantur, quod tum animarum tum corporum saluti profecto magis apte conducit, nulla prorsus super hoc qualibet forsan in contrarium consuetudine suffragante, quæ nullatenus locum habere potest, cum jam ad præsens vigeat obligatio, atque in suo robore permaneat eam jurandi laudabilis consuetudo.

5. Quod si apostolicis hisce constitutionibus obsequentes Medici infirmum de confessione opportune monuerint, qui tamen intra præfixum trium dierum spatium non sit confessus, adhuc ejus curam haud deserere, si gravis sit morbus, & moriendi periculum subeat ægrotus relictus a Medico, ex benignitate indulgemus; sed non desistat sive per se, sive per Confessarium, aliosque viros probos infirmum de hac obligatione monere.

6. Ad obviam eundum autem timori, ne infirmi de facienda confessione moniti animum despondeant, & facilius mortis periculum incurrant, hoc ad usum revocent Medici, non solum in morbis periculosis & lethalibus, sed etiam in aliis quos minime lethales evasuros esse

esse judicaverint, ægrotos ad confessionem adhortari his aut similibus verbis: *Pro debito præcepti mihi injuncti hortor ad confessionem, quæ prodesse potest, non obesse*: sic desperationis timor, & mortis periculum facilius incurrendæ ab ægris removetur, ut experientia ipsa compertum est, & patet in ægrotis, qui in Xenodochia excipiuntur, ubi sive periculoso morbo laborent sive non, ipsorum cuilibet sacramentalis confessio statim indicitur; & nihilominus tali nuncio nullum videmus in desperationem incidere, scientibus omnibus tam in gravibus quam in levibus morbis, sive subsit, sive absit vitæ periculum æque dari confessionis nuncium infirmantibus.

TI-

TITULUS VII.

De Extrema Unctione.

CAP. I.

Non expectandum tempus, quo infirmi sensibus destituuntur, ut Sacra Unctio ministretur, qui tamen a Parochis sæpius invisendi, hortandique ad Confessionem, & cetera Sacramenta cum opus fuerit suscipienda.

1. Extremæ Unctionis Sacramentum a Christo Domino institutum, tamquam firmissimum præsidium in extremo discrimine atque in exitu vitæ adversus communis hostis vehementiores insidias in catholica Ecclesia perpetuis temporibus a Presbyteris ministratum, non in illud certe tempus rejici debet, cum jam omni salutis spe amissa, ægroti vita & sensibus carere incipiunt; constat enim ex Catechismo, (a) & Rituali Romano ad uberiorem Sacramenti gratiam percipiendam plurimum valere, si ægrotis cum in eo adhuc integra mens & ratio viget, fidemque, & religiosi animi voluntatem afferre potest, sacro liniatur oleo.

2. Pari cura & sollicitudine advertere debent Parochi infirmorum statum, nec quovis emendicato prætextu, aut levissima causa quotidianam periculose decumbentium visitationem effugere, in locis præsertim ruralibus, in quibus nec viarum asperitate, nec temporis incommodo excusari valent, quominus assumtum onus crebro vita pe-

(a) §. 9. *de Extrem. Unct. Sacram. superius relato.*

periclitantes invisendi, ac plurimum juvandi diligentissime expleant, quapropter Ritualis Romani præceptis morem gerentes non expectabunt, ut ad infirmos vocentur, sed ultro ad illos accedant non semel tantum, sed sæpius etiam quatenus opus fuerit, ceterum parati semper & impigri quacumque hora sive diei sive noctis vocati fuerint, eosque monebunt de confessione præmature facienda; ne postea ingravescente morbo cum gravi animarum detrimento inhabiles ad illam reddantur. Quod si de illa jam peracta relationem habuerint, vel per schedulam relictam, vel a Confessario oretenus certiores facti, infirmi statum perpendentes, & super eo vigilantes ad ulteriora Sacramenta disponant.

C A P. II.

De extremæ Unctionis ministro, & quis instante necessitate administrare possit.

ETsi quilibet sacerdos valide hoc Sacramentum conferat, ordinarius tamen ejusdem minister est solus Parochus, nec alteri licet citra necessitatis casum sine Parochi licentia administrare (*a*). Qui vero extra prædictum casum necessitatis sine ulla a Parocho petita venia sacro oleo ægrotantem inungere præsumit, si Regularis sit præter gravis culpæ reatum excommunicationem incurrit Sedi apostolicæ reservatam (*b*): quæ tamen prohibitio non tam rigorose videtur intelligenda, ut in eandem incidat censuram Religiosus, qui, cum Parochus abest, ægroto in vitæ discrimine constituto extremam Un-

(a) *Catech. Rom. part. 2. de Sacr. Extr. Unct. §. 21.*
(b) *Clementina prima de Privilegiis.*

Unctionem administrat, si enim cuilibet Sacerdoti fit ab Ecclesia facultas a quibusvis censuris, & peccatis in mortis articulo absolvendi, cur in eodem statu denegatam cuipiam Sacerdoti ab eadem censere debemus facultatem, cum Parochus abest, proxime morituro præbendi extremam unctionem, quæ est perfectio, & complementum pœnitentiæ, neque ad sui valorem jurisdictionis potestatem in ministro requirit, sicut pœnitentiæ Sacramentum? Quamobrem in Parochi, suique coadjutoris defectum integrum esse volumus cuicumque Sacerdoti sacro oleo inungere infirmum in mortis articulo constitutum: id quod etiamnum sanxit D. Carolus hisce verbis: *Ne alius Sacerdos nisi Parochus hoc Sacramentum ministret; si porro is impeditus, aut alias in mora est, mortisque periculum instat, tunc Sacerdos alius ministret, licet* (a).

C A P. III.

Quid servandum in delatione sacri olei; quidve quando simul cum Eucharistia defertur.

CUm hoc Sacramentum ministrandum erit, Parochus ad Ritualis præscriptum superpelliceo, ac stola violacei coloris indutus, uno saltem comitante Clerico, vasculum sacri olei serica bursa violacei itidem coloris inclusum, & sericis itidem cordulis collo appensum, si longius iter sit peragendum, summa reverentia ac devotione gerat, & non absque lumine & cruce deferatur, per viam recitans vel solus, vel alternatim psalmos, quo magis reverentia illi debita exprimatur, & erga infirmos auxilium imploretur. Quod si necessitate urgente simul cum sanctissima Eucharistia oleum ferri debeat, id

(a) *Concil. Mediolan. V. part. 1. acta Eccl. Mediolan. part. prim. pag. 223.*

id a Diacono vel alio Sacerdote si haberi possit superpelliceo amicto post sanctissimam Eucharistiam occulte deferatur; sin minus ab ipso Sacerdote Eucharistiam gestante.

C A P. IV.

Sacram unctionem ministraturus Ritualis præscriptum sequatur, & quadraginta dies indulgentiæ annunciet, ter id temporis orationem dominicam, & salutationem angelicam recitantibus.

INfirmi domum ingrediens Parochus, dato pacis auspicio, Ritualis ordinem observet, caveatque in administratione dum paria linit membra, ne unum inungendo formam expleat, sed ita distribuat verba, ut utrumque liniendo in secundi membri unctione formam absolvat. Aquam pariter benedictam, & crucem si alias æger illis caruerit, ibi relinquat, ut in tentationibus inimici calcaneo insidiantis præsto esse possint, moneatque astantes, & infirmum, ut orationem dominicam, & salutationem angelicam ter recitent, iisque quadraginta dies indulgentiæ a Nobis concessas annunciet.

C A P. V.

Quibus sacra unctio ministranda sit? & quinam ab hoc sacramento arcendi?

1. COnferri debet hoc Sacramentum infirmis, qui tam graviter decumbunt, ut mortis articulus imminere videatur, iis etiam qui præ senio deficientes, etiam sine alia infirmitate in dies videntur morituri: ipsa enim gravis & annosa senectus morbus est vitalium

organa sensuum valde debilitans. Illis autem, qui in extremo periculo nec confiteri, nec Eucharistiam sumere valent, erit quoque administrandum, cum ex aliqua contritionis significatione eos appareat illud voluisse suscipere; vel si anteactæ vitæ pietas vel fides sensu omni destitutis etiam ministrare suadeat. An autem hoc sacramentum infirmo pluries ministrari possit, sciendum est receptum ab universa Ecclesia usum obtinuisse, ut semel tantum in eadem infirmitate extrema unctio præbeatur: una siquidem sat est ad vires & auxilia, quibus indiget ægrotus, præstanda, ut infracto animo obluctetur cum dæmone; & ægritudinis molestias atque incommoda æquo animo perferat. Eadem vero infirmitate durante, si æger postquam extremam unctionem susceperit, melius in hunc modum se habeat, ut mortis periculum evasisse videatur, sed antequam integre convalescat iterum in vitæ discrimen incidit, citra scrupulum denuo poterit hoc sacramento muniri (*a*); idcirco Parochos monemus, ne nimium super hoc scrupulosi sint, sed cum aliquatenus prudenter judicabunt morbi statum esse mutatum, & diversum vitæ periculum in quo versatur ægrotus, absque ulla hæsitatione unctionem rursus adhibeant, cum hæc sacramenti iteratio haud sit Ecclesiæ disciplinæ difformis, & novum per eam spirituale subsidium, & levamen ægrotus acquirit.

Pueros culpæ & doli capaces, si in mortis periculum incidunt, quamvis forte non apti ad Eucharistiam rite suscipiendam, ut eis extrema unctio præbeatur, idoneos reputamus; sufficit enim rationis usum eos attigisse, ac proinde sacramenti pœnitentiæ esse capaces, ut extre-

mæ

(a) *Vide D. Thomam in 4. dist. 23. a. 4. q. 2. §. ad 2. quæst. Ritual. Rom. de Extrem. Unct.*

mæ unctioni percipiendæ habiles censeantur, quod innuit Rituale Romanum inquiens, hoc sacramentum infirmis ministrandum esse, qui cum ad usum rationis pervenerint tam graviter laborant, ut mortis periculum imminere videatur.

2. Ex eodem Rituali pueri rationis usum non habentes hoc unctionis sacramentum suscipere prohibentur, & eadem ratione illud pariter denegandum perpetuo amentibus, & furiosis, quibus ab ortu nativitatis suæ nullum fuit lucidum intervallum (a).

Aliud vero est de adultis, qui aliquando usum rationis habuerunt, & postea in phrenesim, aut amentiam inciderunt; his quippe unctio tribuenda est, modo id fieri sine irreverentia possit. Tandem de omni fideli, de quo contrarium non constat, præsumendum est velle in mortis articulo hoc sacramento muniri, & fuisse hoc sacramentum petiturum, si potuisset; passim siquidem videmus extrema unctione muniri, qui subita vi morbi oppressi sensibus destituuntur, nec ullum sacramenti desiderium significare valent; eorum quippe perspecta pietas, ac fides non obscurum præbet argumentum desiderii, quod si possent demonstrarent. *Infirmis, ait* S.Th.(b), *qui sana mente dum erant, illud petierunt, aut verosimile est, quod petiissent, etiam si postea in amentiam inciderint, vel ratione, sermoneve uti desierint, ministrabitur item.*

(a) *S.Carolus in actis Eccles. Mediol, part. 2. pag.* 270.
(b) *S. Th. in* 4. *dist.* 23. *quæst.* 2. *art.* 2. *quæstiunc.* 3. *Div. Carolus Borrom. in suis instruct. apud Natal. Alex. Theol. dogm. & mor. tom.* 5 *lib.* 2. *reg.* 12.

TITULUS VIII.

De Sacramento Ordinis.

MEmoratu digna sunt, quæ scripsere Patres Concilii Lateranensis sub Innocentio III., ubi habetur: *paucos Clericos idoneos & probatos habere, quam multos inutiles, atque adeo ipso vitæ genere perniciosos; &* (a) *melius est Domini Sacerdotium paucos habere ministros, qui possint digne opus Dei exercere, quam multos inutiles, qui onus grave Ordinatori adducant*. Quæ omnia Nobiscum animo reputantes, non est cur doleamus si pauci sint, qui ad ordines assumuntur: id tamen nos maxima afficeret consolatione, si vel pauci sacris ordinibus insigniti vitæ splendore, morum probitate, rei sacræ studiis, ac intelligentia, ceterisque necessariis præstare dignoscerentur.

C A P. I.

In Ordinandis scientia cum vitæ integritate jungenda; & Ecclesiæ cui adscripti sunt servitium ab iis præstandum, aliisque piis exercitiis incumbendum.

NEmo ad ordines promoveri speret, nisi scientia (b) simul & vitæ integritas ex æquo respondeant. Sola enim

(a) *Canon. Talef. dist.* 23.

(b) *Adeo litterati quondam erant Clerici, suaque studiis vacare intererat, ut id nominis, uti a nobis alibi notatum, synonimum fuerit cum litterato, postquam dejecta litterarum cultura in solis Clericis mansit. Unde Canone: Si in laicis: 3. dist.* 38. Si in laicis vix tolerabilis videtur inscitia, quanto magis in iis, qui præsunt, nec excusatione digna est, nec venia*: & Can. Ignorantia L dist. eadem:* Ignorantia mater cunctorum

enim ſcientia inflat , totumque eccleſiaſticæ vitæ ædificium, quod ſuper humilitatis erigitur fundamentum, deſtruit , & convellit . Nos tametſi Clericos debita deſtitutos ſcientia ad ordinum gradus non attollemus , nihilo tamen minus & alios quotcumque, quamvis ſacrarum literarum peritia fulgeant , niſi vitæ candore irreprehenſibiles erunt , promovere non poſſumus.

2. Quicumque prima clericali tonſura initiati, aut minoribus ordinibus inſigniti ad ulteriorem ordinis gradum promoveri optant , Eccleſiis quibus adſcripti ſunt diligenter inſervire tenentur juxta antiquiſſima Concilii Chalcedonenſis ſtatuta a Conc. Trid. innovata , & niſi de hujuſmodi Eccleſiæ ſervitio plene ac legitime conſtiterit, ac etiam ad præſcriptum eorum quæ noviſſimis conſtitutionibus ſancita ſunt, ab ordinum ſuſceptione repellentur . Porro orationis ſtudio , Sacramentorum frequentia, omnique ſecularis cultus abdicatione , aſſidua pariter doctrinæ chriſtianæ in parochiali Eccleſia aſſiſtentia, a ſecularibus ſocietatibus, negotiiſque receſſu, prout in titulo de honeſtate Clericorum ſancitum eſt , ita ſe paſſim commendabiles reddant, ut nullum in eorum promotione obviam ire poſſit impedimentum.

C A P. II.

Quid ſuper patrimonii Clericorum conſtitutione ſervari debeat.

1. OB eccleſiaſticorum beneficiorum inopiam in hac noſtra diœceſi ſæpe cogit Eccleſiæ neceſſitas vel com-

rum errorum maxime in Sacerdotibus Dei vitanda eſt , qui docendi officium in populis ſuſceperunt . *Timeant Clerici ignari ſententiam Domini* , *Oſeæ* . 4. Quia tu ſcientiam repuliſti , repellam te , ne Sacerdotio fungaris mihi .

commoditas, aliquos ad patrimonii titulum ordinare, ut autem fraudibus, quæ in eo constituendo evenire possunt occurratur, ultra ea quæ pro edictis expediendis, & Parochorum attestationibus alias statuta sunt, decernimus item enunciata non solum in ordinandorum Paræciis, sed locorum etiam ubi bona sita reperiuntur affigi, & inter Missarum solemnia a Parochis publicari debere, atque utriusque Parochi attestationes tribunali nostro exhibendas esse.

2. Eos quoque, qui patrimonia constituunt, de gravitate juramenti, de enormitate perjurii, & casus reservatione moneri, & jurare volumus in nostra curia per seipsos, aut per legitimum procuratorem speciale mandatum habentem super patrimonii veritate, aut supplementi ad beneficium (quod quidem permittitur, quoties beneficii tenuitas requisiverit), asserendo nimirum bona a se Clerico in patrimonium, aut in supplementum assignata vel donata sua fuisse; seque hactenus illorum pacifice extitisse possessores, nec ea aliquo vitio laborare, aut ullis oneribus obnoxia, vel his & his dumtaxat esse gravata; item nec ullum pactum aut intelligentiam de bonis, vel fructibus, aut illorum portione, dum vixerit ordinandus, retrocedendis intercessisse, præter casum, quo noviter provisus foret, si tamen ea fuerit apposita conditio. Idem autem & fieri mandamus ab ordinando, qui tamen prius monitus ut supra de gravitate perjurii jurare debet, se credere bona in patrimonium assignata talia esse, qualia in assignatione descripta sunt, tum quoad capitale, tum quoad fructus, nec unquam cum assignante convenisse, nec quomodolibet intelligentiam habuisse, eadem bona, seu fructus in totum aut in partem retrocedendi. Præcipimus item nostræ Curiæ Cancellario, duos saltem testes, qui super bonorum valore examinari solent, divisim interrogandos

esse,

esse, ut sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, in causa scientiæ deponant non solum de eorundem quantitate, qualitate ac reditibus, sed etiam super aliorum bonorum constituentis residuo, præsertim vero si parentes nimia prole gravati fuerint, ne filiorum legitimæ præjudicium fieret: quæ omnia nobis in his casibus deferantur, ut quid facto opus sit, maturo consilio decernamus. Quod pariter ab ordinando servari mandamus, cum sibimet ipse patrimonium constituit, ut prius a Cancellario nostræ Curiæ monitus de horrendo perjurii crimine, jurejurando testetur propria bona, quæ sibi in illud assignaverit, nulli esse obligata, nec cuipiam oneri obnoxia, aut forsan iis oneribus in assignatione descriptis.

3. Qui vero super constitutione patrimonii fraudum conscius sic fuerit ordinatus suspensionis pœnam a sacris canonibus inflictam (*a*), & a Concilio Tridentino innovatam incurrit, quæ etiam ad eos extenditur (*b*), qui ad titulum beneficii ordinati spondent fructus non exacturos pacto sive tacito sive expresso inito cum eo, qui ad beneficium nominat, sive illud resignat.

C A P. III.

Nonnulla circa patrimonii alienationem expenduntur.

AD patrimonii titulum ordinatus, absque Ordinarii licentia illud alienare prohibetur, quamvis honestæ suæ

(a) *Canon. Neminem I. Canon. Sanctor. II. dist. 70. Trid. sess. 21. cap. 2. de reform. Sixtus V. constitutione sua 91. Bullarii Cherubini tom. 2. Clemens VII. constit. sua 40. ejusdem Bullarii tom. 3 Sacr. Con. Congr. 27. Novembr.* 1710.

(b) *Innocent. III. cap. per tuas: 37. de Simonia: Gregorius IX. capit. Si quis 45. eodem.*

ſuæ ſubſtentationi ſufficiens beneficium etiam curatum, aut alia bona adeptus ſit. Qui tamen patrimonium de facto alienat, nullam faciens mentionem ſe ad ejus titulum fuiſſe ordinatum, tametſi in cenſuram non incidat (a), alienatio eſt ipſo jure nulla; quinimmo nec patrimonium, ad cujus titulum quis ordinatus eſt, ſine noſtra permiſſione, & decreto permutare poteſt cum aliis bonis licet non minoris reditus aut valoris; ſed ad nos ſpectat declarare bona ex permutatione acquiſita ſubrogata eſſe in locum prioris patrimonii, itaut deinceps alienari nequeant, niſi ſervata forma a Conc. Tridentino præſcripta.

C A P. IV.

De ordinationibus Regularium.

1. EX decreto Clementis VIII. clare patet Regulares ad ordines promovendos cum literis dimiſſoriis ſuorum Superiorum ab Epiſcopo loci, cujus diœceſim in ſuis monaſteriis incolunt, eſſe ordinandos, & quoad doctrinam ab eodem examinandos: ſi vero Epiſcopus diœceſanus abfuerit, vel ordinationem non ſit habiturus ab alio Epiſcopo cum dimiſſoriis ſuorum Superiorum cauſam abſentiæ diœceſani Epiſcopi, vel non habendarum ordinationum exprimentibus ordinari poſſunt, facto prius ab eodem per examen experimento circa doctrinam, & dum ipſi Regulares non diſtulerint de induſtria conceſſionem dimiſſoriarum in id tempus, quo Epiſcopus diœceſanus vel abfuturus, vel nullas habiturus eſſet ordinationes.

2. Hic

(a) *Ex decret. Sacra Congreg. 6. Martii 1638. lib. 15. decretor. pag. 667. & 14. Februar. 1652.*

2. Hic tamen, ut bene omnia peragantur, & fraudis suspicio removeatur, præter faciendam in dimissoriis a superioribus Regularibus expressionem absentiæ diœcesani Episcopi, vel ordinationis ab eo non habendæ, requiritur etiam super hoc authenticum documentum sive per attestationem Vicarii generalis, vel Curiæ Cancellarii, vel a Secretis Episcopi, quod aut Episcopus absit, aut ordinationem non faciat, illudque alteri Episcopo, ad quem dimissoriæ diriguntur, exhiberi debet.

3. Cum autem in præfato ejusdem Clementis VIII. decreto caveatur, ne Prælati Regulares in fraudem, hoc est de industria literas dimissoriales suis subditis dare differant ad tempus, quo prævident diœcesanum Episcopum absuturum, aut ordinationem non habiturum; hinc ansam arripimus quidquam dicendi de Regularibus, qui coram Episcopo loci ubi degunt examen subire formidantes instante ordinationis tempore e Monasterio proficiscuntur, & ad aliud migrant alterius diœcesis, a cujus Episcopo ordines suscipiunt, & paulo post ad pristinum locum revertuntur. Talibus rerum circumstantiis eorum ordinationes fraudolentas, & illicitas declarare minime audemus; siquidem discessus ante ordinationis tempus, & reditus post susceptos ab altero Episcopo ordines in idem cœnobium, unde diverterant, oriri potest ex rationabili causa (licet nobis abdita) tum quoad subditos, qui ordinibus initiati facile se excusare queunt prætextu obedientiæ, quam suis superioribus debent, a quibus alio commigrare, & paulo post ad priorem Conventum jussi sunt redire, quin hujus jussionis causam pernoscant, tum quoad superiores, qui statim se purgant Monasterii necessitatem adducendo, quod modicum tantum, & non diutinum exigebat incolatum illius Religiosi, quem illuc miserant. Hæc in favorem Regularium di-

cta sint, sed an præsentis rei compactæ excusationes revera subsistant, necne, Ecclesiæ forum eas illico falsas probare nequit, sed librat Deus, qui cordium latebras perscrutatur. Verum ii discessus tempore ordinationis facti, celeresque post susceptos ordines reditus ad priora monasteria fraudis suspicione non carent: cumque ex peculiaribus facti circumstantiis agnoscatur vere in fraudem quempiam Regularem e nostra diœcesi abscessisse, ut alibi ordines reciperet, ejus declaratio illicita declarabitur (*a*). Nos tamen, ut muneris nostri partes adimpleamus, Regularibus laudatæ Clementis VIII. sanctionis observationem indicere, & inculcare non omittimus, pœnasque in transgressores inibi latas ob oculos ponimus in hæc, quæ sequuntur verba (*b*), *quod qui non fecerint officii, & dignitatis, seu administrationis, ac vocis activæ, & passivæ privationem, ac alias arbitrio ejusdem Sanctissimi Domini nostri Papæ reservatas pœnas incurrant.*

CAP. V.

De spiritualibus exercitiis peragendis ab his qui ordinandi sunt?

CUm ordinum susceptioni spiritualia exercitia, quibus animus recolligitur, & quæ Dei sunt pie recogitat, ex pontificiis constitutionibus, & encyclicis S. Congregationis Episcoporum literis, præmittenda sint, iis obsequentes districte volumus & mandamus, ut priusquam Clerici ad quoscumque ordines etiam minores promoveantur in sanctam se recipientes solitudinem decem conti-

nuos

(a) *Benedict. XIV. tertio Kal. Martii* 1747.
(b) *Decr. Clementis VIII.*

nuos dies divinis rebus meditandis in loco sacro a nobis assignando vacent, & directoris testimonium de iisdem integre peractis exercitiis una cum ceteris requisitis ad nostram Curiam deferant: qui tamen si aliqua in parte defecisse, aut non ea modeste & devote absolvisse comperti fuerint, ab ordinum susceptione arcebuntur.

C A P. VI.

De Ordinandorum qualitatibus Parochi, & Ludimagistri veritatis testimonium ferant; & quomodo.

QUoniam provideri debet, quales ordinentur, ut prius aspiciantur, si studium orationis habuerint (a): ad hoc ut Parochi ac Ludimagistri de Ordinandorum moribus suum sensum, quem publico testimonio aperire fortasse verebuntur, sincere nobis exponant, illorum conscientias onerantes præcipimus, ut secreto eum libere manifestent, ne exteriori virtutum apparatu, quem per speciem dumtaxat præferunt ordinandi, in eorum promotione fallamur. Parochi vero, & Vicarii Foranei, & ruralium locorum nostræ diœcesis majori cura invigilent super qualitatibus ordinandorum, qui forte sui Præsulis absentia non ea, quæ Ecclesiasticos decet, irreprehensibili vita, moribus, & exemplo se gerunt, & vel secreto, vel obsignatis literis per fidos nuncios missis nos quantocyus certiores faciant; quod pariter eorum conscientiæ remittitur.

(a) *D. Greg. ep. 26.*

CAP. VII.

De ordinandorum examine.

MUltum nobis ordinandorum haud parva ſcientia, & ſacrorum peritia arrideret, cunctoſque de Clero tum civitatis tum diœceſis doctrina præſtare plurimum gauderemus: ſed cum pares non ſint adoleſcentium indoles & ingenia, non eædem in ruralibus locis inſtitutiones & ſtudia, quibus ex magiſtrorum copia, & politiori cultura civitates abundant, non eximiam ab ordinandis exquirimus, ſed competenti quæ ſufficiat literatura contenti ſumus; in id tamen maximopere incumbendum, ut tam majoribus quam minoribus ordinibus initiandi ſaltem latinam linguam intelligant, eaque omnia, quæ peculiaris cujuſcumque ordinis propria ſunt non ignorent. Verum quia ab explicatione ſacroſancti Concilii Tridentini, ſive Catechiſmi, ſive lectionum Breviarii orditur examen, ſi quem in eodem deprehendimus in vaticinantis modum explicare, nec ſufficienter latini ſermonis ſenſum capere, ſine ulterioris examinis experimento, ne tempus fruſtra teratur, illico rejiciemus. Qui vero aliarum ſcientiarum, ſeu facultatum ſtudiis dediti ſunt, ſuper his an profecerint, examinabuntur; nec ſibi quiſquam ſuadeat in earum ſcholis quidquam poſſe proficere, niſi prius grammaticam bene didicerit, ſine cujus fundamento ad ordines promoveri cupientes, etiamſi Theologicæ ſcholæ, aut alterius ſcientiæ auditores ſint, examini certe ſuccumbent: idcirco Novitiis, & Clericis inhibuimus, ne ullus ad Philoſophiæ ſtudia tranſiret, niſi prius coram nobis examinatus grammaticæ regulas callere dignoſceretur; quod adhuc confirmamus, & niſi ſpe carere velint ſuſcipiendi ordines in futurum, ad priſtina grammaticæ ſtudia eos redire neceſſe eſt.

CAP.

CAP. VIII.

Index requisitorum de promovendis ad ordines.

PRO PRIMA CLERICALI TONSURA.

Fides matrimonii contracti a genitoribus ordinandi.
Baptismi.
Confirmationis.
Decretum sive licentia gestationis habitus clericalis.
Fides proprii Parochi de triennali Ecclesiæ servitio, ac bonorum morum, & honestatis.
De frequentia ad doctrinam christianam.
De frequentia Sacramentorum.
Fides scholæ, sive studii.
Fides, seu perquisitio secularis curiæ de non esse inquisitum.
De denunciationibus in propria Ecclesia Parochiali habitis.
Instrumentum in authentica forma bonorum patrimonialium, vel instrumentum nominationis, vel præsentationis ad aliquod Ecclesiasticum beneficium absque vero contradictore, aut vero Bulla pensionis Ecclesiasticæ; sive autem instrumentum perpetuæ Capellaniæ.

PRO MINORIBUS ORDINIBUS.

Primæ clericalis tonsuræ Bulla, sive ultimi suscepti minoris ordinis.
Curiæ ecclesiasticæ perquisitio de non esse inquisitum, neque processatum.
Sacramentorum frequentiæ fides, ac delationis habitus clericalis.

De vita, & moribus, atque honestate.

De denunciationibus in propria Ecclesia parochiali habitis.

De servitio Ecclesiæ, cui fuit adscriptus.

De Sacramentorum frequentia.

De ordinis suscepti exercitio.

PRO SUBDIACONATU.

De ultimo suscepto ordine.

De denunciationibus prout supra habitis.

De pacifica possessione bonorum patrimonialium, sive alterius tituli ut supra, ac fructuum perceptione.

De exercitio suscepti ordinis, & Ecclesiæ servitio, cui fuit adscriptus.

Fides Baptismi pro legitima ætate.

De habitus clericalis delatione.

De exercitiis spiritualibus.

De perquisitione curiæ ecclesiasticæ non esse inquisitum, neque processatum.

De frequentia tam Sacramentorum quam doctrinæ christianæ.

De vita, & honestate, ac bonis moribus.

PRO DIACONATU, AC PRESBYTERATU.

Fides Baptismi pro legitima ætate.

Bulla suscepti ordinis, ac de illius exercitio.

De exercitiis spiritualibus, ac demum de reliquis fidibus præscriptis pro promovendis ad ordinem Subdiaconatus.

TIT.

TITULUS IX.

De Sacramento Matrimonii.

TAmetsi Matrimonium summa Domini Nostri Salvatoris benignitate in lege nova ad conferendam gratiam elevatum unum sit ex septem sanctæ Ecclesiæ Sacramentis, & ab Apostolo magnum in Christo, & Ecclesia appelletur Sacramentum, ea nihilominus præsentium temporum infelix est, & deploranda conditio, ut vel absque debita tanti Sacramenti notione, vel præparatione, vel (ne dolentes dicamus) per impudicos amores, & per gravia peccata ad illud nonnulli homines pervenire sæpe nituntur, de quibus dici potest, quod ad Matrimonia accedunt tamquam equus, & mulus, quibus non est intellectus; propterea si qua in parte vires suas Parochi intendere debent, hæc illa est & potissima, ut hisce malis, quæ animas & non sine populi scandalo in perniciem trahunt, modo instructionibus, modo adhortamentis, modo terroribus occurrant, eaque plane convellere satagant.

CAP. I.

Hortandi fideles, ut antequam Matrimonium contrahant, peccata sua confiteantur, & Eucharistiam suscipiant, & quomodo in eo conversari debeant.

IN iis qui Matrimonium contracturi sunt, status gratiæ prærequiritur, ut licite & cum fructu suscipiatur, quemadmodum in ceteris Sacramentis vivorum eadem animi dispositio necessaria est. Idcirco animarum Rectoribus

ribus curæ esse debet populum adhortari, ut Matrimonium contracturi prius animæ maculas per Sacramentum pœnitentiæ tergant, Deoque reconciliati sanctissima Eucharistia se reficiant, sic dispositi pie devote, & qua par est reverentia ad Matrimonii Sacramentum suscipiendum, quod est pro conjugibus institutum ad sanctificationis augumentum accedere moneantur. Nec a Parochis ea instructio prætermittenda, quæ Matrimonium ineuntes pie convivere doceat, exemplo Tobiæ & Saræ, quibus Raphael Angelus quomodo eos in Matrimonio se gerere oporteret, indicavit his verbis: *Accipies virginem cum timore Domini, amore filiorum magis quam libidine ductus, ut in semine Abrahæ benedictionem in filiis consequaris.*

CAP. II.

Sponsorum abusus inter se conversantium a Parocho arguendus, eorum concubitus casus sit reservatus.

1. MAxima animarum pernicies assiduam sponsos de futuro consuetudinem habere, intolerabilis abusus post inita sponsalia diu multumque conjugia differri, & lugenda perversitas tot antea spissæ, sed minus honestæ conversationis, scandalis, & peccatis, præambulo quasi apparatu ad Matrimonia transire: idcirco paupertates miseriæ, ægritudines, contentiones, dissidia, inimicitiæ, aliaque infortunia in domos, & familias lento pede perveniunt: non enim Deus nuptiis benedicit, quas non Dei timor, sed plura scandala & peccata præcedunt, & comitantur. Parochi ergo, ni secus valeant his malis occurrere, populum absterreant, & bene capere faciant, nec sponsum adpromissæ corporis sponsæ dominum esse, nec e converso, neque actum ullum pudicitiæ adversantem inter

inter eos ſine gravi culpa fieri poſſe: edicant in proxima eos peccandi occaſione verſantes graviter peccare, eamque non deſerentes nullo pacto eſſe abſolvendos. Patres quoque moneant & matres, ne filiabus ſuis ſolitaria cum ſponſis colloquia permittant, neque illa inter ſe agant familiaritate, perinde ac conjuges ante tempus facti eſſent; quinimmo aperte dicant Parochi non excuſari parentes, qui mala hæc præcavere negligunt, nec mox nupturas filias ſuas Dei præceptis, & ſanis conſiliis imbibere curant, quaſi hoc unius Confeſſarii, & Concionatoris munus ſit; nam intimat D. Auguſtinus (a) *Paterfamilias faciat in domo, quod Prædicator in Eccleſia.* Inſanum eum loquendi modum, quem tenent ſponſi de futuro ſe vocantes conjuges, & mutuo dicentes: *hæc eſt mea uxor, hic eſt meus vir*, eliminare pro virili ſatagant, ut tandem aliquando percipiatur, neque ſponſam de futuro eſſe conjugem, neque ſponſum de futuro eſſe maritum; ac proinde non omnia, quæ conjugibus licent, ſponſi de futuro ſibi etiam licita eſſe cognoſcant.

2. Quod ſi poſt contracta ſponſalia carnaliter ſponſi ſe commiſcuerint, peccati reſervationem alias impoſitam contra ſponſum renovamus. Denique ut omnis mali, & adjacentis periculi occaſio præſcindatur, paternis monitionibus & adhortamentis ſuadere conentur Parochi, ne ſponſus domum adeat ſponſæ; cumque humanitatis & benevolentiæ officiis per unum, aut ad ſummum per duos præſentibus ſponſæ conſanguineis, palam acceſſus ſatisfieri poſſit, non eſt cur ſine ulla temporis differentia domum ejus adventet, & grandius frequenti ſubeat converſatione diſcrimen. Funeſti caſus nedum ſponſorum, ſed & ſponſi cum aliqua ſponſæ conſanguinea (quod in

Rr præ-

(a) *Super Pſalm.* 50.

præfinitis gradibus Matrimonium fieri vetat, & contractum dirimit) adhuc pertimescendi, & præcavendi, quæ omnia suis loco, & tempore a Parochis enunciari, modeste tamen, sed non silentio præteriri volumus & mandamus, nam siluisse nocet, multosque silentia damnant.

C A P. III.

De Matrimonii impedimentis populus doceatur, & antequam Parochus ad denunciationes procedat, super qualitatibus eorum, qui contracturi sunt, sedulo exquirat: Matrimonia vero sine consensu parentum inita valida sunt.

1. INutiles plane forent conjugiorum promulgationes a Concilio Trid. requisitæ, si quæ sint Canonica impedimenta, quæ Matrimonium contrahendum impediunt, aut contractum dirimunt, nisi aliqua apud populum eorum notitia haberetur: ideo Parochi, quibus ea bene ex probatis auctoribus perspecta esse debent, bis saltem in anno certis nempe temporibus, quibus solemnes nuptiæ aperiuntur inter Missarum solemnia intelligibili sermone, & pro majori facilitate juxta formulam in appendice traditam explicabunt.

2. Solitas item Matrimonii denunciationes nisi prius contrahentium qualitates Parochus exploraverit, populo non promulget: exquirere quippe debet, an illi legitimæ sint ætatis, scilicet an vir saltem decimumquartum, femina vero duodecimum annum expleverit, an calleant rudimenta fidei, quos si nescire compererit, ad tempus matrimonium differre debet, donec bene instruantur, an confirmationem susceperint, de qua & authenticum curiæ nostræ testimonium exhibere debent, an paschali præcepto

cepto Euchariſtiæ percipiendæ ſatisfecerint, an ſponte & libere, nullisque parentum, aliorumve minis adducti matrimonio conſentiant, & hoc præſertim, ſeorſim a quibuſvis arbitris, nec ſolum parentibus, quos, cum aliquibus colluſionibus directe vel indirecte matrimonii libertatem violare, vel conſenſum extorquere repererit, nobis deferre non prætermittat, ut anathemate a Sacro Concilio Tridentino lato in eos afficiamus. Tametſi enim filiosfamilias pro ea, quæ in parentes debetur reverentia, matrimonia ſine illorum conſenſu, ac voluntate contrahere non deceat, illorum tamen libertatem in tam periculoſa ſtatus electione violare nefas eſt, & facinus execrabile. Verum matrimonia a filiisfamilias invitis, & inſciis parentibus contracta, etſi illicita, valida tamen eſſe haud revocatur in dubium (*a*).

C A P. IV.

Repetantur denunciationes, cum a factis lapſi fuerint duo menſes. Excommunicatione plectuntur, qui aut falſum impedimentum ex induſtria deferunt, aut verum per fraudem non revelant.

EXactis duobus menſibus poſt denunciationes habitas ſive in una, ſi ejuſdem ſint Parochiæ contrahentes, ſive in utraque, ſi diverſæ ſint Parochiæ, & matrimonio in facie Eccleſiæ nondum celebrato, meminerint Parochi denunciationes, niſi aliud nobis viſum fuerit, populo iterum promulgandas eſſe, quia interea novum ſupervenire potuit impedimentum, quod ſi

 quip-

(a) *Vide Conc. Trid. Seſſ. 24. cap. 1. de Reform.*

quippiam inter denunciandum canonicum impedimentum opponi contigerit, dicto licet unius, & quamvis falsum ac dolosum probabiliter credatur ad ulteriores denunciationes non procedant, sed curiam nostram illico certiorem reddant: immo idipsum præstent, si qua alia super matrimoniis contrahendis dubia oriantur. Verum, qui falsum aliquod impedimentum malitiose detulerint, aut ad id faciendum mandato, consilio, ope, aut quovis alio modo cooperati fuerint, præter pœnas falsi a legibus inflictas excommunicationem nobis reservatam ipso jure incurrant; eidemque censuræ pariter subdantur qui vera scientes impedimenta, & factas in Ecclesia fuisse denunciationes, ea non revelaverint, sed malitiose reticuerint.

C A P. V.

De Matrimoniis Exterorum.

EXteri, vagi, ignoti, vel alienæ Diœcefeos, sive illi qui a nostra per sex continuos menses absuerint, nullo pacto ad matrimonia contrahenda admittantur, immo nec fiant in Ecclesia denunciationes absque nostra, seu generalis nostri Vicarii licentia in scriptis, quæ non aliter concedenda veniet, nisi prius eorumdem status liber per legitima documenta archiepiscopali nostræ curiæ exhibeatur, & per validos testes probatus fuerit (a) ad tenorem instructionis in appendice inferendæ, quod idem servari volumus etiamsi unus contrahentium sit exterus, vagus &c.

CAP.

(a) *Synod. Far. pag. 833. & seqq.*

CAP. VI.

De proprio contrahentium Parocho.

1. CUm ex decreto Conc. Trid. matrimonia contrahenda sint præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, sive Ordinarii licentia ad matrimonii validitatem sufficit præsentia solius Parochi proprii sponsæ, quando matrimonium in Parochia sponsæ contrahatur, similiter sufficit præsentia solius Parochi sponsi, si modo matrimonium contrahatur in Parochia ipsius sponsi (*a*). Proprius autem Parochus censendus est ille domicilii, non autem originis (*b*): hinc qui duo habet domicilia, unum in una Parochia, alterum in altera valide contrahere potest matrimonium coram Parocho, cujus Parochiam habitat, eo quo nubit tempore, sed opus est in uno, atque altero domicilio parem esse moraliter incolatum: quod probatur ex textu (*c*) his verbis: *Cum ab eo, qui duo habet domicilia, se collocat æqualiter in utroque.*

2. Qui recreationis causa, sive pro colligendis fructibus, aut nutricandis bombycibus a civitate proficiscuntur, & rus se conferunt, coram Parocho rurali matrimonium valide contrahere nequeunt, quia Parochus ruralis non est proprius, & verus eorum Parochus. Nec valet matrimonium contractum coram Parocho loci ubi reperiuntur contrahentes, qui a loco suæ habitationis discesserunt absque animo illam relinquendi, sed ad lo-

(a) *Sacr.Congr. anno* 1573. *lib.* 1. *decret.pag.* 125. *apud Bened. XIV. tom.*2. *notificatione* 13. *num.*5.
(b) *Sacr.Congr.Conc.Mutinen.matrim.*18. *Novemb.* 1702. *lib.*52. *decret. pag.*403.
(c) *Cap.* 2. *de Sepulturis in* 6.

locum alterius Parochiæ se transtulerunt solo animo ibi matrimonium celebrandi, non autem domicilium contrahendi.

3. Ratione officii quod aliqui gerunt in locis, licet ibi nati non sint, valide tamen matrimonium contrahunt, quia eorum inibi permanentia, modo non sit momentanea sed rationabilis, ni verum, saltem quasi domicilium adipiscuntur, quod satis est ut matrimonium contrahant. Quod de Prætore, Judice, seu Medico temporali decrevit Sacr. Cong. Conc. (a) & locum habere potest etiam in professoribus, scholaribus, & famulis.

CAP. VII.

De Matrimoniis puellarum quæ in Monasteriis, seu Conservatoriis educantur.

1. CUm in Monasteriis puellas pro educatione morantes sponsalia contrahere, sive a consanguineis in sponsas adpromitti contigerit, ne regularis disciplina, ac Monasteriorum quies aliquo pacto turbetur, eas dimitti, nec ibi amplius remanere ex iteratis S.Congreg. Episcop. decretis cautum est. Quapropter ubi Monasterii Abbatissa de alicujus Educandæ initis sponsalibus certior facta sit, continuo instet, ut a suis quamprimum & cum effectu domum reducatur, & interim nullas ei a sponso visitationes fieri, nec a quopiam alio gratulationis officia præstari sinat. Et hoc quidem in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus Abbatissæ, quæ tamen si longior Educandæ in Monasterio se mora protraxerit, Nos monere teneatur, ut opportunis juris remediis ad cx-

(a) *In Caus. Abul. apud Garz. de benef. p. 5. cap. n. 11.*

exeundum eam compellamus. Hac ſane ad amuſſim ſervata diſpoſitione nulla remanet ambigendi ratio, quin domum ſuam, hoc eſt ad locum veri ſui domicilii e monaſterio redeuntis puellæ, Parochus ille ſit, in cujus Parochia ſua domus reperitur, ac proinde coram eo matrimonium eſt celebrandum.

2. Aliæ vero puellæ Educandarum Conſervatorium incolentes, ſi paternum habeant, aut maternum, ſive fraternum in civitate vel ſuburbiis domicilium, a Parocho, ejus domicilii in matrimonium collocandæ ſunt, ſed promulgationes etiam a Parocho, in cujus Parochia ſitum eſt Conſervatorium, fieri debent. Si vero extra civitatem, & ſuburbia habuerint domicilium, & elapſi fuerint ſex menſes, ad Parochum, in cujus finibus ſitum eſt Conſervatorium, ſpectat in matrimonium conjungere.

3. Quoad eas, quæ in ſacrum receſſerunt Refugium, & pœnitentes vulgo *Pentite*, cum ibi ipſius Refugii ſumtibus, piorumque fidelium eleemoſynis alantur, proprium eas domicilium dereliquiſſe, & loci filias evaſiſſe conſideramus; ac propterea ad Parochum Sanctorum Apoſtolorum Philippi & Jacobi, in cujus Paræcia idem Refugium conditum eſt, ſpectat, cum aliqua ex iis nuptura ſit, ejus nuptiis aſſiſtere, eo plane modo quo ad eundem Parochum attinet jus funeris in obitu earundem; ſed tam in hac, quam in illa Parochia, a qua diſceſſit, ſeu in qua ei prius erat domicilium, publicationes etiam fieri mandamus.

CAP.

CAP. VIII.

Matrimonia intra Ecclesiam, & de die celebrentur, nisi aliter a nobis indulgeatur. Nuptiarum benedictio ultra duos menses non differatur.

HUjus sacramenti celebratio nunquam fiat extra Ecclesiam, neque ante solis ortum, aut post solis occasum sine nostra, vel nostri generalis Vicarii speciali licentia, quæ non nisi prius causa cognita, nec ita facile cuicumque erit concedenda. Qui vero annuentibus nobis domi, aut tempore quo nuptiarum solemnitates vetitæ sunt, matrimonium contraxere, intra spatium duorum mensium non omittant Ecclesiam adire, ut a Parocho benedictionem accipiant, quæ tamen nunquam viduis secundo nubentibus impertiatur. Ii vero qui præfatam benedictionem accipere tenentur, si transacto bimestri sine causa adhuc recipere negligunt, ad nos per Parochos deferantur, ut quod in domino expedire visum fuerit, faciamus, & quatenus opus ecclesiasticis pœnis etiam compellamus. Parochi etiam motiva afferant de benedictione accipienda.

CAP. IX.

Post matrimonii celebrationem Parochus statim illud referat in librum matrimoniorum cum suis omnibus circumstantiis.

POstquam omnia fuerint rite præmissa, & inita connubiorum fœdera, Parochus in libro bene compacto, & sub fideli custodia servato accurate describant nomina, cognomina, & patriam contrahentium, ac testium,

ſtium, diemque, & locum celebrati contractus, adjectis inſuper diebus, quibus publicatæ fuerint denunciationes, ceteriſque per extenſum, & ſine numeris arabicis ad formam Ritualis Romani.

CAP. X.

In Matrimonium contrahentes coram Parocho non ſuo, ad id conſulentes, aut opem tribuentes fertur excommunicatio Nobis reſervata.

AD eorum audaciam compeſcendam, qui coram Parocho non proprio, quamvis ſimulato habitationis domicilio matrimonium contrahere auſi fuerint, præter ejus nullitatem tam viri, quam mulieres, ac omnes utriuſque ſexus conſilium, aut auxilium dantes excommunicationis vinculo ipſo facto innodati exiſtant, cujus abſolutionem nobis reſervamus.

CAP. XI.

Eadem excommunicatio infligitur matrimonium celebrantibus coram ſuo Parocho per fraudem accerſito abſque denunciationibus, aliiſque requiſitis, conſulentibus, auxiliantibus, ac teſtibus ſcienter præſentibus; Parochus vero malitioſe aſſiſtens per triennium ab officio ſuſpenditur.

QUi matrimonium abſque præviis legitimè factis denunciationibus, ceteriſque ſolemnitatibus a S.Concil. Trident. requiſitis, vel non capta ab Archiepiſcopali noſtra curia informatione, nec de ejus licentia coram Parocho ſuo ſimulate vocato, aut per fraudem, ſeu vim

adducto per verba de præsenti contrahere præsumunt, tum viri, tum mulieres, tum iisdem consilium, vel auxilium præbentes, nec non testes qui scienter intersunt, sint excommunicatione nobis pariter reservata irretiti. At si Parochus matrimonio interesse præsumat, cui legitimæ non præcesserint denunciationes, de jure ab officio per triennium suspenditur (*a*), & gravius etiam a Nobis punietur, si culpæ qualitas postulaverit.

C A P. XII.

Curæ sit Parochis extraneorum, qui recens Parochiarum districtus inhabitant, notitiam habere, ne sub conjugii prætextu lateat concubinatus.

QUoniam aliquando evenire solet, exteros viros, & mulieres tam hanc civitatem quam diœcesim advenire, qui sub ementito conjugii titulo concubinatus scelera fovent, Parochis super eorum statu sedulo perquirendum, an insimul domi habitantes ex legitimis documentis esse constet conjugii fœdere copulatos, (*b*) & ubi super hoc diligentiis præmissis in aliquam concubinatus suspicionem venerint, confestim Nos faciant certiores, ut opera atque auctoritate nostra eorum saluti opportune consulamus.

PARS

(a) *Cap. Cum inhibito de Cland. desponsat. §. fin.*
(b) *S. Carol. Conc. Provincial. lib. 4. tit. 1. Cap. 16.*

PARS III.

TIT. I.

De Sanctimonialibus.

SPectatissimus triumphus, quem præ ceteris Christi Domini Redemptoris nostri Crux de subacto tenebrarum principe agit, monasticum profecto est Deo sacrarum virginum institutum, quippe quæ cælesti sapientia spirituales substantias æmulantes, Angelorum vitam traducere profitentur, & sexus imbecillitatem, corporisque delicias devincentes, calcato seculi fastu, spretisque sensus illecebris, implacabile inferis bellum indicunt, & victoria potiuntur. De quibus loquens D. Petrus Damianus (a) sic ait: *Istæ sexum & seculum ausu validiore vincentes spectabilem victoriam ab hostis antiqui feritate reportant. Gloriosa res, ubi tenera membra longiori martyrio confringuntur, & illius enervant fortitudinem, qui similitudinem Altissimi concupivit; ad hujus spectaculum pugnæ cito convertitur ille misericors intuitus, & tali potissimum victoria delectatur.* Quæ quidem primum Corinthi parta faustisausf piciis victoria eo celebrior, & gloriosior fuit; propterea quod Corinthi (ut de primis feminibus, quæ S. Martha Mariæ Magdalenæ, & Lazari soror Massiliæ fudit) suæ originis primordia traxit: ubi enim illa urbs hominibus referta, impudicitiæ terminos supergrediebatur, ibi virgines apostolica tuba convocatæ, pudicitiæ suæ primitias Deo dicare aggressæ sunt (b).

Sf 2 CAP.

(a) *Serm. 70. de dedicat. Ecclesiæ.*
(b) *Certior nihilominus virginum in communi viventium origo ad ætatem*

CAP. I.

Solicitior officio nostro demandatur Sanctimonialium cura; utque iis studiosius consulamus, quæ alias super earum statu sancita sunt confirmamus.

HÆ Virgines tamquam thesauri pretiosi, & magni Episcoporum fidei, ac tutelæ ab Ecclesia concreditæ fortius animum nostrum propulsant, ut majorem iis muneris nostri solicitudinem impendamus; ut scribit auctor epistolæ ad Heronem Ignatio tributæ: *Virgines serva, & pretiosa Christi monilia:* hujus itaque thesauri securitati, ut magis magisque consulamus, constitutiones & decreta a Prædecessoribus nostris in capite de Monialibus, tum alibi a nobis salubriter instituta sunt, innovamus & confirmamus.

CAP.

tatem S. Syncleticæ virginis Alexandrinæ refertur, quæ uti S. Antonius primus Cœnobitarum institutor, ita prima dici poterit fundatrix Monialium, & quidem Antonio Syncrona creditur, si vitæ ejus auctor est S. Athanasius, uti communius asserunt scriptores critici, & eruditi. Vide hanc vitam a Bollando editam S. Januarii in actis Sanctorum; & græce etiam a Cotelerio in monumentis Ecclesiæ Græcæ tom. 1. pag. 202. & 754. in notis. Lege etiam Hermantum in vita S. Athanasii tom. 2. pag. 638. editionis Gallicæ. Hinc nihilominus concludendum haud extitisse ante ea tempora in ecclesia virgines Deo dicatas, quæque etiam solemniter ab Episcopis velarentur: innumera etenim exempla suppetunt; sed quod ea tantum ætate communem vitam vivere cœperint sacræ virgines, vide Thomasinum discipl. Ecclesiast. tom. 1. lib. 3. cap. 44. & sequenti. Nobile porro institutum prosecutus est Sanctus Pacomius, extructis ad Nili ripas, hinc 1400. virorum, inde 400. feminarum Monasteriis, uti historia Lausiacæ cap. 34. & 38. narratur. Monialium quoque clausuram antiquam satis esse constat post hæc tempora ex regulis S. Cæsarii ad virgines cap. 1. ex can. Trullano 46. ex can. 19. Aurelianensis 5. ex quo tamen infertur non generaliter viguisse. Rigidissima generali lege sancivit Bonifacius VIII. in capite Periculoso, *de statu Regularium in 6., firmavit Trid. sess. 25. de Regularibus cap. 5., explicuit, declaravitque S. Pius V. sua celebri constitutione, quæ incipit* Cura Pastoralis.

CAP. II.

Refertur excommunicatio lata a Concilio Tridentino in cogentes quomodolibet invitam ad ingrediendum Monasterium &c., vel absque justa causa impedientes, quæ habitum suscipere, vel professionem emittere velit.

NOsse omnes oportet ex decreto S. Conc. Trid. anathematis pœnam ab iis incurri, qui quomodocumque virginem, vel viduam, vel aliam quamcumque mulierem invitam, præterquam in casibus in jure expressis, ad ingrediendum Monasterium, vel ad suscipiendum habitum cujuscumque Religionis, vel ad emittendam professionem coegerint, vel consilium, auxilium, vel favorem dederint, quique scientes eam non sponte ingredi Monasterium, aut habitum suscipere, aut professionem emittere, quoquo modo eidem actui vel præsentiam, vel consensum, vel auctoritatem interposuerint, sive qui ejus voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi quoquo modo sine justa causa impedierint.

CAP. III.

Quævis puella ante religiosi habitus susceptionem, & professionem humiliter se Deo commendans serio animadvertat, adhibita etiam directoris opera & consilio, an sit ad Religionem vocata, ne in ejusce status electione aberrare contingat.

PErardua res est & difficilis, puellam inter claustra Monasterii toto vitæ suæ tempore occludi & immora-

morari; difficilior commodis & deliciis paternæ domus renunciare, & austeram paupertatem complecti, difficillima arbitrii libertatem alienæ obedientiæ mancipare: quæ quidem non sunt naturæ opera, sed gratiæ, non hominis sed Dei. *Nemo potest* (a) *venire ad me*, ait Incarnata Sapientia, *nisi Pater qui misit me, traxerit eum*. Cum autem ad Religionem evocat Deus, non est dubitandum quin verum præscribat finem, & una simul media suaviter disponit: at quia non omnis motus interior a spiritu Dei ortum habet, neque omnis cogitatio a rore cœli dilabitur, cum tenebrarum Angelus luce sciat circumfundi, & mundus suis vicibus, & molestiis hominum corda afficere non ignorat, propterea Apostoli consilium recensentes, *nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint*; enixe hortamur quamcumque puellam, ut antequam habitum Religionis capiat, fusis ad Deum precibus, sedula inquisitione percurrat, ac perscrutetur motiva, finemque, quibus ad se in clausura perpetuo obstruendam movetur (b): quod idem ab expertis, & probis Confessariis, & directoribus magna circumspectione examinari, & in sua puellam relinqui libertate mandamus; agitur enim de re prægrandis momenti, qualis est religiosi status electio, ubi error multiplicium errorum seminarium est.

CAP.

(a) *Joannis 6. 43.*

(b) *Antiquissima admonitio. Apud auctorem constitut. apostolicarum lib. 3. cap.1. ita leges.* Oportet non temere facere professionem, sed cum consilio & consideratione. Præstat enim eam non vovere, quam vovere, & non reddere: *Vide etiam Canonem* Scimus, *casus* 12.*q*.1.

CAP. IV.

Adhuc exploranda puellæ voluntas, & spiritualia exercitia ab ea peragenda, priusquam ad religiosum habitum admittatur.

NUlla ad religiosum habitum induendum idonea censeatur, nisi prius per Nos, sive nobis legitime impeditis, per nostrum generalem Vicarium, aut per alium a Nobis ad id deputandum, ejus voluntas exploretur juxta formulam in hujus Synodi appendice inferendam (*a*), qua exploratione facta, liberoque audito consensu, inhærentes epistolæ Sacræ Congr. Episcop. & Rit. de mandato s. mem. Innoc. XI. (*b*) & encyclicæ felic. recor. Clem. XI. (*c*) in ejus bullario publici juris factæ, præcipimus & mandamus, ut quæcumque puella ante religiosi habitus vestitionem per decem dies exercitia spiritualia studiose devote & fervide peragat, ut jam hucusque examussim servatum est: quæ quidem exercitia post acceptationem facienda sunt.

CAP.

(a) *Vide Synod. Farfen. pag.966.*
(b) *9. Octobr. 1682.*
(c) *16. Martii 1703.*

CAP. V.

De acceptatione puellæ facienda per vota secreta a majori parte Capituli, nec intra duos menses differenda habitus susceptione. De dote prius constituenda, & cautione præstanda pro solutione alimentorum puellæ, dum tyrocinium ponit.

PUellæ acceptatio capitulari secreto suffragio majoris partis Monialium vocalium facienda est; quod si intra duos menses habitus ab ea non suscipiatur, acceptatio omnino irrita erit (*a*). Postquam autem fuerit canonice acceptata ad habitus susceptionem non admittatur, nisi prius dos quingentorum ducatorum juxta horum Monasteriorum consuetudinem taxata per parentes, consanguineos, vel curatores in pecunia numerata constituatur, confecto desuper instrumento publico, & penes arcam depositi ejusdem Monasterii cum duabus clavibus, una penes Abbatissam, & altera penes Nos statim deponatur, ut post factam professionem monasterio integra consignetur, præstita interim fidejussione a persona ecclesiastica Nobis bene visa, de solvendis quolibet trimestri anticipate Novitiæ alimentis.

CAP.

(a) *Epist. circular. Sacr. Congregat. Episcopor.* 2. *Octob.* 1682. *S. Congr. apud Nicolium in flosculis, verbo* Habitus.

CAP. VI.

De nonnullis, quæ Novitiarum ſtatum, emittendamque ab iis profeſſionem concernunt.

ADmiſſæ ad Novitiatum puellæ nullam cum Monialibus conſuetudinem, aut familiaritatem habeant, ſed in loco a reliquis ſejunčto, & pro illarum manſione deſtinato morentur ſub rigoroſa diſciplina unius magiſtræ ſpecialiter deputatæ, a qua in doctrina, chriſtiana pietate, bonis moribus, iiſque omnibus, quæ ad religioſæ vitæ munia ſpectant, inſtruendæ ſunt, nec iis vanæ veſtes permittendæ, nec cincinni, nec flores, nec alia, quæ ſeculi vanitatem redolent, & virginali non ſunt modeſtiæ conſentanea; quo vero ad profeſſionem, nec ipſa profeſſio ultra quindecim dies a completo probationis anno ſine noſtra licentia differenda eſt. Per menſem vero ante profeſſionem Abbatiſſa de ea mox facienda Nos certiores reddat, ut iterum, ſicut in ſuſceptione habitus factum fuit, ejus voluntas explorari queat: qua explorata acceptatio ut ſupra ſecretis ſuffragiis a majori parte Capituli iterato fieri debet.

CAP. VII.

Frequentia Sacramentorum, obſervantia regularum, ſpiſſa earum lectio, & Capitulum culparum commendatur, ac nonnullæ indulgentiæ conceduntur.

QUoniam Profeſſæ arctius adhærere Crucifixo ſponſo, cui ſe devoverunt, & perfectionis viam incedere debent, præter frequentem ſacramentorum Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ uſum, regulas ſeu conſtitutiones

ſui Ordinis perfecte, ut alias ſtatutum eſt, ſervent, & ſaltem initio cujuslibet menſis eas in Refectorio perlegi mandamus; utque alacrius id peragant etiam privatim Moniales ſingulis qualibet die, qua eas legerint, quadraginta dierum indulgentiam impartimur. Illud autem adeo pium & ſalutare exercitium, quod capitulum culparum appellant juxta praxim cujuslibet monaſterii a regula ſtatutum, præcipuo fervoris & humilitatis ſenſu expleant, quaſi Deo non ſororibus de propriis culpis rationem reddentes, quod ut libentius exequantur, noverint a felicis record. Paulo V. indulgentiam trium annorum, ac totidem quadragenarum actum ipſum præſtantibus fuiſſe conceſſam.

C A P. VIII.

Exercitia ſpiritualia ſaltem quotannis; orationem mentalem, cui operam dantes indulgentias quoque lucrantur, & examen conſcientiæ quotidie peragant Moniales: ſilentium, lectio ſpiritualis, & benedictio menſæ nunquam prætermittatur.

1. MOniales omnes pro renovatione ſpiritus tam neceſſarii ad ineundum perfectionis iter ſaltem ſingulis annis ſpiritualibus exercitiis ſedulo incumbant juxta præſcriptum ſummorum Pontificum Innoc. XI., & Clem. XI. quos ſupra in capite quarto hujus tituli retulimus. Orationem mentalem, cui quoditie de more vacant, nunquam niſi ob infirmitatem intermittant, nec eam minori unius horæ ſpatio per totam diem protrahant; ſciantque ſe quotidie per ſemihoram mentaliter orantes ſingulis menſibus lucrari quadraginta annorum indulgentiam, quam elargitus eſt Paulus V.. Monialibus inſuper, immo & omnibus utriuſque ſexus Chriſtifidelibus

bus Bened. XIV. alias indulgentias ſeptem annorum conceſſit, ut in ſuis circularibus literis videre eſt (*a*).

2. Conſcientiam quolibet die diligenter examinent; ſilentium horis a regula præſcriptis, & præſertim in choro, in refectorio, & in dormitorio religioſe obſervent, lectionem ſpiritualem per turnum, ſeu ut magis Abbatiſſæ expedire videbitur, ad menſam numquam omittant, iis exceptis, quæ infirmitatis cauſa nequeunt; ad commune refectorium ſimul conveniant, ſed ante comeſtionem ſemper fiat benedictio menſæ, & gratiarum actio, cum fuerit expleta refectio.

C A P. IX.

Librorum index in Monaſteriis, & penes quamcunque Monialem exiſtentium Nobis exhibeatur, nec novi introducantur, neque ulla epiſtola recipiatur, aut mittatur ſine licentia Abbatiſſæ.

NE forte ex libris religioſi ſtatui minus congruis, doctrinam pariter minus ſanam incaute haurientes pro antidoto venenum ebibant, Abbatiſſis præcipimus in virtute ſanctæ obedientiæ, ut infra duos menſes a publicatione hujus noſtræ Synodi Nobis exhibeant diſtinctam notulam omnium & ſingulorum librorum, qui in monaſterio exiſtunt per Nos recognoſcendam, noſtraque ſubſcriptione approbandam; neque intra monaſteria Sanctimonialium liber aliquis introducatur, niſi prius de licentia & conſenſu Abbatiſſæ, cujus partes erunt noſſe, & a Confeſſario inquirere, an liber ſit ſalutaris & uti-

(a) *Die 16. Decembris 1746.*

lis Monialibus: immo nec epiſtolas quaſcumque tametſi a conſanguineis ſibi miſſas recipere aut cuicumque perſonæ mittere fas ſit, niſi prius legendæ Abbatiſſæ tradantur; & de ejus conſenſu & licentia recipiantur, aut mittantur.

C A P. X.

Vota ſolemnia præ oculis habeant Moniales; cumque a Nobis aliquid pro bono earum regimine præcipiatur, obſervent.

ILlud in primis meminerint Moniales, & ſecum animo reputent tria religionis emiſſa ſolemnia vota, quibus perpetuo obſtringuntur; nec dubium quin aliquod magnum ſit paupertatis votum, quo bona externa donantur Deo, caſtitatis majus, quo ei corpus conſecratur, maximum vero obedientiæ, quo voluntas antehac libertate donata, alterius jugo & dominio mancipatur, & Deo ſacrificatur; & cui tota regularis diſciplina ceu ſolidiſſimo fundamento innititur. Quapropter ea omnia humili demiſſione, & æquo animo faciant, quæ Nos, vel alius a Nobis deputandus, vel Abbatiſſa illis in Domino obſervari mandaverit.

C A P. XI.

Null a Monialibus ſit rerum proprietas. Pecunia ex livello, ſive aliunde proveniens in communi depoſiti arca condatur; ex qua reſpective Moniales ſuis conſulant neceſſitatibus.

PRoprium nihil omnino poſſideant, nec proprio nomine poſſidere præſumant in ſtabilibus, cenſibus, aut aliis quibuſcumque effectibus quippiam, quod ad ipſas

ipſas ſucceſſione , donatione , aliove quolibet titulo deferatur, ſed ad monaſterium proprietas, & ad monaſterii Procuratorem adminiſtratio libere pertineat . Quidquid autem livelli, donationis, aut alio titulo a conſanguineis, ſeu aliis quibuſcumque alicui Moniali præſtetur, in communis arca depoſiti deponatur ſub diſpoſitione Abbatiſſæ , quæ ubi prius religioſis ejuſdem Monialis neceſſitatibus ſatisfecerit, quidquid ſupereſt in communem Monaſterii uſum , ſeu officiorum expenſas convertat.

C A P. XII.

Si fiat donatio Moniali cum conditione, ut nihil ex ea acquiratur Monaſterio , illicita eſt ea conditio , ſed donatio ſuſtinetur ; nec Moniali licet quidquam donare ne eleemoſynas quidem, niſi de licentia Abbatiſſæ.

SI quando acciderit aliquid ea conditione donari, aut alias diſponi favore alicujus Monialis, ut ſcilicet nihil inde quæratur Monaſterio, dicta conditio tamquam turpis, utpote quæ religioſam paupertatem lædit, & Monialem proprietariam reddit, ipſo jure rejicitur, & vitiatur , licet diſpoſitionem non vitiet , & ideo pro non appoſita hujuſmodi conditio habeatur. (*a*).

Hinc fit, ut Moniales quoque prohibeantur abſque licentia quidquam donare , commodare , vel alias quomodolibet diſponere, ant eleemoſynam elargiri , ne ex iis

(a) *Sacr. Congr. apud Nicolium v.* Paupertas *num.10. Fagn. in cap. Monachi num.61.,66.& ſeqq. de ſtatu Monach. Monacell. t.pr. p.291. diſc.1.n.53. & ſeqq. Sacr. Cong. Conc. in Panormit .apud Criſpum loc. cit.n.39. confirmata a Sacra Cong. Epiſc. de mandato Clem. XI. 26. Jan.1709.*

is quidem, quæ sibi supersunt. Non damnamus autem eleemosynas, quæ discrete per Abbatissam, sive de ejus licentia per Moniales fiant.

CAP. XIII.

Puella per annum tyrocinii sub magistra, & in mansione a Monialibus sejuncta cunctetur; nec ullum ei officium Professarum proprium assignetur.

INtra annum probationis Novitiæ a peculiari tantum magistra in habitaculo a Monialibus separato instrui debent, præsertim in constitutionibus, regulisque Monasterii, in oratione mentali, & conscientiæ examine rite peragendis. Et quoniam hic probationis annus Novitiæ datur ad sese penitus religionis spiritu imbuendam, ac Deo per spiritualia virtutum exercitia uniendam, caveant Moniales ne infra idem tempus ab hoc principali tamque necessario fine eam ullatenus divertant, applicantes Professarum officiis.

CAP. XIV.

Penes se non habeant Moniales, sed in arcam depositi pecuniam reponant. Parvula summa pro obviis indigentiis cum licentia Abbatissæ indulgetur; demtis reculis, absque nostro consensu nullæ vestes, aut ornamenta Ecclesiæ aliis commodentur.

NUllam pecuniæ summam apud se retineant Moniales, sed omnem in communis depositi capsam penes depositariam reponant. Abbatissæ autem erit cavere, ne con-

contra hanc legem peccetur: indulgemus tamen ut cum Abbatissæ permissu pro suis necessitatibus retinere possit Monialis modicam summam, sed usque ad quinque carolenos, dummodo non adsit scandalum, & Monialis parata sit ad nutum Abbatissæ summam illam abdicare, & in depositi capsam recondere. Sacras vestes, & quælibet ornamenta suarum Ecclesiarum aliis commodare abstineant Abbatissa, & Moniales sine nostra licentia, exceptis dumtaxat levibus.

C A P. XV.

De Monialium collocutoriis, & modo in iis imponendo.

1. NIhil est quod magis spiritus fervori, puritati, & religiosæ Sanctimonialium perfectioni adversetur, quam exterorum collocutiones, mundanique conspectus. Hinc pretiosas margaritas, quas in oratione, aliisque piis exercitationibus compararant, projiciunt, & sæpenumero spirituales cum Deo collocutiones relinquunt, ne cum hominibus prætermittant & pedetentim affectu ad seculum redeunt, nec ullum eis religiosæ vitæ, nisi superficiale vestigium remanet. Quod si moralium Seneca virtutum adipiscendarum tam fuit studiosus, & bonis instrui moribus, atque meliora inire consilia solemne habuit, jacturas, quas in conversando faciebat, ingenue confessus est, dicens: *ego fateor imbecillitatem meam, numquam mores, quos extuli, refero*. Quid Nobis ferendum est de Moniale judicium, quæ sexus fragilitate & inconstantia a dæmonis se insidiis eripiendam, & minus experta, & minus est apta? tamquam avem filo vinctam in cum exteris collocutionibus eam tractat dæmon, licet ipsa non videat; experitur tamen cum

cum in oratione ad Deum ascendere cupiens, per varios affectus, terrenasque cogitationes, quæ ejus menti insident, quasi per laqueos ad ima se rapere sentit, eique ne eveniat timendum, quod Hebræis accidit, qui cum Chananæis conversabantur: *Commixti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & servierunt sculptilibus eorum*. (a).

2. Magna igitur in collocutoriis cautela adhibenda est, & juxta Divi Cæsarei Episcopi monitum in Aquisgranensi Concilio (*b*) probatum, priusquam ad colloquendum cum secularibus divertat Monialis, signo Crucis se muniat, perinde ac animæ hostibus obviam itura: *siquando cum secularibus ad colloquendum fueris evocata, prius arma frontem trophæo Crucis Christi comitari dignetur*. Nosque, ut Monialium quieti, & conscientiis consulamus sub pœnis inferius recensendis volumus & mandamus, ut nullus in Monasteriis Monialium, aut in Conservatorio Educandarum ullo quovis tempore cum aliqua ex iis, vel cum Educandis, aut Conversis colloquatur, exceptis consanguineis, & affinibus in primo & secundo gradu, hac tamen lege, ut iis haud auscultatrice præsente alloqui permissum sit; his non sine continua ejus assistentia, quæ a loco & videre & audire possit colloquentes.

3. At quoniam rationabili ex causa aliquibus licentia quandoque Moniales, sive alias in claustris seu Conservatoriis degentes alloquendi a Nobis concedatur oportet; janitricis, & Abbatissæ partes erunt, nullam ad collocutorium evocari, nisi prius de tributa a Nobis licentia certiores factæ sint, ipsaque Abbatissa veniam concedat, & quod una saltim auscultatrix semper adsit. Janitrices vero

(a) *Psalm.* 105.
(b) *Cap.6.*

vero contra hujusmodi præscriptum colloquia permittentes, ac ipsæ colloquentes gravem arbitrio Abbatissæ pœnam subituræ sunt.

CAP. XVI.

De pœnis contra colloquentes cum Monialibus.

1. Quicumque absque nostra licentia, iis demtis, quibus cum desuper expressis conditionibus colloqui datur, Moniales, sive Educandas alloqui audet, in casum nobis reservatum incidit. Quod si inter colloquendum (quod Deus avertat) obscena verba, sive actus inhonesti admisceantur, tam unus, quam altera, qui talia dicunt aut agunt, excommunicationem incurrunt Nobis reservatam; etiamsi a Nobis facta fuerit colloquendi facultas, a qua excommunicatione sine speciali nostra licentia nec ordinarius, nec extraordinarius Confessarius absolvere præsumat.

2. Regulares vero cujuscumque Ordinis, Societatis, Congregationis, & Instituti sine legitima facultate loquentes quovis modico temporis spatio cum Monialibus, aliisque degentibus intra claustra Monasterii, noverint peccare mortaliter, & sub pœnis excommunicationis, privationis vocis activæ, & passivæ, aliisque a Nobis, tamquam apostolicæ Sedis delegato coerceri posse, ut ex declaratione Sacræ Congregationis Concilii a Clemente Papa IX. approbata super accessu Regularium ad monasteria Monialium perspicuum est.

CAP. XVII.

Qualiter tum Regularibus tum consanguineis, tum aliis cum nostro permissu alloqui indulgeatur, & in quo loco,

1. Regularibus qui in primo, aut secundo consanguinitatis gradu cum Monialibus conjuncti sunt, quater ad summum in anno, exceptis Quadragesimæ, & Adventus tempore, & diebus exercitiorum spiritualium, nonnisi de nostra licentia, & cum præscriptis conditionibus eas alloqui permittetur: at non horis quibus divina officia, aliæque sacræ preces persolvuntur, quo tempore & horis nulli etiam consanguineo, aut honestioribus feminis alloqui liceat citra urgentem necessitatem, quam examinare Abbatissæ arbitrio, & conscientiæ relinquitur.

2. Locus autem Moniales alloquendi non alius esse debet, quam commune Monasteriis collocutorium, non autem interiores Ecclesiæ crates, non fenestella, ex qua sacra Eucharistia porrigitur, aut sacramentales Confessiones excipiuntur, nec janua clausuræ, nec tandem alius, qui non sit ad loquendum, sed alteri deservit usui, designatus.

CAP. XVIII.

Quo tempore claudendæ, aperiendæque collocutorii, & Ecclesiæ januæ.

Collocutorii janua claudatur quolibet vespere sub solis occasum, nec ante solis ortum aperiatur: quinimmo tempore exercitiorum spiritualium, communionis gene-

generalis, chori, orationis mentalis, Missæ, prandii, & pomeridianæ quietis, idemmet collocutorium semper maneat obseratum, nulla pro tali tempore suffragante licentia. Ostium Ecclesiæ, expletis Missis, si nulla ibi alia fuerit sacra functio peragenda, statim claudatur, penes Abbatissam retenta clavi.

CAP. XIX.

A mundi vanitatibus, ceterisque religioso statui minime congruis abhorreant Moniales.

LOnge absit a Monialibus quæcumque vanitas, aut fastus tum in veste, tum in supellectile, tum in aliis exterioribus, quæ omnia esse debent intimæ velut castitatis, religiosæque simplicitatis, & paupertatis index: propterea nec thecas habeant argenteas pro tabaco sumendo, nec chirothecas ferant, non specula in ædibus, non figuras nisi honestas, non cytharas, aut muliebria tympana, nec alia hujus generis instrumenta retineant, item nec canes, seu catellos, nec simias, nec alia quævis animalia præter feles monasterio necessarias, & gallinas in clauso custodiendas loco, ne vagantes claustra fœdent.

CAP. XX.

De horis canonicis a Monialibus exolvendis.

REligiosæ professæ ad chorum destinatæ horas Canonicas publice, & in eodem choro recitare tenentur, ut ferunt statuta, & recepta suorum ordinum consuetudo, quæ quidem obligatio respicit Moniales collective sumtas, hoc est communitatem, quam ipsæ con-

ſtituunt, ut nimirum in choro divinum officium quotidie perſolvatur. Quod ſi aliqua ex iis in choro, dum horæ canonicæ decantantur, non interſit, a privata earum recitatione non erit immunis.

In die commemorationis omnium fidelium defunctorum, in feſto Sancti Marci, & Rogationibus obligantur in choro, vel ſi a choro abſint, ad privatim recitandum ex præcepto officium defunctorum, & Litanias majores, cum ſint pars officii illius diei.

CAP. XXI.

De Dormitorio Monialium.

1. DAto quolibet ſero ſilentii ſigno, omnes promte in proprium dormitorium ſecedant, exceptis Novitiis, & Educandis, quæ non ſunt in illud admittendæ, ſed in proprias deſignatas ædes ſe recipere debent; graviter autem infirmæ in valetudinarium, ubi reperitur extructum (ubi non adeſt, quamprimum fieri mandamus) contendere teneantur.

2. Lampas in unoquoque dormitorio integra nocte colluceat, & ſingulæ in proprio lectulo cubent, in quo numquam liceat ſociam admittere, etiamſi eſſet germana ſoror, multo minus ſi Novitia eſſet, aut Educanda.

CAP. XXII.

De eligendis ad Monaſterii officia.

1. NUlla ſit Monialibus officiorum, aut prælationis ambitio, neque iis pares exiſtimare ſetn debe ſed tutius concupiſcere ſubeſſe aliis, quam præeſſe. Cum vero

vero tempus electionis ad officia appropinquaverit non ad arbitrium, sed solius Dei gloriam, ac Monasterii utilitatem in primis spiritualem inspicientes eas ad officia seligant, quas divini nutus inspiratione magis idoneas judicaverint.

2. Abbatissa canonice electa in id præcipue incumbat, ut sorores in viam salutis & perfectionis zelo suo, & exemplo dirigat, & abusus si qui forte sint adversus Monasterii constitutiones, ac superiorum ordinationes, tollere satagat, & qua majori potest solertia, observantiam inducere, ac promovere studeat. Priorissa item instar Abbatissæ electa, quæ suarum sunt partium exacte peragat, & Abbatissæ in suo regimine adjutorium ferat. Abbatissa expleto sui triennii officio, immediate iterum eligi, aut confirmari nequit, & canonice ea electa intelligatur, cui major pars non respectu minoris, sed totius Capituli Monialium secretis suffragiis adhæserit, sic electa cum discretarum consilio alia officia distribuat. Notulam vero officialium ante ejus publicationem nobis transmittat, sine qua illarum electio per Abbatissam facta irrita foret. Electæ vero tum ad primarium Abbatissæ, tum ad inferius quodcumque officium pari obedientia, atque alacritate id suscipere non graventur. Ubi plures in Monasterio sint germanæ sorores, cum una ex iis electa fuerit Abbatissa, tempore Abbatissatus aliæ quovis officio, quatenus commode fieri potest, prohibeantur.

CAP.

CAP. XXIII.

Juxta præscriptas regulas inobedientiæ aliique excessus puniantur. Abbatissa discordiarum causis recidendis, servandæque inter sorores paci sedulam navet operam.

SI qua inobedientiam aliquam committere ausa fuerit, aut conviciis, aut irreverentibus verbis, aut factis aliquam ex Monialibus lacesserit, juxta propriæ regulæ statuta pro qualitate culpæ coerceatur, ne indulgentia ulterius præbeat criminibus facilitatem . Abbatissa vero omni caritatis studio curet, ne dissidia inter sorores sic appellatas Moniales (*a*) oriantur, & orta supprimens, quantum ab ea fieri poterit omnes discordiæ causas prompte leniter & efficaciter amputet & componat, solicita, ne inter eas pacis vinculum, unde bonum & jucundum est habitare sorores in unum, dissolvatur: Moniales vero mutua se dilectione prosequantur, supportantes invicem in caritate; & quemadmodum sunt vocatæ in una spe vocationis, unum quoque cor, atque animum in seipsis habere studeant. Quid enim prodesset paternæ domus commodis, suorumque societate abdicatis, claustra Monasterii sponte eligere, inque una eademque mansione in diversas scindi voluntates, sorores nomine tantum, non re & actione gloriari?

CAP.

(a) *In Cap. Causam de elect. Regul.*

CAP. XXIV.

De clausura Monialium.

1. Cum Monasteriorum clausuram ad nos spectet jure ordinario custodire (*a*) latæ sententiæ excommunicationem summo Pontifici reservatam contra eos cujuscumque sint conditionis, & sexus, sive mares, sive feminæ, qui absque permissu expresse a nobis ex causa necessaria dando, Monialium clausuram ingredi audeant ob malum finem, in memoriam revocamus. Quam etiam ipso facto incurrent Abbatissæ, Priorissæ, Moniales professæ, Novitiæ, Educandæ, Conversæ, & aliæ quæcumque in Monasteriis degentes, ac singulæ earum, quæ introduxerint, vel receperint quovis prætextu, etiam minimæ ætatis pueros, aut puellas (*b*), imo & infantes in fasciis qualibet ex parte etiam ex rotis, quamvis dicti infantes non extrahantur a rotis (*c*), sed in ipsis maneant ex parte clausuræ; cui pariter excommunicationi eo ipso subjiciantur Moniales supra monasterii tectum ascendentes (*d*).

2. Cum justis de causis aliquem exterum, scilicet Medicum, quem non minoris ætatis quadraginta annorum esse volumus, Chirurgum, necnon cæmentarium, lignarium, aliumque fabrum, muliones, bajulos, & id genus vectores specialiter a nobis approbatos, ac etiam Confessarium Monasterii clausuram ingredi oporteat, antequam a janitricibus porta aperiatur, dentur, ut moris est

(a) *Cap. Periculoso de statu Regul. §. finali in 6.*
(b) *S. Congr. apud Monacell. Tom. I. pag. 277. num. 5.*
(c) *Trid. sess. 25. de Regul. cap. 5. Sacr. Congr. Episcoporum in Neapolit. 22. Martii* 1580.
(d) *S. Congr. apud Matthæucc de offic. cur. cap. 11. num. 17.*

eſt, aliquot campanulæ ictus ad ejus, ſive eorum ingreſſum ſignificandum, quo Moniales eo ſigno ſecedere moneantur, nec cum aliquo ex iis per monaſterium incedente confabulari, aut quid muneris porrigere liceat: duæ vero comitatrices ex ſenioribus Monialibus ante januam introeuntem excipiant, & ad locum deſtinatum comitentur, neque per cellas, neque alio rſum divertere patiantur, ſed eo dumtaxat, quo ejus acceſſus neceſſe ſit, quem tamen ſuo munere functum protinus ad clauſuræ januam reducant, ac dimittant.

3. Duo clauſuræ oſtia interius nempe, & exterius noctu ſemper obſerata ſeris, & clavibus diverſis cuſtodiantur, quarum una (illa ſcilicet exterioris oſtii) penes Confeſſarium, altera interioris januæ penes Abbatiſſam retineatur. Anterior quoque ſita extra clauſuram janua viæ publicæ reſpondens, qua exteris ad Monaſterium accedentibus patet aditus, a miniſtro Monialium poſt ſolis ortum aperiatur, & ſub illius occaſum claudatur, ejuſque clavis Confeſſario cuſtodienda tradatur. Si quid in clauſuram introducendum, aut educendum quod rotæ capiunt, fores non aperiantur, ſin minus, aperire licitum ſit; ſed nec janitrix nec alia Monialis eo tempore, eaque occaſione ſe exhibeat videndam ad colloquendum, ſed ab aliorum oculis ſe ſubtrahat, & confeſtim expleto opere iterum claudantur; numquam tamen quippiam emendi, aut viſitationis, aut colloqui cauſa, quamvis cum matre aliiſve conjunctis, aperiendæ *(a)*.

CAP.

(a) *Sacr.Congr.apud Matthæuc.cap.*11.*num.*8.*Apud Pignatel. tom.6.conſult.* 85.*num.*19. & *tom.*10.*conſul.*41. *in fine. Apud Nicolium verbo* Porta *num.*9. *Acta Mediolan.p.*40.§.1.

CAP. XXV.

De Famulo Monasterii, & Clerico.

CUm de factore, sive famulo, aut aliis inferioribus ministris, qui monasterio servitium præstent, providere opus fuerit, nobis inconsultis nihil faciat Abbatissa, quod idem servetur, cum Clericus est assumendus; qui tamen Sacristiæ, & Ecclesiæ tantum inserviat, non Monialibus, nec in litteris, nec in muneribus ferendis, imo nec tractet, nisi cum Abbatissa; & cum Sacrarii Præfecta non loquatur, nisi in rota, & de iis solum quæ suum ad officium pertinent.

CAP. XXVI.

De Procuratoribus Monasteriorum.

PRocuratori a Nobis designato, ad quos privative jus spectat eligendi, curam relinquat Abbatissa rerum temporalium, spirituales per seipsam suscipiat, ac dirigat Moniales jugi opera, & labore in salutis portum. Omne id quod in manus Procuratoris devenerit, tenetur Procurator adnotare in libro introitus ad id parato, & in altero exitus expensas, quæ pro Monasterio fiunt, & quotannis, aut quando Nobis magis expedire videbitur, suæ administrationis rationem reddet Rationalibus a Nobis deputandis. Cum Monasterii pecunia in bonis stabilibus investienda sit, omnem adhibeat diligentiam, ut investimenta in Monasterii evidentem utilitatem cedant, non in detrimentum, secus faciens præter lethalis culpæ reatum, & restitutionis onus pœna suspensionis aliisque arbitrio nostro plectetur.

CAP. XXVII.

Super gravibus negotiis Abbatissa a discretis consilium requirat, nihilque Nobis inconsultis deliberet, investimenta, & pecuniæ investiendæ in libro ad hunc usum compacto, & in arca servato adnotentur.

UBi de gravis momenti Monasterii negotiis deliberandum sit, Abbatissa discretas consulat, & nihil hujusmodi resolvat, inconsulto Ordinario, sine cujus licentia in scriptis non acceptet, aut repudiet hereditates, legata, & similia onus aliquod annexum habentia, nec transactiones, aliosve contractus ineat, nec lites assumat, nec pecuniarum investimentum faciat, nec quodcumque novum ædificium: utque cujuslibet investimenti, ac pecuniarum investiendarum certa notitia haberi possit, mandamus in capsa depositi librum retineri, in quo distincte per singulas vices pecuniæ in eam immissæ, ac unde proveniant, & e contra extractæ, & in quam causam erogatæ sint, describantur (*a*).

CAP. XXVIII.

De Monialium Confessariis.

CUm ex iteratis Sacræ Congregationis decretis (*b*), & encyclicis Clement. XI. litteris, ubi hæc verba

(a) *Gavant. verbo* Monial. offic. *num.* 40.

(b) *Vide rescriptum Cardinalis Gallo ad Cardinalem Vendramino Patriarcham Venetum die* 12. *Maji* 1617. Sacerdotes seculares Confessarii Monialium eligantur vitæ exemplaris,& ætatis annorum supra quadraginta *Et aliud rescriptum Sacr. Congr. etiam ad Patriarcham Venetum* 7. *Junii*

ba leguntur (*a*): *edoceamur*, *eos Sacerdotes ad Monialium Confessiones excipiendas assumi debere*, *qui non modo vitæ probitate & doctrina sint præditi*, *sed etiam ætate graves*; statuimus tam ordinarios, quam extraordinarios Monialium Confessarios non admittendos, nisi quadragesimum saltem ætatis annum expleverint; & ubi est Confessariorum penuria, saltem tricesimum quintum (*b*). Confessiones vero e consueta sede in patulo Ecclesiæ loco posita semper audiant, nec unquam Monasterii septa ingrediantur, nisi cogente necessitate infirmis Sacramenta ministrandi; & tunc superpelliceo, ac stola induti a duabus ex senioribus Monialibus comitati, ut superius dictum est, infirmæ cubiculum recta & breviori via adeant, nec in aliam Monasterii partem tam in ingressu, quam egressu divagentur. Et cum Pœnitentiæ Sacramentum administratur, cubiculi fores sint reseratæ, ut a Monialibus assistentibus Confessarius, & Monialis infirma conspici, non tamen audiri queant: optimum tamen foret, parvum construi Confessionale portatile pro infirmarum Confessionibus audiendis, & sic in posterum servari mandamus.

CAP. XXIX.

De Monialium extraordinariis Confessariis.

BIs, aut ter in anno ad Concilii Trid. præscriptum (*c*) extraordinarios Confessarios Monialibus, aliisque in-

Xx 2 tra

nii 1620. ubi præcipitur, *ut Regulares Confessarii Monialium sint vitæ exemplaris*, *& doctrinæ ac ætatis quadraginta annorum*.

(a) *Le Monache siano provvedute di Confessori dotti*, *di età provetta di vita irreprensibile*, *zelanti*, *e disinteressati*.

(b) *Crisp. in Visit. past.*

(c) *Sess. 25. cap. 10.*

tra claustra degentibus mittere consuevimus: atque hanc conciliaris decreti providentiam pro Educandarum Conservatorio, & pia domo seu Refugio Convertitarum similiter extendimus; ac pari dispositione, qua de claustralibus cautum est, in morem induximus; puellis etiamnum, ceterisque mulieribus sive in Conservatorio, sive in Refugio commorantibus extraordinarios Confessarios bis, aut ter in anno offerentes.

2. Verum huic legi subjicere non intendimus omnes & singulas Moniales, sive alias quascumque in Monasteriis, aut Conservatorio, vel Refugio Convertitarum degentes, ut apud Confessarium extraordinarium sacramentalem peragant suorum peccatorum confessionem, sed in sua relinquitur potestate, velint necne apud ipsum confiteri. Id tamen unum tam ab iis, quæ Monasteria incolunt, tam ab aliis quæ in Conservatoriis agunt, requiritur, ut nimirum earum singulæ Confessario extraordinario se sistant, sive ad confitenda apud ipsum peccata sua, si placuerit, sive ad salutaria monita, etiam extra sacramentalem Confessionem ab ipso accipienda. Id quod ab omnibus & singulis exacte observari præcipimus, quemadmodum san. mem. Clemens Papa XI. edicto suo (a) inviolabiliter observari mandavit, & recens super hoc extat Benedicti XIV. constitutio quæ incipit: *Pastoralis curæ &c.*

3. Porro cum aliqua, sive plures Moniales aliquoties a Nobis concedi exposcant extra ordinem Confessarium, quamvis etiam ter in anno universæ communitati dederimus, si pro majori animi sui quiete, ac progressu eas petere dignoscamus, D. Francisci Salesii & Benedicti XIV. monita sequentes earum petitionibus annue-

(a) *Quod est XV. in secunda par. ipsius Bullarii.*

nuemus, & non modo ad hæc, ſed & alia, quæ ad earum conſcientiæ pacem conducunt, concedenda facile inclinabimus.

4. Volumus tamen, ut quo tempore extraordinarius Confeſſarius alicui communitati aſſignatus ſuum peragit miniſterium, ordinarius Confeſſarius nullum ei impedimentum afferre audeat, nec per id temporis ſpatium alicujus Monialis ſive Superioriſſæ, ſive Novitiæ, ſive Converſæ, ſive alterius cujuſcumque perſonæ intra ſepta Monaſterii, aut piæ domus commorantis Sacramentalem Confeſſionem excipere ſub graviſſimis pœnis a Nobis infligendis. Expleto demum Confeſſarii extraordinarii, qui alicui communitati generaliter, vel peculiariter alicui perſonæ in Monaſterio degenti conceſſus, ac deputatus fuerit, munere, diſtricte inhibemus ſub pœnis contra accedentes ad Monaſteria Monialium, & cum ipſis colloquentes, & præſertim Regulares, ne ad idem Monaſterium ulterius adeant, nec ullius generis commercium, ſive per nuncia, ſive per epiſtolas quomodocumque continuare, ac fovere, etiam ſub ſpiritualis cauſæ, aut neceſſitatis intuitu, & colore audeant vel præſumant.

TI-

TITULUS II.

De Seminario Clericorum.

NOvere Tridentini Concilii Patres, quam erat Dei Ecclesiæ profutura recta adolescentium institutio (*a*), qui

(a) *Utilis adeo visa semper fuit adolescentium in communi sub duce aliquo, ac rectore institutio, ut omnium fere gentium consensu ab vetustissimis temporibus probata fuerit, & amplexa. Porro nisi ejusmodi collegia quid aliud erant apud Hebræos domus illæ, in quibus alebantur filii Prophetarum, ita quidem vocati non natura, sed educatione? lego Abulensem I. Reg. 19. quæst. 31. Hæc extructa fuisse in urbibus Najot, Rammata, Bethel, Hierico, Gaboa passim colligimus ex Scriptura; sed illud præcipue celebratum, quod in Carmeli vertice regebat Helisæus. Vide 4. Regum 6. Quia & Babylonis sub Rege Ethnico celebratissimum Collegium extitisse Rectore Asphenez, legimus Daniel. 1. Quamobrem, & Ecclesiæ pace reddita, Collegia ejusmodi pro Clericis educandis a providis Episcopis erecta sunt, uti S. August. Hippone fecit, quemadmodum possidius narrat in ejus vita Cap. II. Dici propterea recte poterit S. August. primus Seminariorum in Ecclesia institutor pro Clericis instruendis, educandisque, uti pluribus Thomasinus disciplinæ ecclesiasticæ prima parte lib. 3. cap. 2. & 3. per totum demonstrat. In eum quippe locum velut habes ex ipso August. sermone 10. non Presbyteri modo, & Diaconi, sed Subdiaconi, etiam instituendi recipiebantur, qui longe postea in majorum Ordinum censum sunt relati. Legatur & idem sermone 49. & 50. de divers. ad Populum Hipponen. Id certissimum minorum etiam Clericorum Collegia in Toletano secundo anno 531. can. 2. In domo Ecclesiæ & sub Episcopapali præsidentia constituta legi, quod & firmius statuitur a Toletano IV. anno 633. can. 23. qui refertur a Gratiano can. Prona: I. caus. 12. qu. 1. His Collegiis respondent Scholæ Clericorum a Carolo Magno institutæ, de quibus Concilium Cabilonense 2. anni 813. can. & Capitularia Ludovici Pii anno 823. qui Episcopos urget ad illas extruendas. Seminaria porro hodierna in Ecceſia universali delineavit Cardinalis Reginaldus Polus anno 1556. cum articulos quosdam reformationis Cleri Anglicani commentaretur, Tridentini deinde Patres erigi mandarunt; sed horum locorum potissima gloria Sancto Carolo vindicanda, qui, & votis promovit, & institutis ad perfectionem adduxit. Vide Thomass. prima par. lib. 3. cap. 1. & sequentibus, & par. 2. cap. 102. num. 10. Vanespen. par. 2. tit. 10. cap. 1.*

qui a teneris annis in pietate, & religione enutriti ecclesiasticis disciplicis imbuantur, & quorum indoles, & voluntas spem afferat ecclesiasticis eos ministeriis perpetuo mancipandos; ea propter saluberrimo decreto statuerunt, ut in quibusvis Ecclesiis Cathedralibus, Metropolitanis, aut his majoribus, puerorum collegia, seu seminaria erigerentur, in quibus ali, & religiose educari, atque Ecclesiasticis disciplinis sub optimis magistris institui possent, quorum præcipua cura tanto pondere fuit Episcopis demandata.

C A P. I.

Prima hujus Seminarii erectio ab Illustrissimo GASPARE A FOSSO olim facta, successores Archiepiscopi auxerunt, Nosque ex eo soliciti etiamnum prosecuti sumus.

1. CUm a Prædecessore nostro Fr.GASPARE A FOSSO felic. record. qui Concilio Tridentino interfuit, in suam Ecclesiam reverso tam salubre, & pium opus faustis auspiciis inchoatum fuerit, & magna ex parte completum, perque subsequentia tempora Antecessores nostri laudabiliter opera & studio perstiterint, & ædificiis auxerint, adjectis legibus, regulis, & statutis huic pio loco maxime accommodatis, tam pro regimine, tam pro adolescentium profectu, tum in literis addiscendis, tum in bonis moribus comparandis. Nobis a nostri adventus primordiis in hanc Metropolitanam Ecclesiam non modicæ curæ fuit, hocce Seminarium Clericorum, quodque sæpius invisere, de illo inquirere, explorare, consulere, certiores fieri, solemne habuimus, & opera, consilio, ope, studiorum & progressus examine, præscriptis regulis, piis adhortamentis, promotione ad Ordines, & decursu temporis

C A P. III.

Quid præſtandum in ingreſſu, permanſione, & egreſſu e Seminario.

1. IN Seminarium recepti, quamprimum ſacramental ſuorum peccatorum generali confeſſione expiabuntur, & ſi nondum inſigniti fuerint, ſuo tempore clericali tonſura initiabuntur, & conſueto Seminarii habitu utentes grammaticam, aliaſque bonas artes ad præſcriptum Sacri Concilii Tridentini ediſcent. Miſſæ ſacrificio quotidie interſint, quintodecimo quoque die Confeſſariis a nobis deputatis juxta Seminarii regulas de mandato noſtro recognitas, & approbatas, peccata ſua confitebuntur, & ſacram Communionem de conſenſu Confeſſarii frequentabunt. Orationi mentali dietim per aliquod temporis ſpatium vacent, & matutinum cum laudibus officii parvi B. Mariæ Virginis modo, & horis a Rectore præſcriptis recitent. Diebus feſtis in Eccleſia Metropolitana ſacris functionibus aſſiſtant, & inſerviant. Dominicis etiam explanationi Sacræ Scripturæ, quæ fit a Canonico Præbendario poſt veſperas, & ſingulis Sabbatis congregationi caſuum conſcientiæ, quæ poſt decantatas laudes B. Mariæ Virginis haberi ſolet (modo ſcholæ exercitium jam ſit eo tempore expletum) interſint.

2. Prævio campanæ ſigno de tempore tam mane ſurgendi, quam veſpere eundi cubitum præmoneantur; eodemque pariter ſigno ad ſcholam, necnon ad menſam evocentur, indeque etiam dimittantur poſt refectionem, in qua invocato prius nomine Domini, & cuſtodito ſilentio, ſacra lectio non deſit; nec ullatenus gatiarum actio in fine prætermittatur. Egreſſus quoque è domo pari campanæ pulſatione ſignificetur.

 3. Egreſ-

3. Egressi autem modeste & composite simulque omnes, & bini solitis violacei coloris vestibus amicti incedant, nec unquam e conspectu Censoris, qui eos passim comitetur, alio divertant. Si quis ex iis inobediens, discolis, vel male moratus compertus fuerit, acriter moneatur, & puniatur, & si post trinam hujusmodi monitionem & castigationem non resipuerit, tamquam inemendabilis e seminario ejicietur.

CAP. IV.

Nullus exterorum sine licentia colloquatur; multo minus cubicula Seminaristarum ingrediatur; quibus nec extra Seminarium pernoctare liceat. Tempore vacationum ferant testimonium proprii Parochi de frequentia Sacramentorum, & de assistentia in Divinis.

NEmini interiores Seminarii ædes intrare, nec cum Alumnis, aut Convictoribus nisi in inferiori porticu, & cum licentia Rectoris, vel Censoris, aut Præfecti colloqui liceat, nec ea tam frequenter concedatur. Neque ulli eorundem Clericorum, præsertim si non sint hujus civitatis, permittatur extra Seminarium pernoctare. Cum autem per consuetas ferias cum expressa nostra licentia datum fuerit ad proprias domos remeare, nullus ad Seminarium revertatur sine litteris testimonialibus Parochi, in cujus Paræcia commoratus est, quibus significetur se ad præscriptum regularum Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ suscepisse, diebus dominicis & festis Ecclesiæ Parochiali ibidem inservisse, fideique rudimenta statis horis vel docuisse, vel saltim eorum explanationi interfuisse.

CAP.

C A P. V.

Salutaria monita pro iis, qui in Seminario degunt.

Omnimodam Seminaristæ reverentiam, & obedientiam Rectori præstent, & magistris sint obsequentes, aliter pro modo culpæ punientur etiam expulsione. Dum assistunt choro ab omni cum aliis colloquio abstineant sub pœna ad nostrum arbitrium, sed omnis eorum actus modestiam, & religiosam devotionem redoleat, sintque etiam ecclesiasticis cæremoniis attenti, ut eis recte, ut par est, imbuantur. Eos denique hortamur, ut sedulo advertant, cujus gratia sacrosancti Concilii Tridentini præsertim decreto instituta fuerint Seminaria, idque animo revolventes, solerter incumbant, ut illud Dei ope ad animarum salutem, ad Ecclesiæ utilitatem, & Pastorum solatium assequantur; & collegium ipsum re, & nomine nuncupetur, & sit Dei ministrorum perpetuum seminarium. Magistri autem hæc ipsis instillent, ac non minori caritate, quam diligentia eosdem erudiant, præbentes etiam exemplum vita & moribus, ut eos adolescentes sequi valeant & imitari.

C A P. VI.

De Seminarii Rectore.

Rector Seminarii sedulo invigilet, ut ab omnibus tam ecclesiastica, quam domestica disciplina juxta Seminarii regulas, quas singulis mensibus in refectorio omnibus coram legi mandamus, diligenter observetur. Scholas sæpe visitet, Clericorum mores, & profectum in literis accurate exploret, cubicula, & officinas, ut omnia

ibi decenter & munda fiant ac teneantur, perlustret, cumque aliquis infirmari contingat, solus in æde non maneat, sed alium apud ipsum semper adesse faciat. Ut omnia denique bene composita & ordinata sint, nosmet per singulos menses una cum deputatis visere, & oculis nostris spectare, deque studiis atque in iis progressu etiam per examen inquirere in morem habuimus & habemus.

TITUS

TITULUS III.

De Regularibus.

NUlli dubium, quin ſtatus religioſus præcipuum ſit Dei, & paucis conceſſum beneficium eximia dignitate, atque excellentia decoratum, ii namque qui a fallacibus mundi hujus illecebris ad religionem evocati profeſſione ac votis dicantur Deo, ejuſque obſequio deſtinantur, ad ſuæ ſolicita cura, ac pia vigilantia faciendum ſatis vocationi extimulantur, nec iis tantum præclara interiorum virtutum ſemita capeſſenda, ſed externo animarum lucro, & profectui nobiſcum una cum toto corpore eccleſiaſtico incumbendum. Et quemadmodum Nos pro parte muneris noſtri quoſcumque regularis vitæ cultores ſingulari dilectione, & honore complectimur, ſic quod in ſacris Canonibus de iis dictum eſt, memoramus, ut ſcilicet Epiſcopo adjutorium præbeant in prædicatione verbi Dei, in Sacramentorum adminiſtratione, & in ceteris, quæ ad ſalutem pertinent animarum. Hoc præſtituros confidimus tam hujus civitatis, quam noſtræ diœceſeos Regulares, quibus cæleſtium benedictionum ubertatem ex intimo cordis affectu apprecamur, ut fructum ſanctarum actionum in hoc ſeculo percipiant, & in altero præmia æternæ pacis aſſequantur.

CAP.

CAP. I.

Regularibus synodales hæ constitutiones perlegendæ.

QUicumque Regulares, præsertim qui ad Confessarii munus exercendum fuerint a Nobis approbati, nostras hasce synodales constitutiones frequenter percurrere non omittant, ut quæ in illis ad eos diriguntur, fideliter valeant adimplere, quæque ad præscriptum constitutionis Clementis X. (*a*) de administratione Sacramenti Pœnitentiæ, & prædicatione verbi Dei sancita sunt, exacte calleant, & observent.

CAP. II.

Exteri Sacerdotes ad Missæ celebrationem non admittantur a Regularibus in suis Ecclesiis sine nostra in scriptis licentia.

EXteros Sacerdotes sacrum facere Regulares in eorum Ecclesiis non permittant, nisi a Nobis, vel a generali nostro Vicario in scriptis licentiam obtinuerint, quam iis ostendere teneantur, & quæ tunc veniet concedenda, cum litteras dimissorias sui Ordinarii archiepiscopalis nostræ curiæ Cancellario exhibebunt. Quod etiam servari mandavimus in omnibus Ecclesiis jurisdictioni nostræ subjectis tum civitatis, tum Diœcesis, ut in titulo de Sacrificio Missæ cap. 14.

CAP.

(a) *Constit. VII., quæ incipit: Superna.*

CAP. III.

Oleum infirmorum Regularibus capiendum ab Ecclesia cathedrali, & quando ab iis Sabbato Sancto campanæ pulsandæ.

SAcrum oleum Infirmorum non aliunde quotannis accipiant Regulares quam a nostra cathedrali, cui etiam debitum illud obsequium præstare meminerint, ne scilicet Sabbato sancto campanas pulsent, nisi prius pulsatis iis Ecclesiæ cathedralis, ad quarum sonum ceteri suarum sonitus illico subsequantur, & comitentur. Quod idem examussim servare debent in suis Ecclesiis Regulares civitatis Scyllæ, terræ Flumariæ, civitatis Sanctæ Agathæ, ruris S. Stephani, & loci Catonæ ad suas respective Ecclesias archipresbyterales, & Parochiales.

CAP. IV.

Ad publicas processiones Regulares accedere debent.

PRocessionibus solemnitatis Corporis Christi, Beatissimæ Virginis de Consolatione nuncupatæ principalis Patronæ hujus civitatis, Sancti Marci, Rogationum & quibuscumque aliis publicis, quas pro bono, seu causa publica Ordinarius indixerit, Regulares civitatis interesse teneantur, sub pœnis & censuris alias per Sacr. Congr. præscriptis. Quod etiam statutum intelligatur pro Regularibus circa processiones, quæ in nostra Diœcesi fiunt ab Ecclesiis archipresbyteralibus, seu parochialibus.

CAP.

CAP. V.

Nec secularium domos frequentare, nec cum iis intra claustra crebro conversari Regulares decet, nec pueri intra cellas excipiendi, nec mulieres intra claustra.

QUemadmodum regularis vitæ professores haud decet ædes secularium frequenter adire, & migrare de domo in domum, sic pariter intra eorum claustra frequentem secularium consuetudinem, unde claustralis institutio perturbatur, vitare maxime convenit; quinimmo nec pueros unquam intra cellas sive cubicula quocumque prætextu, etiam Confessiones excipiendi, admittant. At mulierem aliquam introducentes in claustra excommunicationem latæ sententiæ incurrere noverint Regulares, quamvis occasione processionis, sive indulgentiæ utriusque sexus fidelibus concessæ Oratorium visitantibus seu Capellam intra claustra existentem.

CAP. VI.

Nullus Regularium extra Claustra cunctetur. Deliquentes autem extra illa a suis Superioribus coerceantur; sin minus a Nobis.

QUoniam solicitudini nostræ a sede apostolica Regularium cura in aliquibus delegata est, ea nos facultate utentes in memoriam illis revocamus, nulli ex iis licere extra propria claustra immorari, etiam sub obtentu suum adeundi Superiorem. Si quis autem in claustris degens extra illa forsan cum populi scandalo deliquerit a Superioribus Monasterii, intra tempus a Nobis præfigendum pro delicti gravitate coerceatur, &

hi

hi de animadverſionis qualitate Nos certiores faciant, ſin minus delinquentes a Nobis ipſis punientur.

CAP. VII.

Nec Viaticum, nec Extremam Unctionem ſecularibus etiam intra clauſtra ægrotantibus miniſtrent Regulares ſub pœnis &c. Sacramentum autem Pœnitentiæ administrantes ſaltem ſchedulam relinquant. Et quid pro ſepultura in mortis eventu?

NE per Regulares violari contingat jura Parochorum, his invitis, Sacramentum ſanctiſſimi Viatici, vel extremæ Unctionis ſecularibus, etiam qui in eorum Monaſteriis hoſpitantes infirmantur, ſub cenſuris Sedi apoſtolicæ reſervatis (*a*), ſe haud miniſtrare poſſe meminerint. Nec ſecularibus extra Monaſterium ægrotantibus Pœnitentiæ Sacramentum, niſi de hujuſmodi adminiſtratione ſtatim certiorem reddant Parochum, ſaltem ſchedula apud ægrotum ipſum relinquenda. Quod ſi aliquis in ipſis clauſtris obierit, ſepulturæ electione omiſſa, in parochiali Eccleſia de jure ſepeliendus erit. Sepulturam autem eligentes in Eccleſia Regularium, ibidem tumulandos, noctu efferri non liceat abſque noſtra licentia, nec poſt tempus in capite *6.* de ſepultur. præfixum.

Zz CAP.

(a) *Clementin.* 1. *de privilegiis. Conſtitut. Greg. XV. : Inſcrutabili.*

CAP. VIII.

De pœnis contra Regulares, qui ad sepulturam in eorum Ecclesiis eligendam vovere faciunt &c.

INtelligant Regulares sibi quempiam ad vovendum, jurandum, vel fide interposita, aut alias promittendum inducere, ut sepulturam apud eorum Ecclesiam eligat, vel jam electam non immutet, a jure strictissime vetitum esse sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, etiam sepulturæ effectu non secuto; eoque secuto ulterius Ecclesiam subjectam remanere ecclesiastico interdicto cum obligatione restituendi cadaver, & funeralia omnia emolumenta.

CAP. IX.

Parva Monasteria, in quibus non aluntur saltem sex Religiosi, nostræ subjacent jurisdictioni.

1. II qui in parvis Conventibus ob exiguum Religiosorum numerum commode ferre non valentem perfectam claustralium institutionum observantiam, visitationi, correctioni, ac omnimode jurisdictioni nostræ ex apostolicis decretis, etiam in iis, quæ regularem disciplinam concernunt, subjecti sunt, & præscripta in eisdem decretis, pluribusque responsis Sacræ Congregationis super statu Regularium ad illorum interpretationem emanatis, sedulo observare tenentur.

2. Quapropter iisdem sanctorum Pontificum sanctionibus inhærentes edicimus, ut in parvis Conventibus reipsa alantur sex saltem Religiosi probatæ vitæ, ex quibus quatuor ad minus sint Sacerdotes maturæ ætatis, scili-

ſcilicet quadrageſimum ætatis annum excedentes, alioquin ſecularizationis, vel ſubjectionis noſtræ juriſdictioni pœnis ad præſcriptum conſtitutionum apoſtolicarum, & præcipue s. mem. Innocentii X. reſpective ſubdentur. Superiores vero diligenter invigilent, ut ibi clauſtralem diſciplinam, ſilentium, chori miniſterium, ceteraſque proprii Ordinis conſtitutiones, quantum per numeri parvitatem licebit, ſolerter adimpleant.

CAP. X.

Quinam eligendi Judices conſervatores Regularium?

Regularium Ordinibus apoſtolica Sedes inter alia privilegia indulſit, ut ex iis, qui in Synodo conſtituti ſunt judices ſynodales, a Regularibus ſeligantur, ſeu deſignentur eorumdem privilegiorum judices conſervatores (*a*), ut in conſtitutione IX. Gregorii XV., cujus verba ſunt (*b*): *In futurum vero Sanctitas ſua hac generali, & perpetuo valitura conſtitutione ſtatuit & decrevit, ut judices conſervatores hujuſmodi ſive principales, ſive ſubrogati eligi, nominari, aut deputari non poſſint, niſi non ſolum habeant qualitates requiſitas, & deſcriptas in conſtitutione ſimilis recordationis Bonifacii Papæ VIII. etiam Prædeceſſoris ſui, quæ incipit* Statutum, *ita ut vel dignitate eccleſiaſtica præditi, vel perſonatum obtinentes, vel Eccleſiarum Cathedralium Canonici exiſtant, ſed etiam in conciliis provincialibus, aut diœceſanis juxta decretum Concilii Tridentini, judices electi, ſeu deſignati ſint;* & poſtquam ſequenti §. *6.* iterum Pontifex edixit, ne quiſpiam

(a) *Bullar. tom.* 4. *pag.* 80.
(b) §. 2.

in Conservatorem eligatur, qui non sit inter Judices synodales adscriptus, præcipit, ut nomina Conservatorum, quos Regulares selegerunt, curiæ Episcopali exhibeantur Romam dein transmittenda.

CAP. XI.

Cum deficiant Judices synodales, quisnam in Conservatorem eligi valeat, & quamdiu ejus vigeat jurisdictio?

UBi constitutos in diœcesi Judices synodales obire, & per longum temporis spatium nullam synodum coactam esse contigerit, cum æquum non sit Regulares suo sine culpa jure privari, poterunt quem maluerint ex subrogatis ab ordinario cum consensu Capituli, & non alium in Conservatorem assumere, modo non careat qualitatibus, quas Bonifacius VIII. (*a*) requirit, atque in reliquis omnia serventur, quæ a Gregorio XV. in sua constitutione, quæ incipit *Sanctissimus in Christo Pater* præscribuntur. Verum si postea synodus celebretur, in qua Judices synodales constituantur, statim cessat præfatorum Conservatorum jurisdictio, atque iterum juxta Gregorianam constitutionem adiguntur Regulares aliquem ex designatis in synodo eligere (*b*).

CAP.

(a) *Cap. Statutum in 6.*
(b) *Sacr. Congr. Conc. & præsertim Wladislav. 16. Januar. 1694. lib. 18. decretor. pag. 574. & in alia Ordin. Minor. Obser. die* 10. *Decemb.* 1661. *lib.* 22. *decret. pag.* 777. *a tergo.*

CAP. XII.

Quousque Conservatorum Judicum jurisdictio extendatur?

INnocentius IV. (*a*) statuit, Conservatores solum posse illos, quibus dati sunt, defendere a manifestis injuriis & violentiis: nec ad alia, quæ judicialem indaginem exigunt, suam posse extendere potestatem. Bonifacius VIII. (*b*) addidit, quod si in aliis quam in manifestis injuriis & violentiis se intromiserint, seu ad alia, quæ judicialem indaginem exigunt, suam extenderint potestatem, eo ipso per unum annum ab officio sint suspensi. Pars vero, quæ hoc fieri procurabit, sententiam excommunicationis incurrat. Concilium Trid. (*c*) decrevit causas criminales, & mixtas ad locorum Ordinarios, & non ad Conservatores pertinere, civiles vero a Conservatoribus posse cognosci, cum ii quorum privilegia tuentur, rei sunt, non si sint actores. Clemens VIII. & Gregorius XV. juris sanctiones renovarunt, omnesque literas apostolicas, quas Conservatorias vocant, contra earumdem sanctionum formas concessas revocarunt, & intra illarum terminos restrinxerunt.

CAP.

(a) *Cap. 1. de offic. & pot. judic. deleg. in 6.*
(b) *Cap. Hac constitutione tit. eodem.*
(c) *Sess. 14. cap. 5. de Reform.*

CAP. XIII.

Etiamnum Patres Societatis Jesu dictæ Gregorianæ constitutioni de eligendis Judicibus Conservatoribus subjiciuntur.

NOn amplius dubitandi locus relinquitur, quin Patres Societatis Jesu, idem est de aliis Regularibus, huic etiam Gregorianæ constitutioni in judicibus Conservatoribus eligendis subjiciantur, non obstantibus privilegiis auctoritate apostolica sibi concessis cum clausulis etiam specialibus, & amplissimis: quæ quidem fuerunt revocata, & ad terminos præfatæ constitutionis redacta (*a*).

CAP. XIV.

Nullus ne Episcopus quidem extra diœcesim in Conservatorem eligatur.

CUm ex prælaudata Gregorii XV. constitutione decernatur, nullum a Conservatore jus exerceri posse extra diœcesim, pro qua fuit deputatus, quandoquidem (*b*) præsto esse debet ad partes audiendas, & Regularium privilegia tuenda eodemmet in loco, ubi in discrimen vocantur, eligi nequit Conservator, qui alterius sit diœcesis, sed suus unicuique in eadem diœcesi adesse debet (*c*). Nec alterius diœcesis Episcopus in Conservatorem

(a) *Bulla 32. Innoc. X. in Bullario tom. V. in causa Angelopolitana ad 5. dub. apud Fagn. in cap. Sane il secondo de offic., & pot. judic. deleg.*
(b) *Nidus de Conservatoribus p. 2. num. 7.*
(c) *Monacel. tom. 4. pag. 22. num. 222. Passerin. in cap.* Hac constit. *n. 161. in fine de Offic. delëg. in 6. Barbosa de Offic. & pot. Episc. allegat. 106. num. 7. in fine.*

rem eligi valet; tales enim electiones sæpe a Sacra Cong. Conc. fuerunt improbatæ (a). Cumque iterum alienæ diœcesis Episcopi fuerit a Regularibus electio attentata, eadem Sacra Congr. (b) iterato dixit illam non sustineri (c).

CAP. XV.

Unus tantum minister a Conservatoribus eligatur.

PLures non posse a Conservatoribus deputari ministros decretum est in variis Sacræ Congreg. Conc. resolutionibus (d); & in particulari Congregatione a sanctæ mem. Clemente XI. deputata (e), cui tunc erat a Secretis, qui supremum nunc fauste Pontificatum gerit Benedictus XIV., decisum fuit, alios ministros a Conservatoribus assumi non posse præter unum Notarium (f).

TI-

(a) *Monaccl. tom.* 4. *pag.* 22. *num.* 232.
(b) *Die* 3. *Augusti* 1715.
(c) *Thesaur. resolut. pag.* 222. *inter selectas ab Anno* 1700. *ad annum* 1718.
(d) *In Faventina* 17. *Sept.* 1667. *lib.* 25. *decretor. pag.* 443. *& iterum in dubiis generalibus de Conservat. die* 28. *Januarii* 1679. *lib.* 30. *Decret. pag.* 249. *& sequent.*
(e) *Die* 20. *Martii* 1720.
(f) *Vide Bened. XIV. de Synod. diœcesana lib.* 4. *Cap.* 6. *num.* 6.

TITULUS IV.

De Theologali Præbenda.

CAP. I.

De ejus institutione, atque collatione.

SAcri Conc. Trid. decreto (*a*), ubi sancte salubriterque mandatur, ut in quibusvis Ecclesiis Metropolitanis, vel Cathedralibus Theologalis pro explicatione Sacræ Scripturæ præbenda constituatur, Ecclesia nostra Metropolitana jamdudum obsecuta theologalem præbendam instituit, & novissime per constitutionem Bened. XIII. felicis record. concursus per edictum publicum in ejus vacatione indicendus, & examen coram Ordinario, & quatuor Examinatoribus, ab iis, qui præscriptis qualitatibus instructi concurrere voluerint subeundum, ut in formali concursu digniori, & magis idoneo ab Examinatoribus renunciato, a Sede apostolica, sive a Nobis, & Successoribus nostris præbenda theologalis conferatur.

CAP. II.

Diebus quibus Canonicus Theologus legit in Ecclesia immunis est a chori servitio, & nihilominus distributiones lucratur.

CUm alio loco nonnulla de Canonico Theologo præscripta reperiantur, quæ mox innovamus & confirma-

(a) *Sess. V. Cap. 1.*

firmamus, inhærentes tamen declarationi Gregorii XIII., & Sacræ Congr. (*a*), diebus, quibus lectionem habet in Ecclesia, ut accuratius proprio muneri possit incumbere, immunem a chori servitio declaramus, ita ut iis diebus quotidianas lucretur distributiones, & licet absens ut præsens in choro censeri debet.

(a) *Apud Eminentiss. Petram tom.* 4. *pag.* 257. *num.* 54. *Fagnanus in cap. Licet de præb. & dignit. num.* 115. *Barbosa de Canonic. cap.* 24. *num.* 7. *& cap.* 27. *num.* 33.

TITULUS V.

De Pœnitentiaria.

CAP. I.

Quando, & a quo fuerit instituta, & quomodo conferenda.

PRæbenda Pœnitentiariæ de anno 1597. die vero octava mensis Decembris ad formam Sacrosſ. Concilii Trid. in nostra Metropolitana Ecclesia erecta fuit per Illustrissimum Archiepiscopum D. HANNIBALEM DE AFFLICTIS rev. mem., & collata semper probis Sacerdotibus ætate maturis, qui saltem quadragesimum annum attigerint, & Theologica facultate pollentibus, nunc ex constitutione s. mem. Benedicti XIII. in casu vacationis per concursum, & non aliter, quemadmodum in Ecclesiis Parochialibus, iis, qui in examine digniores renunciati fuerint, conferenda est. Et nos eam in mense nostro vacantem indicto concursu majori nostro Pœnitentiario per communia examinatorum suffragia approbato contulimus.

CAP. II.

Impiger suum munus exequatur Pœnitentiarius.

PRovisus de pœnitentiaria alacer obibit munus audiendi sacramentales confessiones in sede confessionali Ecclesiæ cathedralis sibi destinata, in qua nemo alius assideat, quotiescumque id populi exigat necessitas, & præsertim solemnioribus, & festis diebus. Quod si ex ali-

qua

qua causa actu audiendi confessiones in Ecclesia a choro absit, lucrabitur tamen distributiones quascumque, etiam Processionum, & alia emolumenta de anniversariis mortuorum, ac si personaliter adesset. Si vero absuerit, vel infirmitate detentus extiterit, alius Canonicus, qui per Nos fuerit subrogatus, & in tali munere in Ecclesia occupatus, quascumque distributiones & emolumenta adipiscetur eo modo quo Pœnitentiarius.

CAP. III.

De facultate nostri majoris Pœnitentiarii tum quoad confessiones, tum quoad casus reservatos.

1. Sciat Pœnitentiarius pro tempore sibi ratione præbendæ pœnitentialis, quam obtinet, tribui quidem facultatem absolvendi a peccatis, non vero a casibus sanctæ Sedi, vel Nobis reservatis, nisi ex speciali delegatione, eamque si quando obtinuerit etiam pro casibus a Trid. expressis cap. 6. sess. 24., caveat, ne utatur ad absolvendos illos, quamvis occultos, quos Sedes apostolica per bullam in cœna Domini, vel alias Tridentino posteriores, sibi reservaverit.

2. Attamen obsequentes menti Sacræ Cong. (a) indulgemus, ut Canonicus Pœnitentiarius sine differentia temporis, arbitrio tamen nostro duraturi, absolvere possit a casibus, quos vigore nostrarum synodalium constitutionum Nobis, ac successoribus nostris reservavimus, quos nna cum summario bullæ cœnæ in sede qualibet confessionali perpetuo affixos retineri mandamus sub pœnis arbitrio nostro.

(a) *S. Congr. 26. Novemb. 1602. apud Quarant. ver. Casus reservati in fin. & penes Nicol. Flos. eod. ver. num. 1. S.C.C. 17. Jun. 1597., & in Consentin. 2. Maji 1698. Rot. Rom. Neapol. Pœnitentiar. 5. Junii coram Merlin. 1637.*

PARS IV.

TITULUS I.

De Blasphemiis.

AGrum Dominicum vepribus refertum videre pastoralis solicitudo non patitur, & quantum laboris & studii iis eradicandis contulimus, atque bonum semen huc illuc per sacros etiam operarios fundentes, copiosam segetem, & fructum centuplum consequi sperabamus; sed terra tot licet laboribus culta, & sudoribus irrigata vitio suo adhuc spinas & tribulos, qui bonum semen suffocant, proferre non desinit; conviciosas blasphemias, quæ omnium maxima & gravissima sunt peccata in Deum, Dei Genitricem, & Sanctos tartareæ hominum linguæ evomere non erubescunt. Heu quam immane facinus!

CAP. I.

Quam grave scelus sit blasphemia.

1. BLasphemiæ crimen semper gravissimum est, sive per modum simplicis maledictionis, nempe cum maledicitur, vel execratur nomen Dei, aut alicujus Sancti, sive imprecando malum, vel optando carentiam alicujus boni; sive per modum convicii; primo quoties tribuitur Deo, quod illi non competit, aut removetur ab eo quod illi competit; secundo, quoties tribuitur creaturæ, quod soli Deo competit, aut tribuitur dæmoni magnitudo, aut sanctitas, quæ soli Deo debetur; sive per modum irrisionis, quoties dicitur Deo vel Sanctis ali-

aliquod verbum, quod ad injuriam vel irreverentiam tendit.

2. In Levitico (*a*) jusserat Deus blasphemos morte damnari, & a populo lapidibus impeti, & perimi: *Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur; lapidibus opprimet eum omnis multitudo:* neque hoc immunis erit supplicio blasphemus, licet advena foret, aut peregrinus, *lapidibus opprimet eum omnis multitudo, sive ille civis, sive peregrinus.*

3. Porro blasphemantium lingua est inflammata a gehenna (*b*), quoniam ejus idioma non modo ut ignis, sed tamquam flamma insilit; illud pueri ab ore majorum audientes, ab artificibus ministri, a senibus juvenes, a dominis famuli, filii a parentibus sine alio magistro ediscunt, & miseræ domus miserrimam in hac vita nanciscuntur opprobrii, & abominationis hereditatem, quam morientes, nisi prius tempestive intimo doloris sensu ad cœlestem medicum, cujus dexteræ omnis cedit plaga lethalis, & qui sanat omnes infirmitates, suppliciter adeant, inter damnatos, & dæmones afferent in abyssum, æternum daturi cum suis cruciatibus blasphemas cantiones, quæ sunt carmina damnatorum. *Nihil horribilius blasphemia, ait D. Hieronymus, omne quippe peccatum comparatum blasphemiæ levius est:* immo talis, & tantus blasphemiæ antiquitus (*c*) horror erat, ut proprio in sacris paginis raro admodum nomine appellaretur, quasi nuda hujus vox hominum linguas inficiendo sufficeret.

CAP.

(a) 24. 16.
(b) *Jacobi* 3. 6.
(c) *Isai. cap.* 18.

CAP. II.

Sanctum dæmonem appellare summe execrabilis est blasphemia, quam nec ipsi dæmones, nec reprobi proferre audent.

1. Quam maxime horridum & detestabile est, attributa, quæ ad Deum pertinent, in dæmonem transferre, eumque sanctum sanctissimum appellare, non desunt qui asserunt esse blasphemiam hæreticalem; hoc enim pacto blasphemantes Judæis assimilantur, quando dixerunt Christum ejicere dæmonia in Beelzebub, nam honorem debitum Deo transtulerunt in principem dæmoniorum. Immo sic blasphemantes, & nuncupantes diabolum sanctum quandoque sunt inter hæreticos computandi (*a*), cum esse sanctum sit solius Dei, & illius quem Deus vult, & decrevit, & fecit sanctum, & non diaboli qui nedum non est sanctus, sed inimicus & adversarius sanctitatis, & caput damnationis, & damnatio ipsa.

2. Hinc animadvertite, filii carissimi, quantum mali sit atrocissimo huic crimini obnoxium fieri, & sanctitatis titulum diabolo apponere, cum ne in Erebo quidem talis audiatur sermo, aut proferatur, nec unquam desperatæ illæ animæ, & infernales spiritus sanctorum nomenclatura se appellant, sed reprobationis, maledictionis, ærumnæ, ignominiæ, & desperationis nomina miserrime sibi vindicant.

CAP.

(a) *Valentia* 2.2. *disput.* 1. *q.*13. *p.*1. *Ricciullus Archiepisc. Consentinus, qui hujusmodi blasphemias inter hæreticales enumeravit:* Sanctificare nomen diaboli suapte natura est blasphemia hæreticalis, quia nulla ratione Sancti nomen meretur, estque derogativa honori Dei, cui soli, & Sanctis, quatenus cum eo considerantur, tale nomen debetur.

CAP. III.

Contra blaſphemantes etiamnum Sanctorum nomen, aut dæmonem ſanctum nuncupantes inuritur excommunicatio, quam in generali a reſervatis abſolvendi conceſſione, niſi ſpecialis facultas tribuatur, abſolvere nequit Confeſſarius.

HUic tam exitiali ſceleri enixius occurrere cupientes, tametſi alibi in albo reſervatorum cum excommunicatione deſcripſimus blaſphemiam nominis Dei, aut B. Mariæ Virginis; nunc addendam volumus blaſphemiam etiam Sanctorum, & illam qua diabolus ſanctus ſive integra ſive dimidiata, ſive æquipollenti voce proferatur, ſcilicet *ſanto dià*, aut *ſanto dii*, *ſanto diizzo*, *ſanto diantano*, *ſanto diantanone*, & ſimilia quacumque vice, etiam ſemel, & in quocumque loco ſive publico ſive privato pronuncietur, & quoties licentiam ſuper reſervatis alicui Confeſſario impartimur, non intendimus in illa hanc ſuper id genus blaſphemiis facultatem tribuere, niſi de ea expreſſa mentio in conceſſione fiat.

CAP. IV.

Laudatur zelus Divi Joannis Chryſoſtomi contra blaſphemos, quibus caſus nobis reſervati frenum apponimus.

QUemadmodum cunctos decet qui chriſtiano nomine gloriantur, cum blaſphemos audiunt zelo ſe munire, & ocyus occurrere ad manibus eorum ora, & quaſi januam, unde tot mala defluunt, occludendum, juxta monitum ſanctiſſimi Præſulis D. Joannis Chryſo-

ſtomi

ſtomi (*a*): *Obſtruamus eorum ora, & tamquam fontes mortiferos occludamus, ut penitus evaneſcant mala, quæ civitates comprebenderunt*. Sic Nos ſtricta reſervatione frenum apponere cenſuimus, ne atrociora crimina abſolutionis facilitate ſubmota, ut ſperamus, in poſterum admitterentur.

CAP. V.

Hæreticaliter blaſphemantes, ſi mente aſſentiuntur cum voluntatis pertinacia, ſunt Hæretici, & pœnis contra Hæreticos percelluntur. Qui vero ſciunt, aliquem bæreticaliter blaſphemantem, aut ſacras imagines lædentem, Ordinario denunciare tenentur.

ILlud norint Confeſſarii, quod proferentes blaſphemiam hæreticalem, ſi ſit conjuncta cum errore intellectus, & pertinacia voluntatis ſunt hæretici, & excommunicationem incurrunt ſummo Pontifici reſervatam in Bulla Cœnæ, & qui eos audiverint, vel certo ſciverint hæreticaliter blaſphemantes, Nobis, vel noſtro generali Vicario denunciare tenentur, quod ſi non denuncient, a nemine abſolvi poſſunt. Quod etiam de iis intelligitur, qui ad actum aliquem offenſionis, & contemtus contra ſacras imagines, ſeu figuras procedunt, atque etiam ut ſupra denunciandi ſunt.

CAP.

(a) *Homil. I. ad popul. Antioch.*

CAP. VI.

Non valens Confessarius casum de blasphemia, aliave materia resolvere, absolutionem differat, donec libros, aut peritiores consulat.

SI acciderit in confessione casus de blasphemia, quem in promtu Confessarius discutere & decidere nequit, comiter pœnitentem dimittat, & in aliud redire tempus hortetur, donec libros, aut magis peritos consulat sine periculo erroris. Quod & dictum sit de aliis alterius materiæ casibus, quorum non est illico tam facilis, & obvia resolutio, ut scilicet tempus capiat ad consulendum.

CAP. VII.

Ubi nec spirituales, nec temporales pœnæ blasphemos deterrent, Parochi, & Concionatores zelo exardescant, & indesinenter contra blasphemias verba faciant.

QUoniam neque spirituales pœnas ab ecclesiastica potestate inflictas, neque temporales a secularibus magistratibus constitutas, blasphemos ab hujusmodi reatibus compescendo satis esse timemus, non alium efficacem auferendi hanc pessimam plebis consuetudinem excogitare & invenire possumus modum, quamvis pluries inculcatum, videlicet si Parochi omnes, & concionatores incessanter prædicent contra blasphemias. Hic unicus est modus tale flagitium eliminandi, & experientia docemur, teste gravissimo authore (*a*), blasphemias,

(a) *Cleric. decis.* 114. *num.* 1. *& seqq.*

imo & perjuria in locis non audiri, ubi Parochi jugiter, & ferventi zelo prædicant adversus tales enormitates; e contra easdem vigere, Parochis tacentibus, in easque prædicando non insurgentibus. Parochos itaque, & Rectores Ecclesiarum tum civitatis tum diœcesis hortamur in Domino, iisque mandamus, ut prædicationi vacent, & contra blasphemias crebrius ab altari sermonem habendo populo satagant doctrinis, & exemplis timorem incutere, ut a prædictis linguæ piaculis emundetur.

C A P. VIII.

Expenditur utilitas & necessitas prædicationis maxime ad blasphemias eradicandas, & pro sermonibus habendis argumenta afferuntur.

1. UT diligentes Parochi magis ad prædicationem inflammentur, pigri autem excitentur, duo animadverti mandamus, utilitatem scilicet, & necessitatem prædicationis; utilitatem, quia verbum Dei est quasi malleus conterens petram, & duriora hominum corda liquefacit: *Emittet verbum suum, & liquefaciet ea* (*a*), vel ut ait D. Paulus (*b*): *verbum Dei est gladius potentissimus ad destruendas iniquitates. Vivus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti*, & ad ejus usum alibi Pastores animarum hortatur, dicens: *Assumite gladium spiritus, quod est verbum Dei.*

2. Quod spectat necessitatem, neminem latet, officium prædicandi muneri parochiali intrinsecus inhære-

re

(a) *Psal.* 147.
(b) *Ad Hebr.* 4. 12.

re (*a*), & Parochi inter præcipuas obligationes hanc habent prædicandi populis suæ Parochiæ (*b*), & quidem sub pœna peccati mortalis (*c*) duplici ratione, tum ex rigoroso præcepto sacrorum Canonum, & Conciliorum, tum quia prædicatio divini verbi est pabulum spirituale non minus necessarium animæ, quam sit corpori cibus materialis (*d*); & sermo domini dicitur panis cœlestis (*e*), quo subtracto, christianus populus dicitur pati famem & sitim (*f*), unde quemadmodum per subtractionem panis corporalis occiditur corpus (*g*) ita per subtractionem panis spiritualis occiditur anima (*h*). Eoque fortius Parochis, & animarum Rectoribus prædicationi incumbendum, præsertim contra vitium blasphemiæ, cum in sua Paræcia adhuc vigere compererint.

3. Argumenta autem pro eliminando hoc pessimo scelere ab auctoribus sumi possunt, & præcipue *dal Cristiano istruito del P. Segneri*, & a recens edito libro, cui titulus: *Opera contro all' abuso della bestemmia*, *tom. unico* (*i*). Sed pro majori Parochorum, & animarum Rectorum commoditate hic validiora aliqua subnectemus.

I. Quod benedicere Deum signum est prædestinationis ad gloriam, e contra maledicere, & blasphemare certum est signum damnationis, ut habetur in psalmis (k):

 Be-

(a) *Glos. in Clem.* 1. *de Reg.*
(b) *Cap. Quod Dei timorem* 5. *de Stat. Monach. Trid. sess.* 5. *de refor. cap.* 2.
(c) *Pax Jordan.*
(d) *Cap. Inter de off. ordin.*
(e) *Can. Jejun.* 2. *in fin.* 76. *dist.*
(f) *Cap. Audacter* 8. *qu.* 1.
(g) *Cap. Immolans* 14. *q.* 5.
(h) *Can. Ephes.* 43. *dist.*
(i) *Edito Neapoli.*
(k) *Psal.* 36. 23.

Benedicentes ei hereditabunt terram, maledicentes ei disperibunt; & in Levitico (*a*): *Homo qui maledixit Deo suo, portabit peccatum suum*, id est in aliam vitam moriendo sine pœnitentia.

II. Quod maximum est dedecus, & ignominia proferre blasphemiæ verba, & secundum leges humanas blasphemi sunt infames (*b*), & multo magis ex lege divina: *Qui contemnunt me erunt ignobiles* (*c*).

III. Quod in aliis peccatis aliqua est utilitas, aut delectatio, at in blasphemia nil aliud reperire est quam rabiem, indignationem, & malitiam: unde merito dicebat Apostolus (*d*) *blasphemia tollatur a vobis cum omni malitia*.

IV. Quod blasphemantes pejores sunt Judæis, qui ex malitia quidem, sed cum ignorantia prætereuntes blasphemabant eum (*e*), quia non credebant Christum Dominum cruci affixum esse filium Dei.

V. Quod blasphemi homines sunt filii diaboli: *Vos ex patre diabolo estis, & desideria ejus vultis perficere* (*f*); imo pejores diabolo, quoniam ipse blasphemat Deum ob tormenta in eum inflicta a divina justitia, ex qua glorificatur Deus: *Blasphemaverunt Deum* (*g*) *pro vulneribus suis*. At homines christiani Deum blasphemant, a quo innumera jugiter beneficia, gratias, & misericordias tum temporales, tum spirituales recipiunt: *Noli oblivisci omnes retributiones ejus, qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui*

(a) 24. *vers.* 15.
(b) *Grass. decis.* 2. *cap.* 20. *p.* 1.
(c) 1. *Reg.* 2.
(d) *Ad Ephes.* 4. 31.
(e) *Matth.* 27. 39.
(f) *Joan.* 8. 44.
(g) *Apocal.* 16.

qui sanat omnes infirmitates tuas, qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia, & miserationibus, qui replet in bonis desiderium tuum.

VI. Quod blasphemia non est solius privati hominis noxa, sed mortifero nocet veneno communitatibus, atque locis, & in civitates & populos atrociora invehit mala; hinc turbines & procellæ, ægritudines & mortalitates, paupertates & ærumnæ crebrius originem trahunt. Exploratum saltem est tria potissimum mala ex blasphemiis Justinianum recognoscere (*a*): *propter blasphemias*, inquit, *& fames, & terræmotus, & pestilentiæ fiunt.*

VII. Quod ab Ecclesia gravissima in blasphemum statuta erat pœnitentia spiritualis, ut septem diebus dominicis præ foribus Ecclesiæ in conspectu recumbens, ultimo illorum dierum dominico sine pallio, & calceamentis, corrigia ad collum alligata sedeat, Ecclesiam non ingrediatur, nisi sex feriis in pane & aqua jejunaverit, & singulis diebus aliquos refecerit pauperes (*b*).

VIII. Quod per leges civiles ultimo supplicio damnantur blasphemi (*c*); & S. Ludovicus Galliarum Rex blasphemos ignito sigillo ferreo in frontem bullari decrevit.

IX. Quod ut referunt historiæ ecclesiasticæ, & gesta Sanctorum, semper promta fuit ultrix divina justitia in blasphemos; unde inter alia hoc notandum exemplum. Narrat Bzovius, quod aliquando apud Lavinum amnem inter Bononiam, & Mutinam sub arboris umbra sole ardentissimo diversatus in itinere S. Philippus Benitius nonnullis blasphemantibus divinam ultionem prædixit, quæ illos statim, ut ab eis recessit, secuta est, nam ignis de

(a) *Auth. ut non luxurientur homines.*

(b) *Cap. 2. de maledict. Tolosan. Syntag. jur. particul. lib. 3. cap. 12. n. 5. Cleric. Miscell. decis.* 150.

(c) *Jul. Clar. §. blasphemia num.* 10. *& seq.*

de cœlo in modum turbinis descendens arborem cum illis prorsus absumsit.

CAP. IX.

Pia ad populum adhortatio de confestim, & palam benedicendo nomen Domini, cum aliquem audiat blasphemantem.

PIum hoc & salubre monitum Parochi, & Concionatores populo suggerant, & pro virili satagant, ut adducatur in praxim, videlicet: cum aliquis quoquo modo blasphemat, cuncti eum audientes facinus odisse, & execrari præseferant, ac Dei vilipendium lingua sese in Dei benedictiones effundente, quoad fieri potest, restaurent, elata, & reverenti voce dicentes: *Deo honor & gloria in secula seculorum;* aut vulgari sermone: *sia sempre lodato il SS. Nome di Dio, &c.* sic saltem publice exprobratus, & oppugnatus remanebit iniquissimus blasphemandi abusus, & feliciter fortassis eveniet, & blasphemi pudore, & confusione suffusi divini numinis opitulante gratia interius compungantur, & suorum criminum pœnitentiam agant, & resipiscant.

TI-

TITULUS II.

De Imprecationibus.

POstquam teterrimum blasphemiæ crimen oblongo sermone, sed nunquam satis præ ejus malitia, & gravitate detestati sumus, atque acrius oppugnare, & penitus evertere adlaboravimus; ad imprecationes & maledicta coercenda gradum facimus; & in primis eorum gravitatem, deinde pravos effectus, & justa supplicia, quibus etiam in hac vita Deus afficit imprecatores, ac denique remedia, quibus tam pernicioso malo obviam iri possit, indicabimus. Faxit Deus, ut nec blasphemiæ quæ Dei honorem lacerant, nec imprecationes, quibus mala exoptantur proximo, amplius audiantur.

CAP. I.

Qui grave malum advertenter proximo imprecatur, mortaliter peccat; nec facile inadvertentiam esse, aut animum deesse, ut illud eveniat, judicetur.

1. MAlum proximo imprecari, lethale peccatum est, quoties mali levitas aut inadvertentia in imprecando non excuset; sed de hac inadvertentia non ita facile fidendum, præcipue cum quis aliqua affectus injuria, ira incensus in afficientem imprecationes, & maledicta profert, & cumulat: quoniam posito passionis excessu, quo exardescit, & loquendi modo, quo imprecationes effundit, vix credi potest sic imprecantem non eas proferre serio, neque alteri ex corde illud malum optare ultionis causa.

2. Non

2. Non autem id regulariter suffragatur, quod imprecatores passim reponunt dicendo, ira se commotos in maledicta, & imprecationes, non autem odio, quo proximum prosequuntur, erumpere: spectato enim in praxi citra modum impetu male precandi, facile evenit, ut ira in odium saltem actuale vertatur, & verborum strepitus, qui sonantem potius in pluviam desinere debebat, grandine refertam pluries male definit in procellam: illa enim commotio plerumque non est adeo vehemens, ut advertentiam, & omnem prorsus mali cognitionem impediat, adeoque malum, quod quis in ea perturbatione precatur, culpa non caret.

3. Nec sint adeo faciles Confessarii judicando, iis, qui maledicta in alios ejaculantur, animum deesse ea cum effectu completa videndi, etiamsi filiis parentes, fratres, sorores, aut alii inter se cari, diras imprecantur, quoniam solerter inquirendum, an actu, quo quis alicui male precatur, ex animo optaverat, licet ad se postea rediens, quod precatus malum nollet evenire; sufficit enim eo vel transeunte actu exoptasse. Et quemadmodum si quem nuper emissi voti pœniteat, non est satis indicii ex voluntatis deliberatione votum non processisse, cum unicus ad votum sufficiat consensus, licet postea consensus ipse displiceat: sic parentum, consanguineorum, aliorumque post effusas imprecationes pœnitudo, signum est, se in quiete admissum percipere malum, at non semper indicat, se nec vidisse, nec voluisse malum, quod admiserunt. Porro si postquam aliquis sclopum exoneraverit factum dolens mittat desiderium igneo dicens globulo, ne occidas, non erit propterea immunis a culpa, si exoneravit injuste.

CAP.

CAP. II.

Imprecatores Deum summe dehonestant, quem lictoris partes efficere pertentant.

NOn est silentio prætereundum maximum dedecus & injuria, qua Deum lacessunt, qui ira eum accensi exorant, ut alii necem, alii vulnera, alii febrim, alii quid simile mittat. Quid enim est hoc, quam judicum partes sibimetipsis adsciscere, & Deo tortoris munus concredere? Norunt omnes, quod Judex nullum interficit, quamlibet reum, sed jubet occidi, & cædem carnifex executioni demandat. Audiamus hac de re verba, & sensum D. Augustini (*a*): *Judex homo per seipsum reum non occidit, Judex dicit occide, & tortor occidit*. Quoties ergo ad Deum clamatis, ut morte Deus vestrum afficiat adversarium, vultis Deum è suo gradu descendere, & vilem agere mortis executorem, quo quid Deo injuriosius? *Et tu*, subdit idemmet Augustinus, *& tu quando dicis Domino: occide inimicum meum, te facis judicem, & Deum quæris esse tortorem*. Merito apud Isaiam (*b*) conqueritur Deus, exprobratque, dicens: *Servire me fecisti in peccatis tuis*.

(a) *Serm. 4. de S. Steph.*
(b) 43. 24.

CAP. III.

Imprecationum malitia augetur ratione ſcandali, quod aliis præſertim audientibus parvulis affertur.

1. EXcreſcit amplius maledictionum nequitia, nedum propter injuriam Deo irrogatam, ſed propter ſcandalum, quod audientibus datur, potiſſimum liberis, qui hæc nequiſſima exempla maxime parvuli capiunt, & ediſcunt a parentibus; quod proprium eſt puerorum a teneris annis majorum exemplo, quod præ oculis habent, ſe conformare. Hinc quandoque accidit, & o utinam ſæpe non accidat! ut pueri, qui Apoſtolorum Symboli ne medietatem quidem recitare ſciunt, maledictiones contra ſibi inclamantes jacere, diabolum vocare, ut eos ſecum ad tartara ferat, ipſumque Deum alloqui, ut manus, pedes amputet, linguam exſiccet, morti tradat, perfecte calleant.

2. Nec aliunde tot malorum origo quam ora parentum, qui proni ad iram in ſuis contentionibus eam temperare aſpernantes imprecationum virus evomunt, & profundunt. Quodque auditu magis eſt horridum, cum inhoneſta ac turpia verba, quæ citra pudorem etiam meretricibus coram proferri nequeunt, ſuis imprecationibus libere admiſcere non erubeſcunt.

CAP.

CAP. IV.

Parochorum zelus contra imprecatores assurgat, & præcipue contra parentes, ne filiis mala precentur, cum ea aliquoties sinat Deus mala evenire.

1. FOrti animo, & pastorali zelo opportune, importune inter Missarum solemnia in doctrinam christianam edocendo, in catechismi explicatione, aliisque piis colloquiis contra hocce vitium exardeant Parochi, & crebrius inclament, erudiant, corripiant eas præcipue matres, quæ in parvis defectibus corrigendis maledictionum turbinem in teneros, innocuosque pueros sine intermissione egerunt; eoque deterius propterea quod tenella ætas rationis expers una cum lacte, & cibo improbis matrum imprecationibus imbuitur. Et quæ erit parentum excusatio? dicent fortasse aliter facere se non posse, ita esse assuetas, & iracundia commoveri. At si Deus propter parentum nequitiam filiis faciat mala illa evenire, quis dolor, angustia, & cruciatus parentibus erunt? Verum quidem est, quod filius non portabit iniquitatem patris *(a)*, quod *(b)* intelligitur de pœna, quæ animam spectat: quandoquidem filii ob parentum delicta in seipsis non puniuntur, nisi forte ad ipsa aliquo modo concurrant. De pœnis autem corporalibus non ita, quin plura tum in sacra pagina, tum in sacris historiis reperiuntur exempla filiorum, qui non sua, sed parentum iniquitate corporaliter puniti sunt. Et ad rem, innumeris prætermissis unum juvat ad patres, matresque deterrendas exemplum afferre, ut ab

 hu-

(a) *Ezechiel.* 18. 20.
(b) *Ex D. Thoma prima* 2. *quæst.* 81. *artic.* 2.

hujusmodi imprecationibus abstineant, ac filiorum bono prospicere, promovere, & apprecari studeant.

In villa districtus civitatis Lucæ per impatientiam mulier puellæ suæ octenni sæpius dicebat: *Va che ti mangino i lupi*. Quodque mater filiæ suæ dictitabat, actum est. Cum enim puella die festivo, dum parentes Ecclesiam sacrum audituri perrexerant, sola domi remanserit, lupa è lustro, quod non procul aberat, egressa puellam sine comite ante porticum intuens arripuit, dilaniavit, corporis medietatem evoravit, aliamque ad proximam specum, ut suos catulos recens natos cibaret, secum attulit: peracto sacro domum reversi parentes, cum eam non viderent huc illuc dolentes gradiebantur, ut invenirent; at ecce dum quærunt, recentis vestigium in via relictum quod ducebat ad antrum cruoris aspiciunt, quodque prosequentes sanguinolentam prius invenerunt & laceram filiolæ vestem, postea ulterius lupæ cavernam, ubi inter lupinos catulos erat portio capitis, aliæque illius puellæ insontis reliquiæ, reæ non per seipsam, sed solum quatenus orta fuerat a matre, cui lingua fuit male morata. Cruciatus hic fuit pro puella miseratione refertus, cum facile Deus tenella ætate eam ad se vocaverit, ne adulta reum matris suæ morem addisceret, & maternum imprecandi exemplum imitaretur. Verum pro matre justa fuit severitate plenus, ut ipsa quoque perciperet sua majorem opinione esse linguæ suæ prætergredientis excessum.

CAP.

CAP. V.

Filii parentibus obsequantur, eorumque valde timeant imprecationes.

ADmonendi pariter filii, ut genitores revereantur, & sint obsequentes, neve eos malefactis exasperent: si enim in filios parvulæ ætatis Deus animadvertit, eo quod eos genitores impetunt maledictis, quin rudem infantiam, innocentiamque respiciat, eo majoribus erunt digni suppliciis grandiores, qui paternis fuerint maledictionibus exagitati. Hoc quidem facit Deus ad tuendam in patribus honorabilem sibique similem, quam elargitus est cum nomine auctoritatem.

TITULUS III.

De Superstitionibus.

AD insanarum mulierculartum, & scelestorum hominum, qui variis superstitionum generibus implicantur, pravas corruptelas eradicandas, neve in posterum simplicitatis, & ignorantiæ velamine tanti sceleris quispiam prætexere valeat excusationem, Parochis districte injungimus, & Concionatores, aliosque pios Sacerdotes monemus, ut sæpius in catechismis, & moralibus ad populum sermonibus clare, & ad ejus captum superstitiones explicent, damnent, & execrentur. Quod si post Parochi, aut alterius pii viri instructionem, & admonitionem compertus fuerit aliquis, sive vir, sive mulier, qui in hocce crimen labatur, præter mortalis peccati reatum, aliasque pœnas contra eum, sive eam, prout juris est, procedetur.

C A P. I.

Nonnulla referuntur, quæ superstitiosa sunt, sive ex pacto explicito, sive implicito cum dæmone, quamvis res, aut verba sacra adhibeantur; secus est, si nulla in rebus sacris, aut verbis vana circumstantia adnectatur.

1. FAlsa miracula prædicare, vel scriptis tradere, falsas reliquias adhibere, propria authoritate aliquid proponere tamquam institutum a Deo, vel ab Ecclesia, quod reipsa non est, superstitiosa sunt ex parte modi

modi colendi Deum cultu falso. Die Sabbati non nere in honorem alicujus Sancti, interim alia servitia facere: excepto pane, aliis cibis vesci: orare, adhibito certo numero, situ, colore cereorum, sunt etiam superstitiosa ex parte modi colendi Deum cultu superfluo.

2. Expresse dæmonem invocare, seu cum eo pacisci, vel aliquid usurpare, per quod putatur dæmonem cooperari, vel media vana, & improportionata adhibere ad occultorum notitiam, ut cum quis cupit furem cognoscere invertendo cribrum &c., aut proferendo certa verba; tunc talis notitia nonnisi a dæmone expectari potest, cum liqueat ejusmodi signa vana a Deo non esse instituta, nec a bonis Angelis exhiberi, nec habere connexionem naturalem cum illa; quod est gravissimum contra virtutem religionis peccatum per illam invocationem, & societatem implicitam cum dæmone jurato Dei hoste: unde D. Paulus (*a*) prohibet fideles fieri socios dæmoniorum; & S. Augustinus (*b*) ait, *omnem societatem dæmonum tamquam pestiferam esse fugiendam*.

3. Cum media vana, inutilia, & improportionata adhibentur ad aliquem effectum obtinendum, tunc non potest effectus expectari, nisi a dæmone, cum Deus rebus vanis se non immisceat, ideoque tunc est saltem tacita dæmonis invocatio, & cum eo pactio, vana observantia, & superstitio, ut evenit, cum ad sanandos morbos hominum, vel animalium, aut vitam, ac valetudinem conservandam adhibentur media vana, & per se inania, ut certa signa, nomina ignota, cæremoniæ inanes, certæ figuræ, numeri, characteres ignoti &c., aut etiam remedia naturalia, quibus aliqua frivola, seu vana adjun-

gun-

(a) 1. *Corinth.* 10.
(b) *Lib. de doctrina Christiana Cap.* 13.

guntur tamquam necessaria, ut herbæ collectæ in vigilia Ascensionis, aut Sancti Joannis Baptistæ &c., aut etiam adhibentur preces, verba sacræ Scripturæ, gestatio reliquiarum, vel schedarum verbis Evangelii inscriptarum cum vana circumstantia, ut si inserantur aliqua falsa, apocrypha, incerta, aut verba ignota, ineptave, vel si vis, & efficacia precum constituatur in modo eas scribendi, vel proferendi, aut in tali charta, tali figura, tali hora, vel si preces, verba sacræ Scripturæ, gestatio reliquiarum adhibeantur cum certa persuasione obtinendi sanitatem, aut alios effectus, puta non moriendi sine Confessione, vitandi infortunii &c., vel cum res, aut verba sacra adhibentur, ut moveatur annulus, effodiatur thesaurus, inveniantur res perditæ &c., nam virtus divina non efficit vana & inutilia, & ideo ista referuntur saltem tacite ad dæmonem, qui maxime cupit rebus, vel verbis sacris honorari.

4. Non sic autem se res habet, si aliquis secum ferat verba quædam ex sacris literis desumpta, aut alia sacra nomina v.g. Evangelium Sancti Joannis, nomen Jesu, & Mariæ, aut alicujus Sancti: hoc enim, dummodo nulla intercedat vana circumstantia, vel in modo scribendi aut ligandi, vel in characteribus, aut figuris aliquibus adjectis, vel similibus licitum est, & pium, & cum reverentia fieri potest, & cum spe aliqua de divino propter illa auxilio obtinendo. Valent enim hæc & contra maleficia, & contra morbos, ut docet D. Augustinus (*a*). Quod ergo dicit Apostolus (*b*), *Evangelium virtus est in salutem omni credenti* non solum intelligi potest, quia sit virtus, & causa instrumentalis salutis & vi-

(a) *Tractatu 7. in Joannem.*
(b) *Ad Romanos I. 16.*

vitæ futuræ, sed etiam quia causa sit salutis corporalis pie susceptum, & a fidelibus delatum, ut enim ait D. Thomas (*a*): *Non minoris efficaciæ est verbum Dei scriptum, quam reliquiæ Sanctorum*; si ergo istis utimur ad salutem, etiam uti licet verbo Dei scripto. Sic de Beata Cæcilia legimus, quod semper Virgo illa devota Evangelium Christi gerebat in pectore, ut scilicet per illud & ab adversis custodiretur, & ad martyrium, aliorumque conversionem sibi fortitudinem conciliaret. Similiter de Sancto Barnaba habemus sub Zenone Imperatore repertum fuisse in Cypro corpus ejus ad pectus habens Evangelium Matthæi Barnabæ manu conscriptum; videtur vero secum sepeliri voluisse, ut illud servaret quasi pignus cœleste resurrectionis in Evangelio promissæ. Est quoque inter fideles alicubi consuetudo gestandi Evangelium S. Joannis, quod duplici fieri potest ex causa; tum quia virtutem habet contra maleficia, ut ipse Ecclesiæ usus approbat, frequenter illud legens, & super maleficiatos lectitari decernens, tum quia est brevis fidei nostræ confessio, ac principalium mysteriorum testificatio.

5. At vero species superstitionis, & vana observantia est primam vocem, vel primum hominem advenientem attendere, ut maritus cognoscatur, icteritiam, aliumve morbum sanare, adhibito quodam filo; nolle inter tredecim convitatos ad mensam sedere; gladium percussoris medicamentis fovere, & absentem vulneratum sanare; vel cum quis ex eventu fortuito conjicit aliquid prosperi, aut adversi, & inde actiones suas moderetur, ut si quis mane domo exiens pede offendat, & ideo domum revertatur timens aliquid infausti; vel si quis cre-

Ddd dat,

(a) 2. 2. q. 76. a. 4. ad 3.

dat, aliquos dies esse infortunatos, nempe dies Veneris &c., ideoque iter non aggrediatur, ut alia negotia omittat, alios vero dies faustos, quibus ea conficiat, quod vetitum est cap. *Quis* (*a*); nam cum ista nullam habeant vim naturalem, vel supernaturalem ad ea adversa, vel prospera annuntianda, nec cum illis connexionem, observantur, ut signa vana, quibus cooperatur dæmon, ut animas hominum talibus vanitatibus implicet, & a Deo ac virtutibus avertat.

6. Nec valet eorum effugium, nec sunt ab omni superstitione immunes, cum protestantur se omni pacto cum dæmone renunciare, & interim vana, & superstitiosa adhibent, quia reipsa faciunt contra suam protestationem, hoc ipso quod mediis vanis, & superstitiosis utuntur; etenim facto ipso opem dæmonis implorant, & volunt tacitum pactum volendo uti rebus vanis, & improportionatis ad aliquid obtinendum, cum illud expectari nequeat, nec obtineri, nisi a dæmone, qui solus talibus rebus cooperatur, & se immiscet: protestatio autem facto contraria nihil excusat, & est illusoria.

C A P. II.

Somniis haud facile credendum ob diabolicæ deceptionis periculum.

1. DE somniis nosse oportet quod licet aliqua somnia a Deo possint immitti; qui tamen facile & temere somniis credit, non excusatur a noxa, etsi dicat, se credere esse a Deo; quia periculo dæmoniacæ deceptionis se exponit, & quantum est ex se vult illis credere

(a) 26. *quæst.* 7.

dere etiamsi a dæmone sint: *multos enim errare fecerunt somnia, & exciderunt sperantes in illis* (*a*). Quando autem somnium ad peccatum, vel ad aliquod imprudens, aut vanum impellit, aut post somnum homo remanet animo turbato, & minus promto, ac propenso ad opera virtutum, certum est illud non esse a Deo.

2. Itaque divinatio per somnia, cum quis illis utitur, quasi certis regulis ad cognoscendum, vel omittendum aliquid circa vitæ christianæ, aut civilis officia, aut circa futura libera, est mortale peccatum superstitionis: nam his somniis se immiscet diabolica deceptio, & sic tacita cum dæmone initur societas. Hinc graviter prohibetur a Deo (*b*): *Non augurabimini nec observabitis somnia. Nec* (*c*) *inveniatur in te, qui observet somnia &c. omnia enim hæc abominatur Dominus*.

CAP. III.

Maleficia non aliis tollenda maleficiis, & in eorum absolutione caute procedant Confessarii.

1. IN maleficiis semper adest pactum sive expressum, sive tacitum cum dæmone aliis nocendi, sive ea sint venefica ad proximum damnificandum, aut in corpore dolores, & infirmitates inducendo, aut in bonis exterioribus ventos, grandines, & tempestates ope dæmonis excitando, quibus animalia interimantur, arbores eradicentur, domus subvertantur &c., certum est enim dæmonem ista, & similia (Deo ita permittente) posse effi-

(a) *Ecclesiast.* 34. 7.
(b) *Levitici* 19. 26.
(c) *Deuteronomii* 18.

efficere, ut liquet ex cap. 1. & 2. lib. Job, ſive ea ſint amatoria, quæ fiunt ad captandas delectationes carnales; quæ tamen vim non habent, ſi de omnimoda voluntatis coactione loquamur, ad cogendos homines, ut perſonas ament, etiam inviti, ſed tantummodo poſſunt perturbare imaginationem, concitare humores, & corpus œſtro quodam libidinis vexare, unde oritur gravis tentatio, quæ libertatem non adimit: quare qui philtro infecti in rem veneream conſentiunt, vere peccant mortaliter.

2. Quomodo autem tolli poteſt maleficium, non eſt cur alio maleficio, vel ſuperſtitione tollatur, cum ſit intrinſece malum invocare dæmonem, vel ad id cooperari; ſed exorciſmis, oratione, pœnitentiis, jejuniis, & aliis pietatis operibus, remediis ex medicina petitis, deſtructione, ſeu combuſtione ſignorum, quibus annexum eſt pactum cum dæmone.

3. Quoad abſolutionem tandem cauti ſint Confeſſarii, ſi eis ſit facta facultas, ne eam impendant ſuperſtitioſis & maleficis, niſi omne pactum cum dæmone, & commercium abjurent, ac diſſolvant, & omnia ſigna, artis magicæ inſtrumenta, libros, ſchedas, ligaturas comburant, & damna illata reſarciant; quod ſi chyrographum dæmoni dederint, non eſt neceſſe illud ab eo extorqueri, nam ad ejus deſtructionem ſufficit pœnitentia.

TITULUS IV.

De Crimine falsi, sive perjurio.

FAlsi crimen sive perjurium grave scelus est, & in lege, & in Prophetis, & in Evangelio prohibitum, & maximam reipublicæ christianæ perniciem affert. Falsus enim testis tres *(a)* personas offendit, Deum, judicem, & proximum, atque in morali se constituit impossibilitate resipiscendi, & a Deo veniam obtinendi, quoniam sine eaque difficillima retractatione perjurii, damnique refectione eam consequi nequit.

C A P. I.

Quis sit Testis perjurus?

TEstis in judicio interrogatus, si mendacium dicat, sive celet veritatem *(b)* perjurus est, & pœna falsi tenetur. Hinc damnandi sunt, qui ut reis faveant celando eorum delicta in judicio criminali perjurii se reos minime esse opinantur; non enim minus reus est, & qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit. Hoc Parochi, & Catechistæ populos doceant, atque ex eorum mentibus falsam illam opinionem penitus ejiciant, disertisque verbis declarent, in illo casu committi perjurium, & gravissimum piaculum, a quo falsa pejerantium pietas non excusat.

CAP.

(a) *Capitul. Falsidicus de crimine falsi.*
(b) *Capitul. Falsidicus de crimine falsi.*

CAP. II.

Fertur excommunicatio nobis reſervata tam contra deponentes falſum in judicio, quam contra conſulentes, aut quomodolibet cooperantes, effectu ſecuto.

UT hoc exitiabile crimen, quod adhuc ſerpere in noſtra diœceſi non ſine magno animi noſtri mœrore comperimus, quantum ex alto tribuitur, oppugnare pergamus contra falſum in judicio deponentes pœnam excommunicationis latæ ſententiæ nobis reſervatam, ut alibi edidimus, imponimus, confirmamus, & innovamus, eamque adverſus eos extendimus, qui ad falſum deponendum in judicio civili, vel criminali per ſe, vel per alium conſuluerint, vel quoquo modo cooperati fuerint, ſecuto tamen effectu.

CAP. III.

Jusjurandum comitari debent veritas, judicium, atque juſtitia, quod crebro explicent Parochi, & jurandi conſuetudinem rationibus, mediiſque etiam præſcribendis tollere ſatagant.

1. CUm ſicut accepimus peſſimus ille adhuc vigeat abuſus apud viros, & mulieres infimæ conditionis ſæpenumero jurandi ob res leves, & cum periculo pejerandi, licet nos alias eum evellere conati ſimus; ideo validioribus nunc rationibus, & magis aperta explicatione confutamus, & declaramus a jurejurando veritatem, judicium, & juſtitiam minime disjungendam. Primo igitur cum deeſt juramento veritas, quamvis res jurata ſit quamlibet levis, mortale perjurii peccatum committitur

tur (*a*). Secundo si in juramento adsit veritas, non tamen necessitas, & gravis causa jurandi, culpa ut plurimum est venialis. Tertio si juramentum non est de re licita & honesta, semper est mortale peccatum, sic autem jurans tenetur illud non adimplere, quia juramentum non est vinculum iniquitatis (*b*).

2. Ad perniciosam vero juramentorum, quæ passim, & non sine doloris sensu audiuntur, consuetudinem auferendam utantur Parochi, & præ manibus habeant D.Thomæ doctrinam (*c*) ubi ait, *quod quamvis juramentum sit licitum, non est tamen de genere bonorum, quæ sunt per se bona, & appetenda, ut oratio, & eleemosyna &c. sed tantum illorum, quæ bona sunt, & appetenda, posita aliqua necessitate, sicut medicina, quæ nonnisi premente ægritudine prodest: unde similiter juramentum, cum sit veluti remedium, quod in fidei humanæ defectum assumitur, nonnisi raro, & urgente necessitate usurpandum est;* quo sensu dicit Christus Dominus (*d*): *Ego autem dico vobis non jurare omnino, neque per cœlum, neque per terram &c.* quæ verba sic explicat S. Augustinus. *Ita ergo intelligitur præcepisse Dominum, ne juretur, ne quisquam sicut bonum appetat jusjurandum, & assiduitate jurandi ad perjurium per consuetudinem dilabatur. Quapropter qui intelligit non in bonis, sed in necessariis jurationem habendam, refrænet se quantum potest, ut non eo utatur nisi ex necessitate &c.* Hinc nemo non videt, quantum mali sit juramentis assuescere, per quæ via

(a) *Cap. Animadvertendum* 22. *q.* 2.
Ex propositione 24. *damnata ab Innoc. XI.*
(b) *Cap. Quanto de jurejurando.*
(c) *Quæst.* 89. *a* 5.
(d) *Matth.* 5.

TITULUS V.

De Indulgentiis.

CAP. I.

Indulgentiarum notio, & usus affertur.

1. THesauri nomine Indulgentias appellat Clemens VII., iis verba Sapientiæ (a) attribuens: *Infinitus thesaurus est hominibus, quo qui usi sunt participes facti sunt amicitiæ Dei*. Thesaurus hic ex Christi Domini satisfactionibus, ac Beatissimæ Virginis, & Sanctorum, quibus ipsi sæpe non indiguerunt, conflatus est, & Ecclesiæ relictus, fidelibus populis a Pontificibus per Indulgentias caute distribuendus pro relaxatione pœnæ temporalis, peccatis actualibus quoad culpam jam remissis, coram Deo adhuc debitæ: cum enim Christus Dominus nulla per se satisfactione eguisset, utpote qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus, satisfactiones suæ, & passiones in sinu Ecclesiæ repositæ sunt, & cum infiniti fuerint valoris, toti mundo, & infinitis si darentur, reconciliando sufficiunt, immo vero cum una sanguinis ejus gutta propter unionem ad Verbum pro totius humani generis redemtione sufficere potuisset, copiosum tamen profluvium dedit, dicente D. Bernardo, *quod gutta potuit, voluit unda*. Hac ergo superabundanti satisfactione per tot passiones, & opera pœnalia, & plusquam satis ad exhaurienda totius mundi peccata tam secundum culpam, quam secundum pœnam, Christus Domi-

(a) *Cap.* 7.

minus infinitum thesaurum militanti Ecclesiæ comparavit, quo posset in finem usque seculi uti, sive ad culpas redimendas in Sacramentis, sive ad debitum pœnæ temporalis relaxandum in Indulgentiis.

2. Huic thesauro sive cumulo satisfactionum Deiparæ, omniumque electorum a primo justo usque ad ultimum satisfactiones augmentum præbent, & quamvis thesaurus hic sit infinitus ex vi satisfactionis Christi in actu primo & intensive, satisfactionibus tamen Sanctorum extensive crescere nihil vetat, & ita voluit Christus suos Sanctos honorare satisfactionibus suis illorum passiones in hoc etiam thesauro copulando, ut illæ quoque aliis applicari queant.

3. Multi Sanctorum plurima passi sunt, & multo majora quam propriis erant debita peccatis. Quid peccavit Joannes Baptista qui fuit sanctificatus in utero, & nesciens labem nivei pudoris maxime austeram in deserto vitam pœnitentiis, assiduisque prædicationibus egit; conjectus tandem in carcerem, abscisso capite, martyrio coronatus est? Quanta pertulerunt Anachoritæ, Virgines, Episcopi, innumerique præcipue Martyres, illique omnes, de quibus Apostolus ait (a): *Alii lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt.* Beatissima Virgo nullo peccato ne veniali quidem maculata quot sustinuit cruciatus, & quoties doloris gladius animam ejus pertransivit?

4. Hoc est satisfactionum caput, ex quo Ecclesiæ thesaurus efformatur, thesaurus qui non deficit, nec minuitur, thesaurus sine defectione, ponens in thesauris abyssos; atque hinc promuntur indulgentiarum opes, per quas consortes efficimur redituum quos Christus Dominus, Beatissima Virgo, & omnes Sancti moriendo amplissime reliquerunt.

5. Pri-

(a) *Hebræor. II.*

5. Primordiis Ecclesiæ nascentis aliquis cœpit, quamvis non ita frequens, & solemnis ob persecutiones, quas patiebantur Christiani, indulgentiarum usus; tunc enim non ita poterant solemnes fieri fidelium conventus, & congregationes, sicut modo videmus in jubilæis, & similibus indulgentiis, quibus populi convocantur, aut invitantur ad festivitates Ecclesiæ, & Sanctorum solemnitates; deinde quia adhuc calente, & in cordibus fidelium bulliente Christi sanguine, ut loquitur D. Hieronymus, adeo perfecti erant primi Christiani, ut vix egerent indulgentiis, adeo constantes, & firmi in gratia, ut vix mortale peccatum admitterent, adeo caritate ardentes, ut etiam ultro martyrio se offerrent. Cum ergo non ita opus haberent, augendo potius hunc thesaurum se addicabant, frequentius & largius tempore indigentiæ tepidorum Christianorum postea referandum; porro cum quis tunc mortali peccato erat obnoxius, imo etiam minori gravissimas, ac diuturnas sibimet pœnitentias imponebat, aut impositas secundum Canonum censuram exequebatur; unde non ita facile per indulgentias relaxatio concedebatur.

6. Decursu temporis tamen, abundante malitia, & refrigescente caritate, ecclesiasticus ille rigor temperatus est, asperæ illæ pœnitentiæ relaxatæ per indulgentias, quas cœpit Ecclesia filiorum necessitatibus compatiendo, sæpius & uberius elargiri, & modo concedit indulgentiam centum, vel septem annorum, & ulterius certi numeri dierum, per quod non designatur remitti totidem annos, aut dies de pœnis Purgatorii, sed totidem annos, aut dies de pœnitentiis per sacros Canones injunctis; adeoque indulgentia septem, aut centum annorum tantum tollit durationis pœnæ Purgatorii, quantum tolleret pœnitentia, quæ septem, aut centum annis juxta veteres Cano-

nes, & prudens Sacerdotis arbitrium peragenda foret, si vita humana ad id usque tempus se extenderet. Quanta autem hæc sit pœnæ remissio, nemini notum sit, nisi Deo. Modo plenariam erogat indulgentiam, per quam omnis omnino pœna peccatis debita remittitur, a qua non differt indulgentia Jubilæi, nisi in peculiaribus privilegiis, nempe absolutionis a reservatis, dispensationis in quibusdam votis, electionis Confessarii, & similibus. Nonnumquam datur indulgentia tertiæ, vel quartæ partis, vel alterius partis peccatorum, per quod innuitur remissio pœnæ illi parti peccatorum debitæ, & similiter remissio pœnitentiæ, quæ ad illam expiandam necessaria foret. Aliquando tribuitur indulgentia unius quadragenæ & denotatur remissio pœnitentiæ exolvendæ quadraginta diebus continuis in jejuniis, quibus tantum pane, & aqua vesci liceret; unde hoc jejunium *carena* dicebatur a carendo cibo & potu, hominumque commercio. Itidem indulgentia carena erat, qua tale jejunium remittebatur, sicuti indulgentia septena, qua remittebatur pœnitentia septem annorum.

7. Ut autem indulgentias quis acquirat, status gratiæ requiritur, non enim pœna remitti potest, ni fuerit remissa culpa: unde qui in mortale peccatum lapsus est, oportet, ut prius a peccato resurgat, & pro majori securitate congruum esset opera in Brevi indulgentiarum a Pontifice injuncta a confessione semper adoriri; quod si secus eveniet, postremum saltem opus injunctum in gratia præstandum est; id quod ad indulgentias adipiscendas est necessarium: omnia autem opera in statu gratiæ implere est securius.

At vero nedum peccatum mortale, sed etiam veniale impedit jubilæi aut alterius indulgentiæ consecutionem, quoniam non remittitur pœna eidem peccato veniali

niali non remisso debita (*a*), quamvis remittatur vi indulgentiæ plenariæ pœna debita aliis venialibus, & mortalibus remissis : unde qui est in peccato veniali impedimentum ponit, ne illa indulgentia sit ei absolute plenaria: consultum ergo est, dum ultimum ponitur opus injunctum omne studium, & conatum intendere ad eos actus exercendos, quibus venialia omnia remittantur, ut omnimode plenaria indulgentia obtineatur.

8. Quod spectat intentionem indulgentias consequendi, in praxi sanius consilium est habere intentionem actualem, vel virtualem intendendo lucrari indulgentias operibus persolvendis annexas.

9. Circa visitationem Ecclesiæ in concessione indulgentiarum præscriptam cum requiratur devotio, noveritis, devotionem requisitam in eo consistere, quod visitatio ordinata sit in Dei cultum: devotio enim est voluntas tradendi se ad ea, quæ ad Dei famulatum spectant, seu faciendi, ea quæ spectant ad Dei obsequium (*b*). Quapropter reverenti ingressu ad Ecclesiam accedendum, & delatione cultus a religiosa voluntate provenientis.

10. Oratio autem facienda in Ecclesiis non oportet, ut explicite fiat pro fine intento a Pontifice, sed satis est in eum finem illam dirigere, pro quo summus Pontifex orationem injungit, quamvis præstaret, si pro eo fine preces funderentur explicite.

11. De alio opere, quod in jubilæo extraordinario injungitur, nempe eleemosyna, juxta regulas prudentiæ eam faciendam esse existimamus, quæ numquam dictabit, præsertim divitibus, quod ad impetrandum finem jubilæi, modicissima stipes erogetur; quod etiam praxis declarat, cum

(a) *Glos. in Extra. antiquor. de pœnit. & remiss.*
(b) *S. Thom. 2. 2. q. 182. a. 1.*

cum opulentiores majorem eleemosynam soleant dispensare. Pauperes etiam teneri, magis probata sententia affirmamus (*a*); nemo enim tam pauper est, quin obolum dare queat, vel ab alio petere, ut in eleemosynam detur pro jubilæo comparando; verum si tale opus est pauperibus impossibile, facile potest a Confessario in aliud opus commutari; sicut ægroto commutanda sunt a Confessario jejunia, ut possit esse particeps jubilæi, ita aliis operibus commutanda est eleemosyna.

Tandem super jejuniis pro jubilæo assequendo præscriptis caute procedendum in eorum commutatione; tunc enim datur facultas commutandi opera injuncta, cum adest legitima causa, qua deficiente, deficit facultas. Hinc qui adolescentiæ titulo, aut senectutis a jejuniis ecclesiasticis excusantur, non habent sufficientem causam, ut jejunia eis commutentur; cum tria jejunia possint universim ab adolescentibus, & senibus facile impleri. Si vero adolescentes ex debilitate complexionis, aut ex alio capite, & senes ex diminutione virium absque notabili incommodo jejunare non possunt, iis jejunia commutare licebit; & qui ratione laboris eximuntur a jejunio ecclesiastico, non possunt commutationem in jubilæo obtinere, si absque notabili incommodo possint vel jejunare, vel a laboribus cessare, ut jejunent.

12. Cum in indulgentiarum concessione præscribitur, ut visitentur aliquot altaria, sufficit ad illa se orando convertere ex eodem loco, ita tamen ut existens tali loco, & situ moraliter censeri possit orare ad illa altaria.

Hactenus tradita, cum aliqua præsertim plenaria indulgentia promulganda est, vel cum opportunum duxerint Parochi, fidelibus dilucide explicent, & Concionato-

(a) *Viva de Jubilæo q. 8. a. ult.*

tores quadragesimali tempore unam saltem de indulgentiis concionem habeant, eamque sic plana solidaque concinnatam methodo, ut audientium animi ad indulgentiarum lucrum accendantur, illasque in posterum haud negligant; & quoad ejus fieri potest ad eas frequenter assequendas, humilitate fiducia in Christi sanguine, & perseverantia se præparent ac suscipiant; & quia non semper debitæ illæ dispositiones adhibentur, ideo non semper indulgentias comparamus, imo pauci admodum indulgentias consequuntur (*a*).

C A P. II.

De concessione indulgentiarum pro Defunctis

1. PRo mortuis conceduntur, & prosunt indulgentiæ per modum suffragii, quia pro iis solvitur pretium debito æquivalens, atque earum effectus, ut ajunt, est infallibilis, non secus ac pro vivis, fundatus in promissione Christi Domini dicentis; *quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis:* unde ex promissione facta acceptat Deus compensationem pro defunctis, collata iis indulgentia, quamquam alii sunt authores, qui ponunt fallibilitatem effectus in indulgentiis pro defunctis; requirunt enim, ut a Deo pro iis acceptentur, cum non teneatur offensus acceptare satisfactionem, quæ ab alio offensoris nomine exhibetur, & ideo dicuntur indulgentiæ applicari pro defunctis per modum suffragii, petendo scilicet a Deo quod illis suffragentur. Utut se res habeat, adhuc nonnulla ex parte eorum, pro quibus offeruntur, necessaria sunt, inter quæ id recensetur, quod sci-

(a) *Glossa in Clementin.* 1. *de Reliq. & veneration. Sanctor.*

ſcilicet defunctus in vita per pietatem, & curam erga mortuos meruerit indulgentias ſibi profuturas. Cum autem hoc non raro deſit; idcirco non pauci diutiſſime in Purgatorio detinentur, quamvis innumeræ indulgentiæ pro iis applicentur, ac innumera ſacrificia. Ex quibus ſolertem erga mortuos pietatem addiſcamus, eoſque ſæpius indulgentiis, orationibus, jejuniis, eleemoſynis, & ſacrificio ſingulari juvare connitamur: *eadem quippe menſura*, ait Chriſtus Dominus, *qua menſi fueritis, remetietur & vobis*.

2. Indulgentiæ vivis conceſſæ defunctis applicari nequeunt, niſi in earum conceſſione exprimatur, hoc enim pendet a voluntate concedentis.

3. Tametſi lucrari poteſt indulgentiam pro mortuis, qui opera injuncta poſuit in ſtatu peccati, ut multi docent, quia ratio ſatisfactionis, ſeu pretium pœnarum non eſt illud opus poſitum in ſtatu peccati, ſed theſaurus ſatisfactionum Chriſti, qui ab Eccleſia poſito tali opere applicatur; nihilominus tutior ſententia ſtatum gratiæ requirit ſaltem in fine operis, quam a Parochis, & Concionatoribus in praxi ſuadendam eſſe adhortamur.

4. Si defuncti anima, pro qua applicas indulgentiam, aut oras, aut aliud præſtas pium opus, non indigeat, vel non ſit capax, tibi proderit ad meritum, & oratio tua in ſinu tuo convertetur; & ſi illa anima ſit beata, illam tibi ſpecialiter devincies, ut pro te apud Deum intercedat; & licet damnationi ſit addicta, tamen nec tunc meritum perdis, reſpicit enim Deus caritatem tuam, ſicut cum pro aliquo orationem effundis, qui non meretur, non ideo merito privaris.

CAP.

CAP. III.

De Altaribus privilegiatis.

AD consequendam indulgentiam a Summo Pontifice altaribus privilegiatis concessam iis diebus, quibus per rubricas celebrari nequit Missa defunctorum, sufficit aliam Missam dicere, & applicare sacrificium pro anima defuncti, ut ei suffragetur indulgentia pro liberatione a pœnis Purgatorii, non enim videtur intentio Pontificis, quæ respicit egressum animarum a cruciatibus Purgatorii ad Missam defunctorum coarctanda: & quamvis hæc privilegia concedi consueverunt sub his verbis, videlicet: *Concedimus, ut quoties Missa ad prædictum altare celebrabitur pro anima cujuscumque fidelis, quæ Deo in caritate conjuncta ab hac luce migraverit, ipsa de thesauro Ecclesiæ indulgentiam consequatur*, utique verba hæc verificantur etiam in dicente ad dictum altare Missam de Sancto, si illam integram celebrans offerat pro anima defuncti. Consonat decretum Alexandri VII. *Creditæ* (*a*); ubi habetur, quod Missæ in altaribus privilegiatis in diebus, quibus non licent, quamvis non sint de *Requiem*, sed de festo currenti, habent eandem vim, quam haberet Missa de *Requiem*. Idem statuit etiam Clemens IX., & Innocentius XI. (*b*), unde nulla rationabilis causa esse potest, cur in tali die prohibito petatur, aut legatur Missa de *Requiem*. Quod & locum habet in Missis de *Requiem* ex institutione benefactorum celebrandis, quæ incidunt in festum duplex, tunc enim ne animabus

Fff suf-

(a) 22. *Januarii* 1667. *relatum a La-Croix lib. 6. p. 2. num.* 509. *de Sacrif. Missæ*.
(b) *Die* 4. *Maii* 1688. *relatus ab eodem La-Croix*.

suffragia differantur, celebrari debent de festo currenti cum applicatione sacrificii juxta mentem ipsorum benefactorum.

CAP. ULTIMUM.

Non licet indulgentias promulgare, aut exponere absque nostra licentia, nec mulieribus ingredi septa Regularium occasione indulgentiarum.

1. CUm ex dispositione sacri Concilii Trid. (*a*) sancitum sit, per Ordinarios locorum debitis temporibus populo publicandas esse indulgentias, sciant Ecclesiarum Rectores tam seculares, quam regulares, haud se posse in suis Ecclesiis eas fidelibus promulgare, aut illarum Summaria exponere, nisi prius fuerint a nobis recognitæ, & concessa venia publicandi.

2. Nec prætextu indulgentiæ concessæ visitantibus aliquam capellam, seu oratorium existentia intra claustra Regularium possunt mulieres ipsa claustra ingredi, sub pœnis violantibus clausuram inflictis, etiamsi in concessione indulgentiæ adsint verba: *Omnibus utriusque sexus Christifidelibus*, ut expresse Sacra Congregatio declaravit (*b*).

TI-

(a) *Sess. 22. de Reform. cap. 9.*
(b) *Sacr. Congreg. super Indulg. 2. Maii 1678.*

TITULUS VI.

De officio Exorcistæ.

PLures sunt in Ecclesia ordines, quos inter Exorcistatus annumeratur, per quem potestas traditur invocandi nomen Domini super eos qui a spiritibus immundis obsidentur, unde ordinantur Exorcistæ per traditionem libri Exorcismorum, dicente Episcopo: *Accipe, & commenda memoriæ, & habe potestatem imponendi manus super Energumenos sive baptizatos, sive Cathecumenos*, & quemadmodum Christus Dominus curavit dæmoniacum surdum, & mutum cum saliva dicens: *Ephpheta, quod est adaperire* (*a*), ita eandem potestatem dat Exorcistis, ut dæmonem ejiciant ab obsessis, eisque aurem aperiant ad audiendam veritatem, & linguam ad confitendum nomen Domini.

C A P. I.

Sine licentia Episcopi nulli licet exorcizare, & quibus concedenda? contrafacientibus imponitur pœna.

QUamvis hac potestate polleant, qui sunt hoc ordine insigniti, nequeunt tamen ea uti, & Energumenos exorcizare sine nostra licentia, quæ justis de causis nunquam veniet concedenda, nisi designatis a nobis Presbyteris, qui ætate, moribus, & vitæ integritate commendabiles sint, quique in Theologica facultate versati, Angelorum naturam, proprietates, potestatem, & id

(a) *Marc. 7. num. 34.*

& id genufalia cognoverint. Si quis autem absque nostra licentia exorcizare præsumserit, suspensionem a divinis ipso facto incurrat, si Sacerdos sit secularis, si vero regularis gravissimis pœnis arbitrio nostro subjaceat, & si sit Confessarius ipso facto privatus existat facultate audiendi Confessiones (*a*).

CAP. II.

Quomodo exorcizandi munus aggrediendum.

1. CUi hoc munus demandatum est, illud nunquam obeat, nisi prius induatur armatura Dei per gratiam ipsius, & lavacro Pœnitentiæ sit expiatus, ut requiescat super eum spiritus timoris Domini, & sic munitus humillima demissione ad impetrandum divinum auxilium, dæmonesque pellendos, orationem, corporisque mortificationem tum per se, tum per alios, quoad ejus fieri potest adhibere curet, illud sibi memorans genus esse dæmoniorum, quod non ejicitur, nisi in oratione, & jejunio (*b*).

CAP.

(a) *Juxta decret. S. C. C. 1. Jul. 1606. ubi Exorcista sit ad actum hujusmodi ad Ordinar. approb. & S. C. Episcop. in Flerent. 22. Febr. 1625. Synod. Provinc. S. Caroli lib. 1. tit. 14. de Offic. Exorcistæ cap. V. & Synod. diœcesana ejusdem cap. 1. decr. 18.*

(b) *Matth. 17. Rit. Rom. in rubr. de Exorciz. S. Car. in Con. Provinc. lib. 1. tit. 14. de Officio Exorcistæ cap. 9 & 15.*

CAP. III.

Nosse oportet ex signis, quinam sint obsessi.

NOn facile credendum aliquem obsessum esse a dæmone, nisi explorata sint signa, quibus dignoscitur obsessus; signa autem sunt, ignota lingua loqui pluribus verbis, vel loquentem intelligere, longinqua, & occulta patefacere, vires supra ætatem, & naturæ conditionem, & similia ostendere. Verum quia accidere solet, ut hypocondriacis affectionibus laborantes, aut animi passionibus agitati, multa mirabilia faciant, quæ admirationem afferunt, & prima facie supernaturalia videntur, cum revera a naturali causa, & morbo proveniant (a); idcirco Exorcista antequam adjurationem instituat, consulat Medicos, & prudentes viros, & ubi cognoverit effectus illos esse naturales, ab Exorcismis abstineat, & ad Medicos remittat. Eos vero, qui exorcizandi sunt, sæpius excitet ad actus fidei, spei, & caritatis Exorcista, ac in primis de illorum animi affectionibus, & vivendi ratione diligenter inquirat; quod si in peccatis esse cognoverit, curet, ut per Pœnitentiæ Sacramentum Deo reconcilietur.

CAP. IV.

De loco, ubi hoc munus exerceri debeat. Plures nec simul, nec coram multitudine exorcizentur.

LOcus aptus pro Exorcismis non alius sit quam Ecclesia, at cum ibi commode fieri nequit, religiosus

(a) *Ritual. Rom. loco cit.* & 4. *Synod. diœcef. S. Caroli decret.* 18. & *in Conc. Provinc. loco cit. cap.* 3.

ſus alter & honeſtus locus eligatur a multitudine ſejunctus, ad quem perductus Energumenus exorcizetur: nunquam autem domi exorcizandi intelligatur a Nobis indulta facultas, niſi expreſſa mentio facta ſit in conceſſione. Quare nemo audeat privatas domos præſertim mulierum ſub prætextu adjurationis circuire; nec plures ſimul, ſed unum tantum, aut unam, cum per Nos licebit, exorcizare permiſſum ſit: idque fiat ſi Exorciſmi adhibeantur ad virum coram probis & honeſtis viris, ſi ad mulierem coram probis & honeſtis feminis. Cetera vero turba penitus ſit excluſa.

C A P. V.

Quibus Exorciſmis uti liceat.

NUllos alios Exorciſmos legere, quam præſcriptos a Rituali Romano, & ab Eccleſiæ approbatos, licere ſciant Exorciſtæ: quare uſum omnium, & quorumcunque libellorum hac de re tractantium interdicimus; neque conjurationes illas, quæ dicuntur *potentiſſimæ*, & *efficaces*, Rituali Romano Venetiis impreſſo apud Balleonium 1705. in calce adjectas a pag. 219. uſque ad 256. fas eſt adhibere, cum ex decreto S. C. Indicis die 4. Decembris 1725. prohibitæ ſint.

CAP.

CAP. VI.

Nulla speretur merces in exorcizando, & si quis hujus occasione ministerii ad fœda provocaverit, ipso facto excommunicatus existat.

1. INdecorum est & grave scelus, Exorcistam spe lucri temporalis hoc munere fungi, quemadmodum enim callidus serpens per avaritiam captivavit Apostolum, sic pertimescendum ne spe lucri decipiat ministrum Christi.

2. Si quis autem (quod Deus avertat) exorcizandi ministerio abusus, ejus occasione ad inhonesta, turpia, & obscena quascumque personas solicitare, vel inducere ausus fuerit, quod est longe duriorem ea, quam habet in corpora miserorum potestatem, dæmoni tradere in animas, excommunicationem statim incurrat, aliisque severissimis pœnis veniet puniendus. Ut autem quævis offensionis causa removeatur, si quando mulieris, quæ exorcizatur, capiti, corporive manus admovendæ sunt, caute & modeste fiat. Cetera tandem quæ sacræ huic functioni, & ministerio magis necessaria sunt, reperies in Rituali Romano tit. de exorcizandis obsessis a dæmone.

3. Si aliquando contingat, Deo sic permittente, propter peccata hominum, ut insecta animalia frugibus, & fructibus terræ vastitatem comminentur, sicut antehac in aliquibus locis nocuisse dolentes audivimus, eos Exorcismos seu preces adhibendas esse mandamus, quibus sanctæ mem. Benedictus XIII. uti solitus erat, cum Romanus ager ab insectis infestaretur, quas relatas a Benedicto XIV. tom. 3. notific. sexta §. 2. transcribimus, a Parochis, aut iis impeditis de eorum consensu ab aliis Sacerdotibus legendas super loca, in quibus nocua hæc animalia reperiuntur. BE-

BENEDICTIO CONTRA MURES, LOCUSTAS, BRUCHOS, & VERMES NOXIOS.

Antiph. Exurge Domine adjuva nos, & libera nos propter nomen tuum.

Psalm. Deus auribus nostris audivimus, Patres nostri annuntiaverunt nobis.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum, & terram.

℣. Domine exaudi orationem meam,

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

PReces nostras, quæsumus Domine, clementer exaudi, ut qui juste pro peccatis nostris affligimur, & hanc murium (vel locustarum, vel vermium) persecutionem patimur, pro tui nominis gloria ab ea misericorditer liberemur, ut tua potentia procul expulsi (vel expulsæ) nulli noceant, & campos, agrosque nostros in tranquillitate, ac quiete dimittant, quatenus ex eis surgentia, & orta tuæ majestati deserviant, & nostræ necessitati subveniant. Per Dominum. &c.

℟. Amen.

OREMUS.

OMnipotens sempiterne Deus omnium bonorum remunerator, & peccatorum maximus miserator, & in cujus nomine omnia genuflectuntur, cœlestia, terrestria, & infernalia, tua potentia nobis peccatoribus omnipotenter

ter concede, ut quod de tua misericordia confisi agimus, per tuam gratiam efficacem consequamur effectum; quatenus hos pestiferos mures (vel locustas, vel vermes) per nos servos tuos maledicendo maledicas, segregando segreges, exterminando extermines, ut per tuam clementiam ab hac peste liberati gratiarum actiones majestati tuæ libere referamus. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Exorcizo vos pestiferos mures (vel locustas, vel vermes) per Deum Patrem Omnipotentem ✠, & Jesum Christum Filium ejus ✠, & Spiritum Sanctum ab utroque procedentem ✠, ut confestim recedatis a campis, & agris nostris, nec ampliu in eis habitetis, & ad ea loca transeatis, in quibus nemini nocere possitis, pro parte omnipotentis Dei, & totius Curiæ cœlestis, & Ecclesiæ sanctæ Dei vos maledicens, ut quocunque ieritis, sitis maledicti (vel maledictæ) deficientes de die in diem in vos ipsos, (vel ipsas), & decrescentes, quatenus reliquiæ de vobis nullo in loco inveniantur, nisi necessariæ ad salutem, & usum humanum: quod præstare dignetur, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & seculum per ignem. Amen.

Postremo aqua benedicta aspergantur loca infecta.

TITULUS VII.

De Tribunali Archiepiscopalis Curiæ.

UT omnia rite, & recte in nostro Tribunali disposita sint, & cujuslibet lucri aviditas procul absit, ea tantum emolumenta pro singulis expeditionibus, & scripturis exigenda sunt, quæ inferius in appendice adnotantur; quam taxam religiose in perpetuum servari præcipimus. Quod si quis, sive Cancellarius, sive Actuarius, sive actorum Magister, aut alius quicumque Curiæ nostræ minister quid amplius exegerit, aut acceperit præter alias pœnas arbitrio nostro, officio etiam privabitur.

TITULUS ULT.

DE SYNODALIBUS CONSTITUTIONIBUS.

CAP. UNICUM.

1. Synodales hasce constitutiones, quas maturo præcedente examine, discussione, & consilio nostri Capituli, aliorumque sacrorum Canonum, & Theologiæ scientia præstantium ex divina Scriptura, Sanctis Patribus, Sacris Canonibus, Conciliis, sacrarumque Congregationum decretis, & declarationibus depromtas efformavimus, & designatis per edictum diebus, etiamnum consulto Capitulo in Ecclesia cathedrali sub titulo Beatissimæ Virginis in cœlum Assumtæ publice, & alta voce per Synodi Secretarium legi mandavimus, prout lectæ, & publicatæ fuerunt coram Nobis, & præsentibus hujus Metropolitanæ Ecclesiæ Dignitatibus, & Canonicis, Clero tam civitatis, quam diœcesis, & Magistratus interventu, populique concursu, id virium, & roboris post lapsum duorum mensium ab earum peracta publicatione habere volumus, ac si essent singulis intimatæ, nullique exinde suffragante quacumque ignorantiæ excusatione, quo minus earum vinculo, & obligatione ligentur.

2. Et quoniam, ut monet Apostolus, non auditores tantum, sed factores legis justificabuntur apud Deum, & potissima legum est observantia (a), ad quam collimant huic operi attributi labores, has nostras Synodales constitutiones omnibus nostræ Curiæ concreditis inculcamus, & præcipimus observari, debitam pœnam transgressoribus inflicturi. Ggg 2 sori-

(a) *Cap. Sicut olim 25. de accusat.*

3. Ut autem id facilius præstetur, nec unquam editæ constitutiones in oblivionem veniant, omnibus Clericis nobis subjectis mandamus (quod & facere non graventur seculares) ut hæc synodalia statuta crebro & diligenter percurrant, ac eorum, quæ scitu pro muneribus suis necessaria sunt, notitiam habeant, de quibus diœcesim subinde visitantes, aut cum placuerit, exactam exquiremus rationem, utque ad rem scite ajebat de suis Clericis, quos præcepto obstrinxerat ad sua evolvenda synodalia statuta Antonius Maria Gratianus Episcopus Amerinus, dicemus & nos. Nam quemadmodum magnopere illi collaudabuntur, quos studiose in eorum lectione versatos intelligemus, ita quorum notabilis negligentia, tarditasque visa fuerit, pro eorum merito acriter a nobis corripientur, atque objurgabuntur.

4. Pro nostra vero, quam merito debemus, obedientia, reverentia, & submissione erga Catholicam Romanam Ecclesiam, quæ omnium mater est & magistra, has easdem synodales constitutiones mutandas, corrigendas, emendandas humillime subjicimus apostolicæ supremæ auctoritati S.S. Domini nostri Benedicti divina providentia Papæ XIV. summi in terris Vicarii Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi, cui laus, honor & gloria in secula seculorum.

DAMIANUS ARCHIEPISCOPUS RHEGINUS.

Parochus Antonius Mandalari Sacræ Theologiæ Doctor Synodi Secretarius.

RO-

ROGITUS ACTORUM

IN *Dei nomine Amen. Præsenti publico instrumento cunctis pateat evidenter, & notum sit, qualiter anno a nativitate Domini nostri Jesu Christi millesimo septingentesimo quinquagesimo primo, indictione decima quarta, die vero octava mensis Novembris, Pontificatus autem S. S. in Christo Patris, & domini nostri Domini* BENEDICTI *divina providentia* PAPÆ *XIV. anno duodecimo feliciter.*

Rhegii in Ecclesia Metropolitana, præsidente ILLUSTRISS., ET REVERENDISS. D. D. DAMIANO POLOU ARCHIEP. RHEGINO præsentibus Revmo Capitulo, & Canonicis ejusdem Ecclesiæ, universoque Clero civitatis, & diœcesis ibidem ad Synodum diœcesanam celebrandam per edictum respective vocato, ac legitime congregato, assistente etiam Magistratu civitatis cum populi frequentia post processionem, & Missam solemnem, ac sermonem, omnia & singula in actis Synodalibus contenta per Reverendum D. Antonium Mandalari Parochum Sancti Nicolai de Blancis, & Synodi Secretarium alta, & intelligibili voce e suggestu lecta, & publicata fuerunt, anno ut supra, diebus vero octava, nona, & decima mensis Novembris, tribus sessionibus rite, & juxta formam habitis, atque etiam post vesperas continuatis. Quibus omnibus absolutis Synodus dimissa fuit cum gratiarum actione per hymnum Te Deum laudamus: *ceterasque preces & cæremonias præscriptas, & benedictione ejusdem Illustrissimi, & Reverendissimi Domini Archiepiscopi. Super quibus omnibus, ac eorum singulis instante Reverendissimo Domino D. Gregorio Palestino Canonico præfatæ Ecclesiæ, ac Synodi Promotore, petitum fuit ut tanquam Synodi Notarius publicum conficere, & tradere deberem instrumentum, seu instrumenta, prout opus fuerit, & rogatus ero. Actum ibidem anno, indictione, diebus,*

bus, & Pontificatu, quibus supra. Præsentibus, atque audientibus, & intelligentibus RR. D. Nicolao Porco Subcantore præfatæ Ecclesiæ, D. Rodulpho Morisano Parocho S. Mariæ Lauretanæ, D. Marcello Caroleo Parocho Sanctæ Catharinæ de Trivio Rheginis, aliisque testibus ad prædicta omnia & singula vocatis, habitis, atque rogatis, &c.

Et in fidem ego D. Cajetanus Miano Rheginus publicus apostolica auctoritate Notarius, Curiæque Archiepiscopalis Rheginæ Cancellarius, & Parochus S. Sebastiani de prædictis rogatus præsens publicum instrumentum confeci, scripsi, & subscripsi, publicavi, meoque solito signo signavi requisitus.

Loco ✠ Signi.

APPENDIX

AD SYNODUM DIŒCESANAM

AB ILLUSTRISS., ET REVERENDISS. DOMINO

D. DAMIANO POLOU

ARCHIEPISCOPO RHEGINENSI CELEBRATAM

ANNO DOMINI MDCCLI.

Ad primam partem Constitution. Synodal. tit. 2. de Observatione Festorum cap. 2.

CONSTITUTIO

BENEDICTI PAPÆ XIV.

De reductione Festorum ad pauciorem numerum.

CUm sicut quædam sunt, ut inquit S. Leo Magnus Prædecessor noster, quæ nulla possunt ratione convelli, ita multa sint quæ aut pro consideratione ætatum, aut pro necessitate rerum oporteat temperari, illa semper conditione servata, ut in his quæ dubia fuerint, aut obscura, id noverimus sequendum, quod nec præceptis Evangelicis contrarium, nec decretis SS. Patrum inveniatur adversum: ea propter hæc S. Sedes pro paterna erga universos Christifideles benignitate, quoad integrum sibi fuit, consuevit supremam suam in iis auctoritatem interponere, quæ ceteroquin ad majus divini cultus incrementum præscripta, aut per frigescentem in nonnullorum cordibus caritatem ad otium, luxuriamque convertuntur, aut ob rerum ad vitam traducendam necessariarum inopiam non sine conscientiæ angore contemnuntur. Cum itaque Carissimus in Christo Filius Noster Carolus utriusque Siciliæ, & Hierusalem Rex Illustris tum coram per se ipse, cum quatuor abhinc annis Romam profectus est, tum sæpe alias per suos in urbe Ministros id a Nobis studiosissime efflagitaverit, ut pauperum calamitatibus sublevandis, qui opere faciundo victum lucrantur, Sanctorumque dierum cultui, & religioni amplificandæ, eorumdem Festorum dierum numerum imminuere dignaremur: Nos in tanto ne-

negotio, nisi re tota sedulo perspecta, haud quidquam decernendum esse rati; id usque responsum dedimus: nihil Nos de hujuscemodi ecclesiasticæ disciplinæ institutis prorsus immutaturos, nisi per Archiepiscopos, & Episcopos rogaremur, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, quique domus Israel facti speculatores, quid ferant hominum, temporumque vicissitudines cominus introspiciunt, immo id in animum induxisse nostrum (si quid hac in re foret innovandum) affirmavimus, ut salva & incolumi solemnioribus diebus festis veteri disciplina de audiendo Sacro, & a servilibus operibus vacatione, iisdem tantum servilibus curis per aliquot festos dies humanæ necessitatis ratione habita, vacare indulgeremus, lege tamen astandi sanctissimo altaris sacrificio neutiquam abrogata. Ab universis porro Fraternitatibus vestris supplices gravissimasque in idem argumentum literas accepimus, quibus plurima incommoda ex dierum festorum frequentia in vestras respective Diœceses, & Provincias invehi lamentabamini; ac de iis imminuendis accurate differentes eamdem, ac Nos ipsi, rationem arbitrabamini esse ineundam; id propterea ejusdem Caroli Regis æquissimæ voluntati, nec non piis Fraternitatum vestrarum votis hac in re, quantum cum Domino possumus, obsecuti, festorum dierum grandiorem numerum ad modum revocandum existimavimus. Fraternitatibus itaque vestris Fratres Archiepiscopi, & Episcopi totius Regni Siciliæ citra Pharum, ac Fratres Archiepiscopi Messanen. & Panormitanen. per præsentes committimus, & mandamus, ut unusquisque vestrum in suis respective Provinciis, & Civitatibus, & Diœcesibus hanc de festis diebus legem auctoritate nostra apostolica edicat, nempe ut diebus Dominicis Paschatis Resurrectionis, & Pentecostes, aliisque per annum Dominicis diebus, necnon diebus Circumcisionis,

ſionis, Epiphaniæ, Aſcenſionis, Corporis Chriſti, & Nativitatis Domini. Diebus Purificationis, Annunciationis, Aſſumtionis, Nativitatis, & Conceptionis B. Mariæ Virginis Immaculatæ. Natali die SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli; die feſto omnium Sanctorum; ac feſto die cujuſvis præcipui quarumcunque Civitatum, vel locorum Diœceſum prædictarum Patroni pro veteri Eccleſiæ Catholicæ inſtituto, Sacris non tantum aſtare Chriſtifideles veſtrarum reſpective Civitatum, & Diœceſum teneantur, ſed etiam a ſervilibus operibus feriati ſunto: In reliquis vero feſtis ſive per Apoſtolicam hanc S. Sedem, ſive per Synodales quarumcunque Diœceſum hujuſmodi conſtitutiones, ſive quacunque alia de cauſa, etiam ex cauſa voti per Chriſtifideles Civitatum, Diœceſum, & Provinciarum hujuſmodi, eorumque majores facti, quod quoad hanc partem auctoritate noſtra Apoſtolica per vos commutari volumus, præceptis præſcriptiſque ſacroſancto Miſſæ Sacrificio interſint: Ceterum negotiis familiaribus ſervilibuſque ſuis operibus ſine ullo prorſus conſcientiæ ſcrupulo incumbere integrum cuique eſto. Ubi vero obtingit, unum eumdemque Epiſcopum duabus præeſſe Eccleſiis invicem canonice unitis (quod potiſſimum in Regno Siciliæ citra Pharum evenit) quarum unaquæque ſuum habet præcipuum Patronum, homines tantum illius Diœceſis, cujus Patroni feſtivus dies recurrit, non vero alterius, volumus, & præcipimus eodem die tum Miſſæ Sacrificio adeſſe, tum a ſervilibus operibus ſibi temperare. Quæ cum ita ſe habeant, Fraternitates veſtras in Domino plurimum hortamur, ut vos populos veſtræ curæ commiſſos quam ſæpiſſime edoceatis, quæ ad juſtam, legitimamque dierum feſtorum celebrationem pro temporum varietate pertinere videbuntur, qua ſpiritus alacritate, qua mentis contentione, qua cordis humilitate aſtare

ſtare oporteat ſanctiſſimo Altaris Sacrificio, in quo Chriſtus Dominus tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem, & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis, quam frequentes divinis officiis, ſacris concionibus, Chriſtianæ doctrinæ explicationibus & explanationibus eſſe debeant, & quanti piaculi ſit eos temerare dies, quos ad ſui nominis gloriam amplificandam ſibi Dominus conſecravit. Ne autem per eos dies potiſſimum Chriſtifidelium corda graventur in crapula, & ebrietate, ac cogitationibus ſecularibus, quam diligentiſſime curare debetis, ut profana quæque, ludicra, & minus religioſa publicis locis quam longiſſime amoveantur, etiam invocato, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis; quod ſane non defuturum neutiquàm dubitamus: memores ſemper prophetici illius oraculi, quo ſolemnitates, quas vitioſa conſuetudine homines deturpant, tanquam ſtercus a Deo projiciendas, & diſperdendas eſſe declaratur. Volumus autem, quod præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides tam in judicio, quam extra illud adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in univerſalibus, Provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon Provinciarum, Civitatum, Diœceſum, & locorum prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in

in suo robore permansuris ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter derogamus, ceterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XII. Decembris MDCCXLVIII. Pontificatus nostri anno IX.

D. Card. Passioneus.

Ad primam partem tit. 3. *cap.* 10. *num.* 1.

EPISTOLA ENCYCLIA

BENEDICTI PAPÆ XIV.

SUPER JEJUNIORUM OBSERVANTIA.

Libentissime quidem amplectimur, quæ nobis offeruntur, occasiones ad vestros animos excitandos, ut Ecclesiasticæ disciplinæ reparandæ sedulam curam conferatis: etenim summi Pontificatus dignitati, ad quam Nos licet immerentes evecti fuimus, conjunctam esse intelligimus solicitudinem aliarum Ecclesiarum, Nobisque commendatam, qui plane tenuitatem virium nostrarum non ignoramus.

Cum itaque præsentium literarum argumentum totum sit de jejunio, quod tempore Quadragesimæ veteri Ecclesiæ instituto ac lege fidelibus indicitur; supervacaneum ducimus longam orationem conficere de Quadragesimæ institutione, & Patrum, & Conciliorum omnes super hac re in medium proferre auctoritates: difficile id quidem Nobis parum videretur, sed potius alienum, & nullo modo consentaneum vobis, quos doctrinæ laude, Canonum, & sacræ historiæ cognitione præstantes arbitramur.

mur. Porro ad ſcribendas has literas adducti fuimus graviſſimis illis verbis Tridentinæ Synodi, quæ ſeſſ. 25. de Reformat. præcipit Epiſcopis omne ſtudium impendere, ut fideles ipſorum curæ traditi magna religione perficiant ea, quæ a ſacris Canonibus præſcribuntur: Ut illis omnibus, & iis præcipue ſint obſequentes, quæ ad mortificandam carnem conducunt, ut ciborum delectus, & jejunia.

Ubi primum Bononienſem Eccleſiam adminiſtrandam ſuſcepimus (ad quam beneficio Clementis XII. fel. record. ab ſede Anconitana translati fuimus) mandatum evulgavimus (quod libro I. Inſtit. noſtrarum pro Viris Eccleſiaſticis decimoquinto loco continetur): in illo plures difficultates indicavimus, ob quas minime ſolvendos jejunii legibus putabamus illos, qui ob legitimam cauſam, & legitima prius authoritate interpoſita, Quadrageſimæ abſtinentiam non obſervarent, minime inquam ſolvendos a jejunio, ita ut liceret ipſis quolibet die menſam bis inſtituere, non unica vice, veſpertina ſuperaddita refectione, quæ permitti jejunantibus conſuevit. Tandem in hac Pontificia ſede collocati rem totam in examen iterum revocavimus, & præſtantiſſimis quoque viris demandavimus ipſam diligenter, accurateque perpendere, ac ſuas deinde opiniones Nobis exponere. His peractis hujuſmodi controverſiæ finem tribuere conſtituimus, illudque decrevimus, ne ulla in poſterum ſive peculiaris, ſive generalis pro aliqua civitate, vel oppido concedatur facultas adhibendi carnes ad menſam tempore jejunii, vel Quadrageſimæ, niſi conditio ſervandi jejunii, ſive unius comeſtionis interponatur; & illud quoque monitum addatur, nequaquam licere menſam eamdem carne, ac piſcibus inſtruere. Equidem declinatis hac ratione nimium implicatis quæſtionibus, exiſtimavimus unicam

cam singulis diebus comestionem inducere illis etiam, qui carnibus uti, cum jejunium indicitur, rite obtinuerunt, & pravam illam consuetudinem, quæ apud multos jam nimis invaluerat, penitus evellere, afferendi nempe carnes in mensam cum piscibus, postquam ipsi quadragesimalis abstinentiæ præcepto soluti fuerunt ob eam potissimum causam, quod grave detrimentum saluti ab esu piscium accipiant.

Hæc apertissime constant ex nostris Apostolicis literis, quas in forma Brevis dedimus ad omnes Episcopos orbis Catholici anno 1741., quarum primæ incipiunt: *Non ambigimus*: alteræ vero: *In suprema*: Nos profecto nulli unquam elargiti sumus vesci carnibus, cum tempus Quadragesimæ, sive aliud jejunium præcipitur, nisi indicta scriptaque conditione, quam superius commemoravimus. Maximam pariter lætitiam percipimus, cum redditæ Nobis fuerunt plures epistolæ, ac mandata vestra literis nostris Apostolicis omnino consentanea quibus pro virili parte contendistis adducere populos vobis subjectos, ut propositam in illis disciplinam pie servarent.

Interim promulgatis iisdem Apostolicis literis, quas paulo ante nominavimus, plures cavillationes excogitatæ sunt a nonnullis, uti Nos antea facili conjectura suspicati fuimus. Plures etiam quæstiones propositæ Nobis fuerunt, exigui quidem ponderis ac momenti, quemadmodum Nos opinamur; cum illæ vel ipsius legis verbis, vel sensu penitus corruant, ac dissolvantur. Attamen sacro Tribunali nostræ Pœnitentiariæ rerum hujusmodi conscio, ac peritissimo easdem quæstiones expendendas commisimus, quibus omnino plene cumulateque, quoties opus fuit, satisfecit.

Archiepiscopus Compostellæ in Hispaniarum Regnis primus Inquisitor, nuperrime vita functus, longam ad

Nos dedit epiſtolam, qua plures recenſebat difficultates, quæ literis noſtris Apoſtolicis adverſabantur, quominus executioni mandarentur, eo quod nonnulli Theologi in adverſas opiniones ac ſententias abirent in ſolvendis quibuſdam quæſtionibus, quibus literæ noſtræ Apoſtolicæ cauſam & occaſionem præbebant, ac proinde de illis judicium noſtrum exquirebant. Equidem Archiepiſcopi literæ Nos graviſſimis ac difficillimis temporibus occupatos deprehenderunt; attamen dum quæſtiones in ipſis expoſitas percurrimus, viſum Nobis eſt non quidem expeti, ut iis quæſtionibus reſponſum fieret, ipſiſque ſolutis nullum impedimentum ſive obſtaculum noſtris literis Apoſtolicis ſupereſſet, ſed potius ut objectis cavillationibus ad optatum finem ipſæ minime adducerentur. Accedit etiam quod epiſtola Archiepiſcopi multis argumentationibus, & obſcuris vocibus redundabat: quamobrem licet plures hortarentur, ne ullum Archiepiſcopo reſponſum redderemus, illi tamen ſatisfecimus, res præcipuas ex ejus literis delibantes, & quæſtiones omnes ad certum numerum redigentes. Primum noſtris occupationibus tribuendum teſtati ſumus, quod tarde ipſi reſponſum daremus, ejus ſtudium commendavimus, & etiam magnopere probavimus, quod anceps ac dubius ad hanc S. Sedem confugerit, ut conſilium expoſceret. Deinde prolatis quæſtionibus ſatisfacere non prætermiſimus, illum tamen monentes de inſtituto ſummorum Pontificum, qui leges condere ſolent, diſciplinam decernere, neque ullam habere rationem illorum, qui dubitandi cauſas objiciunt, ut quæ conſtituta ſunt, perturbent ac evertant.

Vix redditis literis, Archiepiſcopus paulo poſt vitæ curſum abſolvit: itaque non immerito ſuſpicamur, reſponſa noſtra, quæ literis continebantur, haud cognita fuiſſe, & perſpecta illis, qui quæſtiones excitaverant.

Poſt

Post hæc alii pariter ex Hispanis Episcopis nonnullas ex iisdem quæstionibus Nobis proposuerunt; quare iisdem responsis usi sumus, quæ tradita prius Archiepiscopo Compostellæ a Nobis fuerant. Non defuerunt etiam præstantes inter Italos Theologi, qui literas nostras Apostolicas datas anno 1741. egregiis commentariis illustrarunt: idem contigit responso, quod fecimus Archiepiscopo Compostellæ die 8. Julii anno 1744. quod sane integrum suis libris præfigendum curaverunt. At quoniam libri ejusmodi ad vos fortasse nondum pervenerunt, vel curis aliis distenti illos percurrere minime potuistis, his literis Encycliis adjungimus illas pariter, quas (uti dictum sæpius est) ad Archiepiscopum Compostellæ jam pridem scripsimus, ut quæ disciplina vestris in diœcesibus tenenda sit, plane cognoscatis, ac ne vos deterreant difficultates, si quæ a captiosis hominibus concitentur.

Venerabili Fratri Archiepiscopo Compostellæ.

BENEDICTUS PP. XIV.

VENERABILIS FRATER SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

SI Fraternitas Tua secum reputabit, quod gravissimis & maximis curis propemodum obruamur, quantumque hoc præsertim difficillimo tempore, prorsus Nos teneat imposita tenuitati Nostræ sollicitudo omnium Ecclesiarum, non sane mirabitur, tamdiu sibi procrastinatum fuisse responsum ad eas literas, quibus apostolica auctoritate dissolvendas rogasti obortas in Hispania disputationes aliquas e duabus nostris epistolis ad omnes Episcopos superioris anni 1741. 30. Maji, & 22.

Augusti, quibus intra legitimos fines coercuimus invalescentem Ecclesiastici jejunii relaxationem. Potius tibi in mentem veniet cogitare de singulari nostro in religiosissimam Hispanam Ecclesiam amore, unde Nos immensa licet rerum mole fatigatos ad expediendum sibi in omni sua perplexitate salutis iter opem nostram præsto habet. Quamquam igitur, dum prænuntiatas constitutiones edidimus, non aliud propositum Nobis fuerit, ac refrænare paucorum nimis ingenio fidentium Theologorum licentiam, qui opinionum novitate gaudent: nec otium, nec animus Nobis fuerit definire quidquid subtili indagatione deduci possit ex proposita a Nobis jejunandi regula; tamen eximia paterna caritate complectimur adeo observantissimos Romanæ sedis Hispanos, tantique facimus obsecrationes tuas, ut occurrere anxietati vestræ libenter adjecerimus animum, & Nos ipsi quæstiones abs te propositas dirimendas constituerimus. Sic autem se habent.

I. Utrum quæ in antedictis nostris literis in forma Brevis de unica comestione, & de epulis non permiscendis præscribuntur, sub gravi etiam præcepto prohibeantur?

Respondemus: Concedentes facultatem vescendi carnibus tempore vetito, sub gravi teneri easdem facultates non aliter dare, quam geminis hisce adjectis conditionibus, videlicet unicæ in diem comestionis, & non permiscendarum epularum. Eos vero, qui hujusmodi facultatibus utuntur, sub gravi ad binas ipsas conditiones implendas obligari.

II. An ii, quibus concessum est vesci carnibus, possint in vespertina refectiuncula ea quantitate carnis vesci, quæ jejunantibus permittitur?

Respondemus: Non licere, sed opus habere eo cibo, eaque uti portione, quibus utuntur homines jejunan-

nantes rectæ meticulosæ conscientiæ.

III. An qui jejunii tempore vesci carnibus permittuntur, & unica comessatione uti debent, horam jejunantibus præscriptam servare opus habeant? Edicimus, observandam esse.

IV. Quænam sint epulæ licitæ, quæ vetantur cum interdictis conjungi?

Respondemus: Epulas licitas pro iis, quibus permissum est carnes comedere, esse carnes ipsas: epulas interdictas esse pisces, adeoque utrumque simul adhiberi non posse. Piscibus tamen edendis non interdicuntur ii, quibus datur tantum facultas adhibendi ova, & lacticinia.

V. An præceptum de utroque epularum genere non miscendo, dies quoque Dominicos Quadragesimales complectatur? Affirmatur complecti.

VI. Utrum hæc lex ad eos quoque pertineat, qui ex Bulla Cruciatæ edere possunt ova, & lacticinia?

Rescribimus: Nihil in prænunciatis nostris apostolicis literis statutum esse, quod respiciat gratiosum Cruciatæ diploma. Quare qui eo gaudent, illius tenorem stricte & considerate perpendant, ex ejusque sententia se gerant. Caveant autem, ne inani quapiam excusatione sese solutos esse arbitrentur præscriptis ibi legibus.

VII. Utrum memorata duo præcepta urgeant extra Quadragesimam?

Respondetur: Urgere extra Quadragesimam utrumque præceptum: Illud scilicet unicæ comestionis cum reliquis legibus in secundo, & tertio ad hæc postulata responso expressis: Et alterum non permiscendi epulas licitas cum interdictis, ut in quarto postulato definitum est.

Habeas, Venerabilis Frater, penitus explicatum quidquid apud vos ex nostris sæpius nuncupatis Apostolicis literis dubitationem attulisse scribis. Qua quidem

in

in re laudavimus consilium tuum interrogandæ supremæ Romanæ Sedis, ut libero, & non vacillanti gressu ad oves sana doctrina imbuendas incedere Pastores queant: in istoque tuo suscepto consilio agnovimus Hispanam religionem nihil sibi tutum, nisi e D. Petri Cathedra acceptum, reputantem, qua splendidissima gloria tantum nomen, & incorruptæ fidei fructum Hispania sibi peperit. Cavendum autem vobis est (idque plurimum ad te pertinet, qui Illustris Archiepiscopi, & Inquisitoris geris præcipuum munus) ne in exponendis Apostolicæ Sedis constitutionibus pro nimia exhauriendi argumenti solicitudine nullus fiat differendi, ambigendique modus. Sedula deinde opera conferenda, ut istiusmodi dubia, quæ facile pro ingeniorum varietate disputando emergunt, penitus inter vos dirimantur, ne diuturna unquam disceptatione fluctuent animi, præsertim cum constitutiones ipsæ Apostolicæ scopum, quo tendunt, aperte demonstrent, & illuc promte dirigi potest quidquid dubitando interturbare videatur. Id si animadvertissent qui de præsenti negotio plura dubitarunt, nodum sibi exolvissent. Patebat enim, nihil aliud Nobis in animo fuisse, quam cohibere vivida nonnullorum Theologorum ingenia, qui nimium sani jejunii fines prætergressi, & non parum obliti, illud ad retinendum in officio corpus divinitus institutum, hosti huic spiritus infensissimo blandiebantur. Statim siquidem comperissent, quid in propositis quæstionibus constituendum esset, nec sibi molestiam exhibuissent, nec Nobis, quos gravissimæ undique circumstant curæ, non parum temporis occupassent, quod tamen pro singulari nostro in vestram gentem studio, atque amore libenter impendimus ad rectum vobis iter monstrandum; in posterum simul præcaventes, quomodo in hujusmodi quæstionibus firmare gressus vestros in

prom-

promtu ſit . Reliquum eſt , Venerabilis Frater , ut tibi, quod facimus ex animo, præcipuæ benevolentiæ noſtræ pignus Apoſtolicam benedictionem peramanter impartiamur . Datum &c. 8. Julii 1744.

PUBBLICAZIONE DELLE INDULGENZE, CHE ACQUISTANO QUEI, CHE ACCOMPAGNANO IL SANTISSIMO VIATICO.

A Tutti i Fedeli dell'uno, e l'altro ſeſſo, che accompagnano divotamente il Santiſſimo Viatico ſon concedute da'Sommi Pontefici le ſeguenti Indulgenze.

A chi l'accompagna colla torcia anni ſette, e altrettante Quarantene.

A chi l'accompagna ſenza torcia anni cinque, e altrettante Quarantene.

A chi legittimamente impedito manda la torcia per altri, o la conſegna nella Parrocchia anni tre, ed altrettante Quarantene.

A chi ſimilmente impedito reciterà un Pater noſter, e un'Ave Maria cento giorni d'Indulgenze.

E la medeſima Indulgenza di cento giorni è conceduta alle donne, che ſenza uſcire di caſa dicono un Pater noſter, e un'Ave Maria pregando il Signore per lo Infermo, che ſi comunica.

Ad

Ad secundam Partem tit. VI. de Sacramento Pœnitentiæ cap. 2. num. 2.

CASI RISERVATI ALL'ILLUSTRISSIMO, E REVERENDISSIMO MONSIGNOR ARCIVESCOVO CON SCOMUNICA.

I. LA bestemmia ereticale, e la bestemmia contro Dio, contro la Beatissima Vergine, e contro i Santi.

II. Dare la santità al Diavolo.

III. Gli atti superstiziosi, la magia, e'l maleficio.

IV. Lo spergiuro in giudizio, anche a difesa de' Rei, e darne a ciò consiglio, o in qualsivoglia maniera cooperarsi, seguito lo effetto.

V. L'omicidio volontario tanto rispetto all' uccisore, quanto a quei, che lo consigliano, o vi danno ajuto, o favore, seguito lo effetto.

VI. Parlare colle Monache, o con altre, che sono ne' Monisterj delle medesime, o nel Conservatorio dell' Educande di cose disoneste; ciocchè s'intende tanto degli esteri, che così parlano colle Monache, o con altre de' Monisterj, o del Conservatorio dell'Educande; quanto delle Monache, o di altre de' Monisterj, o del Conservatorio dell'Educande, che così parlano cogli esteri.

VII. Non adempire il precetto Pasquale dalla Domenica delle Palme insino alla Domenica in Albis inclusivamente.

CASI

CASI RISERVATI ALL'ILLUSTRISSIMO, E REVERENDISSIMO MONSIGNOR ARCIVESCOVO SENZA SCOMUNICA.

I. IL peccato di Sodomia tra maſchi ſopra l'età di quattordici anni.

II. Proccurare lo aborto, ancorchè il feto non ſia animato, ſeguito però lo effetto.

III. Lo inceſto inſino al ſecondo grado di conſanguinità, o di affinità che proviene dalla copula lecita, cioè del matrimonio; e inſino al primo grado di affinità, che proviene dalla copulà illecita, cioè fuori del matrimonio.

IV. Gli atti diſoneſti, o il parlar diſoneſto dello Spoſo colla Spoſa prima del matrimonio contratto avanti il Parroco, e i teſtimonj; qual riſervazione ſi ſtende alla permiſſione de' Genitori, o Congiunti, che hanno cura della Spoſa.

V. Scrivere, o comandar che ſi ſcriva, dar conſiglio, o portar lettera ſenza nome, o col nome proprio, o con nome ſuppoſto a' Superiori tanto Eccleſiaſtici, quanto laici, quando ſi ſappia, che contiene falſità contro alcuno.

VI. Parlar colle Monache, o con altre ne' Moniſterj delle medeſime, o nel Conſervatorio dell' Educande ſenza noſtra ſpeciale licenza; il che s' intende tanto degli eſteri, che parlano colle Monache, o con altre ne' Moniſterj, o nel Conſervatorio dell' Educande, quanto delle Monache, o altre de' Moniſterj o del Conſervatorio dell' Educande, che parlano cogli eſteri.

Ad 2. Part. tit. IX. de Sacramento matrimonii cap. III. n. 1.

TAVOLA

Degl' impedimenti del Matrimonio da pubblicarsi nella Domenica susseguente alla Epifania, e nella Domenica in Albis.

GL'impedimenti del Matrimonio, che impediscono il contraerlo, e annullano il contratto, sono compresi ne i versi seguenti.

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,
Cultus disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honestas,
Si sis affinis, si forte coire nequibis.
Si Parochi, & duplicis desit præsentia testis,
Raptave sit mulier, nec parti reddita tutæ.
Hæc socianda vetant connubia, facta retractant.

ERROR.

Cap. unic. 29. qu. 1. l. 1. ff. de doli mali except.

IL primo è lo errore circa la sostanza della persona, cioè, se io intendo di far parentela con Berta, e la so con Antonia, ovvero intendo di far parentado colla primogenita, e me ne vien data un'altra; in questi casi, e simili il Matrimonio è nullo. Ma se lo errore fosse circa la qualità della persona, come a dire, che credeva, che fosse bella e ricca, ma il fatto non sta così, il Matrimonio è valido.

CONDITIO.

Cap. Proposuit de conjugio Servor.

IL secondo è la condizione, cioè servile, come a dire, se uno si apparenta con una Schiava, che credeva

deva esser libera, essendo egli libero, il Matrimonio non tiene: il medesimo è, se la donna libera piglia uno Schiavo, il che, se sapesse, non lo farebbe.

VOTUM.

IL terzo impedimento è il voto sollenne fatto per professione espressa, o tacita in una Religione approvata, o nel pigliare gli Ordini Sacri.

Cap. unic. de voto in 6. Cap. meminimus. Cap. insinuantes, Qui clerici, vel voventes.

Conc. Trid. sess. 24. de matr. can. 9.

COGNATIO.

IL quarto impedimento è la parentela, la quale è in tre modi, cioè Naturale, Spirituale, e Legale. La Naturale toglie, e impedisce il matrimonio insino al quarto grado inclusive; e facendo il matrimonio con tale impedimento sono scomunicati, se la ignoranza non loro scusa. La parentela Spirituale si piglia da i Sacramenti del Battesimo, e della Confirmazione, e questa impedisce, e annulla il matrimonio solamente tra colui, che battezza, o cresima, o tiene nel Battesimo, o nella Cresima e colui che è battezzato, o cresimato, e similmente tra quello, che battezza, o cresima, o tiene, e tra il padre, e la madre del battezzato, o cresimato. La parentela legale è una propinquità, che nasce dall' adozione, e questa ha tre gradi. Il primo è degli ascendenti, e discendenti, cioè dello adottante, e dello adottato, e discendenti dallo adottato, e questo impedimento non si toglie per isligamento dell' adozione, nè per l'emancipazione.

Cap. Non debet de consanguinit. & affinit. Clem. eodem tit. Conc. Trid. de matrim. cap. 5. & c. 2. c. 1. & c. final. de cognat. Spiritual. in 6.

Il secondo è quasi transversale, cioè fra lo adottato, e i figliuoli naturali dello adottante durante l' adozione, e stante il figliuolo naturale nella potestà del padre, e non altrimente.

Il terzo grado è una certa affinità legale, cioè tra la moglie dello adottato, e lo adottante, la quale dura perpetuamente come la prima; e ciascheduna di queste parentele impedisce, e annulla il Matrimonio.

CRIMEN.

Cap. si quis vivente 31. qu. 1. c. super. Cap. significasti, de eo, qui duxit, &c. Cap. 1. de convers. infidel. cap. si uxore, de eo, qui duxit, &c. Cap. relatum 31. q. 1.

IL quinto impedimento è il delitto, e questo è di due sorti. Il primo è, se uno ammazza il marito con intenzione di contraere matrimonio colla moglie di lui, il quale omicidio fatto con consenso d'ambe le parti impedisce, e annulla per sempre, come impedisce, e annulla ancora il matrimonio, se uno solo de i Consorti machina la morte dell'altro, purchè v'intervenga lo adulterio, che altrimente non impedirebbe. L'altro impedimento è lo adulterare scientemente colla moglie d'altri, e contraere con essa matrimonio vivente l'altro consorte, ovvero promettere di contraere; il che impedisce, e annulla, ancorchè il primo matrimonio non fosse ancora consumato.

CULTUS DISPARITAS.

Cap. si quis judaicæ. Cap. cave 28. q. 1.

IL sesto impedimento è la diversità della Religione, perchè tra il battezzato, e quello, che non ha il Battesimo, non può essere matrimonio, non potendo riceversi Sacramento alcuno senza il Battesimo. Ma può esser matrimonio co i battezzati, benchè fossero Eretici, scomunicati, e apostati, essendo il matrimonio valido, benchè si faccia male a contraere con essi.

VIS.

V I S.

IL settimo impedimento è la forza, ovvero violenza, quando alcuno è forzato, o violentato a contraere matrimonio, volendo la S. Chiesa, e la ragion naturale che i matrimonj siano liberi.

Cap. cum locum. Cap. consultationi Cap. veniens, de sponsalibus.

O R D O.

L'Ottavo impedimento è l'Ordine Sacro, e se alcuno avendo l'Ordine Sacro contraesse, non tiene; ma resta scomunicato.

Clem. unic. de consang. & affinit. cap. 1. & 2. qui cleric. vel vovent. cap. unic. de voto in 6. Conc. Trid. can. 9. sess. 24.

L I G A M E N.

IL nono impedimento è, quando alcuna persona ha moglie, o marito, perchè non può contraere altro matrimonio.

Conc. Trid. ubi supra cap. 2.

H O N E S T A S.

IL decimo impedimento è la giustizia della pubblica Onestà, la quale ha principio dagli sponsalizj, cioè quando si promette di doversi in futuro pigliar per marito, o per moglie; e questo impedimento consiste in una proibizione canonica, la quale annulla (se i sponsalizj sono validi) il matrimonio, che l'uno, o l'una di detti promettenti contraesse con qualche parente nel primo grado dell'altro, o dell'altra, ma quella pubblica Onestà, che viene dal matrimonio rato, annulla anche fin al quarto grado.

Conc. Trid. sess. 24. de reform. matrim. c. 3. Tolet. in summa lib. 7. cap. 14. in fine. Sanch. de matr. lib. 7. disp. 68. n. 8. d. c. unic. de sponsalib. in 6.

SI

SI SIS AFFINIS.

Cap. non debet de consang. & affinit. Conc. Trid. ubi supra cap. 4.

L'Undecimo impedimento è l'affinità, la quale non è altro, che una approssimazione di persona, che nasce dalla copula carnale, che manca di ogni parentado; e se la copula sarà lecita, come quella del matrimonio, impedisce sino al quarto grado inclusive; se sarà illecita insino al secondo, anco inclusive.

SI FORTE COIRE NEQUIBIS.

Cap. 1. & tot. tit. de frigid. & maleficiat.

IL duodecimo impedimento è la impotenza di poter consumare il matrimonio, o che proceda da cagion naturale, o da accidentale, purchè sia perpetua.

SI PAROCHI, ET DUPLICIS DESIT PRÆSENTIA TESTIS.

Conc. Trid. cap. 1. sess. 24. de reformat. matrim.

IL decimo terzo impedimento è quando si celebrasse il matrimonio senza la presenza del proprio Parroco, e di due testimonj.

RAPTAVE SIT MULIER, NEC PARTI REDDITA TUTÆ.

Conc. Trid. sess. 24. de reform. matrim. cap. 6.

IL decimo quarto impedimento è quando alcuno rubasse una donna, e mentre sta in sua potestà, contraesse con quella *de facto* matrimonio, il detto matrimonio è nullo: ma se prima la ponesse separata da se in luogo sicuro, e libero, e quella lo volesse per suo marito, il matrimonio sarebbe valido.

Cap. Puberes, & cap. final. de despons. impuberum.

Inoltre il difetto della età di quattordici anni compiti nell'uomo, e di dodici parimente compiti nella donna, im-

impedisce, e annulla il matrimonio, se la malizia, o prudenza da giudicarsi dall' Ordinario, non supplisce a detto difetto.

Ad secundam Partem Tit.IX. de Sacramento Matrimonii cap.V.

INSTRUCTIO.

Pro examine illorum testium, qui inducuntur pro contrahendis matrimoniis in nostra Archiepiscopali Curia.

IN primis testis moneatur de gravitate juramenti in hoc præsertim negotio pertimescendi, in quo divina simul, & humana Majestas læditur, ob rei, de qua tractatur, importantiam, & gravitatem, & quod immineat pœna triremium, & fustigationis deponenti falsum.

II. Interrogetur de nomine, cognomine, patria, ætate, exercitio, & habitatione.

III. An sit civis, vel exterus, & quatenus sit exterus, a quanto tempore est in loco, in quo testis ipse deponit.

IV. An ad examen accesserit sponte, vel requisitus; si dixerit accessisse sponte a nemine requisitum, dimittatur, quia præsumitur mendax; si vero dixerit accessisse requisitum; interrogetur, a quo, vel a quibus, ubi, quando, quomodo, coram quibus, & quoties fuerit requisitus, & an sciat adesse aliquod impedimentum inter contrahentes.

V. Interrogetur, an sibi pro hoc testimonio ferendo fuerit aliquid datum, promissum, remissum, vel oblatum a contrahere volentibus, vel ab alio ipsorum nomine.

VI. Interrogetur, an cognoscat ipsos contrahere volentes, & a quanto tempore, in quo loco, qua occasione,

sione, & cujus qualitatis, vel conditionis existant.

Si responderit negative, testis dimittatur, si vero affirmative..

VII. Interrogetur, an contrahere volentes sint cives, vel exteri; si responderit esse exteros, supersedeatur in licentia contrahendi, donec per literas Ordinarii ipsorum contrahere volentium doceatur de eorum libero statu de eo temppore, quo permanserunt in sua Civitate, vel Diœcesi. Ad probandum vero eorundem contrahere volentium statum liberum pro reliquo temporis spatio, scilicet usque ad tempus, quo volunt contrahere, admittantur testes idonei, qui legitime, & concludenter deponant statum liberum contrahere volentium, & reddant sufficientem rationem causæ eorum scientiæ, absque eo quod teneantur deferre attestationes Ordinariorum locorum, in quibus contrahere volentes moram traxerunt.

Si vero responderit, contrahere volentes esse cives,

VIII. Interrogetur sub qua Parochia hactenus contrahere volentes habitarunt, vel habitent de præsenti.

IX. Item, an ipse testis sciat, aliquem ex prædictis contrahero volentibus quandoque habuisse uxorem, vel maritum,

Si responderit affirmative, non procedatur ad licentiam, nisi producantur authenticæ, & legales attestationes, vel testes fide digni, & verisimiliter informati de obitu conjugis defuncti:

Si vero testis responderit, non habuisse uxorem, vel maritum,

X. Interrogetur de causa scientiæ, & an sit possibile, quod aliquis ex illis habuerit uxorem, vel maritum, & quod ipse testis nesciat;

Si responderit affirmative, supersedeatur, nisi ex aliis testibus probetur concludenter, non habuisse uxorem, vel maritum.

Si

Si vero responderit negative,

XI. Interrogetur de causa scientiæ, ex qua deinde judex colligere potest, an testi sit danda fides;

Si responderit, contrahere volentes habuisse uxorem vel maritum, sed esse mortuos,

XII. Interrogetur de loco, & tempore, quo sunt mortui, & quomodo ipse testis sciat fuisse conjuges, & nunc esse mortuos: Et si respondeat mortuos fuisse in aliquo hospitali, vel vidisse sepeliri in certa Ecclesia, vel occasione militiæ sepultos fuisse a militibus, non detur licentia contrahendi, nisi prius recepto testimonio authentico a Rectore hospitalis, in quo prædicti decesserunt, vel a Rectore Ecclesiæ, in qua humata fuerunt eorum cadavera, vel, si fieri potest, a Duce cohortis, in qua descriptus erat miles; si tamen hujusmodi testimonia haberi non possunt, Sacra Cong. non intendit excludere alias probationes, quæ de jure communi possunt admitti, dummodo sint legitimæ, & sufficientes.

XIII. Interrogetur, an post mortem dicti conjugis defuncti, aliquis ex prædictis contrahere volentibus transierit ad secunda vota;

Si responderit negative,

XIV. Interrogetur, an esse possit, quod aliquis ex illis transierit ad secunda volta absque eo, quod ipse testis sciat.

Si respondit affirmative supersedeatur in licentia donec producantur testes, per quos negativa coarctetur concludenter.

Si vero negative,

XV. Interrogetur de causa scientiæ, qua perpensa, Judex poterit judicare, an sit concedenda licentia, nec ne.

Si contrahentes sint vagi, non procedatur ad licentiam contrahendi, nisi doceant per fidem Ordinariorum

ſuorum eſſe liberos, & in aliis ſervata forma Conc. Trid. cap. Multi ſeſſ. 24.

Fides, aliaque documenta, quæ producuntur de partibus, non admittantur, niſi ſint munita ſigillo, & legalitate Epiſcopi ordinarii, & recognita ſaltem per teſtes, qui habent notam manum, & ſigillum, & attente conſideretur, quod fideş, ſeu teſtimonia bene, & concludenter identificent perſonas, de quibus agitur.

Pro teſtibus in hac materia recipiantur magis conſanguinei, quam extranei, quia præſumuntur melius informati, & cives magis, quam exteri, nec admittantur homines vagi, & milites, niſi data cauſa, & maturo conſilio: & Notarius exacte deſcribat perſonam teſtis, quam ſi cognoſcit, utatur clauſula, *mihi bene cognitus*: ſin minus, examen non recipiat, niſi una cum perſona teſtis aliqua alia compareat cognita Notario, & quæ atteſtetur de nomine, & cognomine ipſius teſtis, nec non de idoneitate ejuſdem ad ferendum teſtimonium. Et hujuſmodi examinibus debet intereſſe ultra Notarium, vel Vicarius, vel aliqua perſona inſignis, & idonea ab Epiſcopo ſpecialiter deputanda, alias puniatur Notarius arbitrio Sacræ Congregationis, & Ordinarius non permittat fieri publicationes.

Hinc præcipimus omnibus, & ſingulis Parochis hujus noſtræ Diœceſis, ut pro matrimoniis cum exteris contrahendis, non faciant publicationes in eorum Eccleſiis, niſi certioratis Nobis, a quibus, vel noſtro generali Vicario prius teneantur authenticam reportare, quod pro tali matrimonio fuerunt examinati teſtes in noſtro Tribunali, qui probant ſtatum liberum contrahere volentium.

Contravenientes autem ſevere punientur.

Ad

Ad tertiam partem tituli primi de Sanctimonialibus cap.4.

MODO D' INTERROGARE LA ZITELLA, CHE DEE MONACARSI, E FAR PROFESSIONE PER SAPER LA DI LEI VOLONTA', CONFORME I REQUISITI DEL SACRO CONCILIO DI TRENTO.

S'interroghi, CHe cosa intenda per farsi religiosa, e spieghi la sua libera volontà.

Se sforzata, ingannata, se spontaneamente, e per vocazione di Dio, ovvero per consiglio, persuasione, preghiere, o minaccie fatte da parenti di Monache, ovvero da qualsivoglia altra persona, si vuole far Monaca.

Da che tempo sia stata chiamata alla Religione.

E se dalla puerizia abbia avuto lo animo inclinato alla pietà.

E se sappia, che cosa faccia.

E per qual causa si voglia far Monaca.

Se per avvanti abbia fatto voto di farsi di più stretta Religione.

Se abbia contratto con qualche persona i sponsali de futuro, ovvero de præsenti.

Se sia sana di corpo, e di mente, ovvero abbia qualche difetto occulto, e che difetto, e da che tempo.

Se intenda la forza, e il peso della Religione, e se sappia i voti, che in essa si fanno.

Se sia apparecchiata a vivere in commune, in perpetua clausura, e sotto l'ubbidienza de' suoi Superiori.

Di che età sia.

E s'interroghi del nome, cognome, e patria.

Se volentieri abbracci le regole del Monistero, nel quale desidera professar Religione, e se onninamente de-

side-

ſideri quelle oſſervare.

Se ſia apparecchiata a portar la Croce del Signore, negar ſe ſteſſa, e ſeguitar Criſto Crocefiſſo.

S'interroghi ancora la detta zitella della Dottrina Criſtiana, e ſe in quella ſia bene, e veramente iſtrutta.

E ſe ſappia leggere, ſi faccia leggere.

E quello, che dallo eſame ſi averà, ſi riferiſca in ſcritto all'Illuſtriſſimo Arciveſcovo.

D. DAMIANUS POLOU

DEI, ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA ARCHIEPISCOPUS RHEGINUS, COMES CIVITATIS BOVÆ, BARO CASTELLACII, REGIUS CONSILIARIUS &c.

T A S S A

De' Diritti della Corte Arcivescovile di Reggio, più della quale si proibisce a tutti gli Ufficiali, e ad ogni altro a chi spetta esiggere altra cosa, nè meno riceverla pur se si offerisse spontaneamente, riformata a Novembre 1751.

IN CAUSE CIVILI.

PEr presentata di qualsivoglia libello, comparsa, petizione, o altra qualsivoglia scrittura si pagano alla Banca grana cinque di Regno per ogni presentata ———— 0— 5

Se col primo libello si presenteranno scritture per la stessa causa più del numero di tre, si pagano alla Banca cinque grana per ciascheduno per le tre, e per le di più si pagano grana due l' una.

Per costituzione di Proccura *penes acta* grana cinque oltre la presentata ———— 0— 5

Per la plegeria delle spese si pagano alla Banca grana cinque ———— 0— 5

Per la plegeria *de stando juri, & judicatum solvendo* grana quindici ———— 0—15

Per l' abilitazione d' assoluzione di giuramento

ad finem agendi, *&* *excipiendi* da ducati 50. abbaſſo carlini tre —— 0—30

Da ducati cinquanta in ſu carlini ſei —— 0—60

Per qualſivoglia provviſta, mandato, o precetto ſenza contraddittorio grana cinque —— 0— 5

Per qualſivoglia decreto interlocutorio, *prævia monitione in contradictorio judicio circa ordinem* carlini tre —— 0—30

Se è *circa juſtitiam* carlini cinque —— 0—50

Per qualſivoglia decreto interlocutorio, che ha forza di diffinitivo *prævia monitione*, e in contraddittorio carlini dieci —— 1——

Per ſpedizione di mandato *ad Authores cum inſertione libelli*, *&* *actorum enunciatione* carlini ſei —— 0—60

Per la impartizione del termine ordinario o ſommario grana dieci —— 0—10

Lo ſteſſo per la rinnovazione.

Per la citazione *ad teſtes* un carlino —— 0—10

Alla repplica, che ſi fa dalla parte contraria in dorſo della citazione *ad teſtes* ſi faccia l' atto della preſentata, e ſi pagano alla Banca grana cinque —— 0— 5

Per lo eſame ſopra le poſizioni, che fa il principale ſino al numero di dieci capi carlini tre — 0—30

Oltrepaſſando i dieci capi carlini cinque —— 0—50

Per lo *Gaudeat biduo ad percunctandum acta*, *&* *depoſitionem Principalis* ſi paghino alla Banca grana cinque —— 0— 5

In caſo occorreſſe commetterſi *in partibus* la depoſizione del principale per lo atto della commeſſione ſi pagano tre carlini dalla parte, che cerca la depoſizione —— 0—30

E la

E la parte principale deponente pagherà gli atti del suo esame.

Per presentare detti articoli, o interrogatorj grana cinque ——————————— 0— 5

Per esame di ogni testimone si paga un carlino — 0—10

E se lo esame si fa sopra articoli, oltre del suddetto diritto si paghi grano uno per ogni articolo non oltrepassando i dieci, e oltrepassando, grana due sopra ogni articolo.

Essendovi interrogatorj, pure si paghi grano uno fino al numero di dieci, e avvanzando detto numero, grana due per ogni interrogatorio.

Occorrendo esaminarsi fuor di Banca. Per lo accesso *intra mœnia* carlini due. Per gli Borghi carlini tre. Per le Fiumare, e Casali carlini cinque. Per la Diocesi carlini dieci, la cavalcatura, e le spese.

E in caso si commetterà lo esame a i Vicevicarj, se nel proprio luogo di loro abitazione si pagheranno i sopradetti diritti senza accesso; se poi vi bisogna lo accesso si paghino carlini quattro il giorno oltre i detti soliti diritti da ripartirsi metà per lo Vicevicario, e suo Mastrodatti, e l'altra metà per la Banca. Sortendo che il Cancelliere della Curia dee portarsi per la Diocesi per esaminar testimonj, si paghino carlini dieci il giorno come sopra coll'obbligo di esaminare non meno di cinque testimonj il giorno quando non eccedono dieci articoli; e oltrepassando dee esaminare non meno di tre testimonj il giorno occorrendo spedirsi Delegato, che non sia addetto all' ordinario impiego della Curia, si paghino carlini venti per dieta colle spese, e cavalcatura, e dee esaminare tanti testimonj del modo come sopra.

Intervenendovi il Vicario Generale ricercato da taluna

delle parti se in residenza carlini tre per ogni testimonio; se per la Diocesi ducati tre il giorno, con esaminare cinque testimonj il giorno quando non eccedono dieci articoli nella maniera come sopra disposta per lo Cancelliere.

E intervenendovi in accesso qualche Attuario, o col Vicario Generale, e col Cancelliere si paghi il mezzo diritto del Cancelliere, la cavalcatura, e le spese.

Per lo pubblicato grana dieci ——— 0—10

Per la percontazione degli atti in Banca un carlino ——— 0—10

Fuori di Banca con ricevuta di processo corrente due carlini ——— 0—20

Se poi il processo è passato in Archivio oltre de' due carlini per la percontazione si paghino altri carlini due per la cercatura ——— 0—40

Per lo decreto di termine per la repulsa de'testimonj un carlino ——— 0—10

Per lo esame della repulsa si pratichi come sopra stà notato per lo esame su del termine probatorio.

Per la monizione *ad dicendum*, & *ad sententiam* grana cinque ——— 0— 5

Per la lettura, e pubblicazione della sentenza un carlino ——— 0—10

Per la concessione della seconda, e terza dilazione *Nihil*. Lo esame però si paghi come nel termine probatorio.

Per lo decreto d'*exequatur* carlini due ——— 0—20

Per lo mandato esecutivo da ducati cinquanta in giù carlini sette ——— 0—70

Da ducati cinquanta in su carlini dodici ——— 1—20

Per la pena fiscale di debito da ducati cinque in giù *Nihil*.

Da

Da ducati cinque in ſopra ſi eſigga la pena al quattro per cento.

Per la ſtipula di qualſivoglia obbligo *penes acta* grana dieci ——— 0—10

Per caſſatura di detto obbligo grana cinque — 0— 5

Per la relazione d'eſecuzione grana cinque —— 0— 5

Per decreto *ad reluendum bona executa* grana cinque ——— 0— 5

Per lo mandato *ad reluendum bona executa* di ducati dieci abbaſſo carlini tre ——— 0—30

Da ducati dieci in ſopra carlini cinque ——— 0—50

Per lo decreto *de vendendo* carlini due ——— 0—20

Per ogni ſubaſta un carlino ——— 0—10

Per la relazione di ſubaſtazione, e vendizione grana cinque ——— 0— 5

Per lo atto dell'accenſione della candela, e vendita del pegno eſecuto carlini quattro ——— 0—40

Per lo atto dell'accenſione della candela degli affitti di beni di Chieſa, ſenza poſſeſſo per ogni atto due carlini ——— 0—20

Dandoſi però il poſſeſſo carlini tre ——— 0—30

Per decreto *de manutenendo* carlini cinque —— 0—50

Per ſpedizione di monitorio *contra turbantes* carlini ſei ——— 0—60

Per ſpedizione di decreto di lettere monitoriali *ad finem revelandi* grana dieci ——— 0—10

Per decreto di fulminarſi la ſcomunica carlini tre 0—30

Per ricezione di riveli ſopra capi monitoriali grana cinque per ciaſcheduno pigliandoſi in Banca; ma pigliandoſi fuori Banca due carlini.

Per le copie di detti riveli ſi paghi a ragione di copia.

Per la ſpedizione di ſcomunica Papale *vigore bre-*

brevis cum ejus inſerto tenore ſi paghino carlini ſei ——— 0—60

Ricevendoſi detti riveli da' Vicevicarj, o Cappellani de' luoghi ſi paghi la ricezione del modo come ſopra, e la metà ſpetti à chi li riceve, e l'altra metà alla Banca.

Per la ſpedizione d'Editti in cauſe Benificiali, o di aſſenſi Appoſtolici, o per altra cauſa ſi paghino carlini due ——— 0—20

Per decreto di ſequeſtro carlini tre ——— 0—30

Per lo atto del ſequeſtro eſecuto un carlino ——— 0—10

Per licenza di eſaminarſi perſone Eccleſiaſtiche in foro laico, e ricezzione del giuramento *nihil*.

Per ogni grazioſo riſcritto non ſi eſigga emolumento alcuno.

Per ogni fede del Cancelliere grana quindici — 0—15

Per fede di depoſito, che fa il Cancelliere di ducati dieci abbaſſo grana cinque ——— 0— 5

Di ducati dieci in ſu grana dieci ——— 0—10

Per decreto di liberazione di depoſito giudiziario *inter partes* di ducati 50. abbaſſo carlini tre, di ducati cinquanta in ſu carlini ſei ——— 0—60

Eſſendovi contraddizione ſi paghi come la ſentenza diffinitiva al due per cento.

Per applicazione, e rimeſſione di danajo di Chieſa, o Luogo pio depoſitato. Il decreto dello aſſenſo s'impartiſca *gratis*, ma ſolamente ſi paghino gli atti per la ragione come ſopra.

Per lo decreto di non eſſervi impedimento di conſanguinità, o affinità di quinto, o altro ulterior grado carlini dieci ——— 1——

Per ogni decreto Matrimoniale ſenza diſpenſa Appoſtolica una cogli atti carlini ſette ——— 0—70

Per

Per verificazione di dispensa Appostolica per contrarsi matrimonio, per decreto, e atti, in tutto carlini diciannove ——— 1—90

Per spedizione di stato libero, decreto, e atti in tutto carlini dieci ——— 1—

Per attestato in caso di vacanza di benificio carlini otto ——— 0—80

Per spedizione di Bolla benificiale di semplice benificio in tutto carlini venti ——— 2—

Per decreto di Cappellania semplice da conferirsi in taluna persona carlini dodici ——— 1—20

Se il benificio è qualificato in tutto si paghino ducati sei ——— 6—

Per spedizione di Bolla benificiale Parrocchiale ducati quattro, e mezzo ——— 4—50

Per spedizione di lettere patentali per la elezione di Economo in vacanza di Parrocchia carlini dieci ——— 1—

Per decreto di assenso, e di *expedit* con Appostolica autorità per alienazione di beni di Chiesa, o per concessione *ad emphyteusim*, o per qualsivoglia altro decreto simile una cogli atti si paghino ducati tre ——— 3—

Per decreto di assenso, e di *expedit* colla facoltà ordinaria per l' alienazione, o permutazione di beni di Chiesa, o di patrimonio, o sua surrogazione, o altro simile una cogli atti carlini due ——— 0—20

Per decreto di assenso di accettazione di eredità, o legato *cum onere Missarum*: *gratis*; solamente si paghino gli atti per ragione come sopra.

Per decreto di erezione di benificio semplice una cogli atti ducati due, e carlini sei ——— 2—60

Per

Per decreto di assenso di erezione di Chiesa, o Altare, o concessione di sepoltura, *etiam* con riserva di patronato, una cogli atti carlini venti due —— 2—20

PER PRESENTATE DI SCRITTURE, E ATTI PER GLI PROMOVENDI AGLI ORDINI, COME DI SOTTO.

PEr la prima Tonsura grana ottantotto —— 0—88
Per gli Ordini Minori grana cinquantotto — 0—58
Per lo Soddiaconato ducati tre, e grana trentatre —— 3—33
Per lo Diaconato grana cinquantotto —— 0—58
Per lo Presbiterato grana cinquantotto —— 0—58
I Seminaristi però paghino grana cinque meno.
Per presentazione di Breve d'interstizj, ed età carlini due —— 0—20
Per spedizione di Patente a' Cursori grana cinquanta —— 0—50
Occorrendo farsi copia di qualche scrittura di Processo si paghi un carlino a foglio, eziandio che fusse scritto dall'una, e l'altra parte, la metà alla Banca, e la metà agli Attuarj — 0—10
Per copia di Processo, per ogni carta scritta dall'una, e l'altra parte che dee contenere versi venti per facciata con una sola margine di due dita grana cinque a carta, metà alla Banca, e metà agli Attuarj —— 0— 5
Per lo decreto *ad videndam collationari copiam Processus* grana cinque —— 0 —5
Per lo atto della collazione carlini due al Cancelliere —— 0—20
Per la legalizazione, e sugello carlini due —— 0—20

Per

Per ogni altra legalizzazione carlini due ——— 0—20

Per presentata, e osservanza d'inibitoria del Tribunale dell' A C. o di altri Tribunali di Roma carlini quattro ——— 0—40

Per decreto di *tollatur impedimentum* in causa di sponsali con termine carlini venti. Senza termine carlini dieci.

E così si praticherà, qualora sarà diffinito *constare vel non constare de sponsalibus*.

Per la propina delle diffinitive sentenze. Nelle azioni reali, e personali fino alla somma di ducati seicento *exclusive* si pagherà a ragione del due per cento. Dalla somma di ducati seicento fino a mille, ducati dodici. Sopra i mille fino a qualsivoglia somma non più di ducati venti.

Nelle cause beneficiali *de jure patronatus* colla contraddizione di parte ducati cinque. Senza contraddizione ducati due.

In materia di servitù, testamentaria, e ogni altra, nelle quali si dà termine ordinario ducati cinque. Senza termine ducati due.

PER CAUSE CRIMINALI.

PEr qualsivoglia istanza di querela, si paghi dal querelante un carlino una col decreto di *capiatur informatio* ——— 0—10

Per dinunzia. *Nihil*.

Per la ricezzione di testimonj sopra dette querele, e dinunzie, costandosi la querela, e lo inquisito sarà condannato, si pagherà come nelle cause civili.

Per la citazione *ad deponendum, vel informandum* un carlino ——— 0—10
Per annotazione della prima, e ultima contumacia tre carlini ——— 0—30
Comparendo lo inquisito, per qualsivoglia mandato, che se gl'impone, tre carlini ——— 0—30
Per plegeria carlini tre ——— 0—30
Per lo esame dello inquisito come Principale ——— 1———
Per lo decreto di termine *ad defensam* un carlino ——— 0—10
Per lo decreto *quod concedatur copia repertorum* un carlino ——— 0—10
Per la copia *de' reperti*, si paghi come sopra per le cause civili
Per decreto di concedersi dilazione comparendo qualche escusatore per l'assenza del reo, o per altra ligittima causa tre carlini ——— 0—30
Per presentata di ogni scrittura, o comparsa grana cinque ——— 0— 5
Per la citazione *ad testes* un carlino ——— 0—10
Per lo esame di testimonj *ad defensam* sopra gl'Interrogatorj fiscali. *Nihil*.
Sopra gl'interrogatorj della parte, e articoli si osservi quanto si è tassato nelle cause civili, così per lo esame, come per gli accessi così per lo Vicario, come per lo Delegato non addetto all' ordinario impiego della Curia; e per lo Cancelliere, e Attuario.
Per la repetizione de' testimonj Fiscali si pagherà un carlino a testimone, e si pagherà parimente per gl'interrogatorj nella conformità come di sopra.
Per decreto di Pubblicato, e di ogni altro atto or-

ordinatorio si paghi come nelle cause civili.

Per la sentenza diffinitiva si paghino non meno di carlini venti, nè più di ducati cinque, e alla prudenza del Giudice *secundum qualitatem causæ &c.*

Se però vi fussero allegazioni scritte, contraddittorio, o informo si paghi ad arbitrio del Vicario, purchè non oltrepassi la somma di ducati dieci.

Per la pubblicazione della sentenza carlini tre — 0—30

Quei che saranno scomunicati per dilitto criminale pagheranno gli atti del modo come sopra.

E per lo decreto d'assoluzione della scomunica, o irregolarità *ex delicto autoritate ordinaria*, carlini dieci ——— 1——

Se con autorità Appostolica, carlini venti ——— 2——

Per spedizione di cedoloni di scomunica carlini tre ——— 0—30

Per lo decreto d'assoluzione *cum reincidentia, & quod cooperiantur cedulones*, carlini cinque ——— 0—50

Per lo inventario per la Città due carlini al Cancelliere. Per le Fiumare, e Casali carlini cinque. Per la Diocesi carlini dieci, cavalcatura, e spese.

E facendosi per gli Vicevicarj, carlini due nella risidenza, e fuori del luogo di risidenza carlini quattro, metà ad esso, e metà alla Banca.

Per ogni fede di perquisizione de' libri Parrocchiali tre carlini ——— 0—30

Per la pena Fiscale per causa di debito, come si disse nelle cause civili.

IN CAUSE DI APPELLAZIONE, O DELEGAZIONE TANTO CIVILI COME CRIMINALI.

PEr ogni presentata un carlino ———— 0—10

Per decreto di apertura di Processo un carlino ———— 0—10

Per decreto di *tradat exemplum &c.* alla suffraganea ———— 0—30

Per spedizione di lettere inibitoriali carlini quattro ———— 0—40

Per registrarsi intieramente & *per extensum* le lettere inibitoriali agli Attuarj carlini due ——— 0—20

Per qualsivoglia altro decreto interlocutorio, o provvista, pur che si mandi per la Provincia, si paghi il doppio di quello, che fu tassato nelle cause della Diocesi.

Per la percontazione degli atti si osservi come sta disposto per le cause della Diocesi.

Per qualsivoglia riscritto; *o cum inserta forma decreti*, o *cum enunciatione actorum* carlini sette ———— 0—70

Per decreto *quod Curia nostra ad ulteriora procedat, non obstantibus litteris inhibitorialibus* ——— 1——

Per spedizione di lettere commissionali per esame di testimonj, o del Principale carlini dieci ———— 1——

Per lo atto dell' apertura del detto esame, o di testimonj, o del Principale un carlino ——— 0—10

Per tutti gli atti ordinatorj si paghi il doppio di quello si paga per le cause della Diocesi.

Per lo esame de' testimonj, si paghi come nelle cause civili della Diocesi: se mai occorrerà andare il Vicario, Cancelliere, o Fiscale per la Pro-

Provincia, si pagheranno le diete; al Vicario a ragione di quattro ducati il giorno; al Cancelliere, e Fiscale carlini quindici per ciascheduno, e la cavalcatura, e spese.

Per presentata di Breve Appostolico, e osservanza carlini quattro ———— 0—40

Per la citazione *cum inserto tenore Brevis* carlini cinque ———— 0—50

Per la propina di sentenza diffinitiva nelle azioni reali, e personali, si pagherà come nelle cause della Diocesi.

Nelle altre cause, se si dà nuovo termine ducati dieci, senza termine ducati cinque.

Se però il processo in tutte le suddette cause sarà voluminoso, che oltrepasserà il numero di centocinquanta carte scritte dall' una, e l' altra parte, la propina sarà arbitraria del Giudice, purchè non avanzi ducati venticinque —

PER LO FISCALE.

PEr ogni sentenza criminale si paghino allo Avvocato Fiscale carlini cinque ———— 0—50

E al Promotor Fiscale carlini due ———— 0—20

Contestandosi però la causa si dovrà accrescersi tal somma, e secondo le fatiche.

Di tutte le armi, che si pigliano, se ne abbiano a fare tre uguali parti, una per lo Fiscale, una per gli Cursori, e l'altra per la Banca.

Se mai dovrà lo Avvocato Fiscale andare per la Diocesi per cause criminali dovrà avere le sue giornate dallo inquisito *in fine causæ* alla ragione di carlini venti il giorno, e carlini cinque al Promotor Fiscale *infra*

fra ſex milliaria, e carlini dieci *ultra ſex milliaria*, ed ancora ad ambedue la cavalcatura, e ſpeſe.

PER LO CARCERIERE.

PEr ogni carcerato per dilitto criminale. carlini due	0—20
E non pernottando un carlino	0—10
Per cauſe civili pernottando un carlino	0—10
Non pernottando grana cinque	0— 5

Occorrendo carcerarſi qualche Eccleſiaſtico *cauſa correctionis*, non ſi paghi coſa alcuna.

PER LO CAPITANO, CURSORI, E SERVIENTI DI CURIA.

PEr ogni cattura di cauſa criminale per la Città un carlino	0—10
Fuori della Città *uſque ad unum milliare* carlini due	0—20
Se è per cauſa civile un carlino	0—10
Per lo pedatico per le Fiumare, così per cauſe civili, come criminali carlini due	0—20
Per gli Caſali carlini tre	0—30
Per S. AGATA carlini tre	0—30
Per LAMOTTA carlini quattro	0—40
Per PENTIDATTILO, e MONTEBELLO carlini cinque	0—50
Per S. LORENZO carlini ſei	0—60
Per CALANNA, e Caſali carlini cinque	0—50
Per Fiumara di Muro, e ſuo tenimento carlini quattro	0—40
Per SCILLA carlini ſei	0—60
Per MELOCHIO, e JOPPOLO per ragione di carlini tre il giorno	0—30

Il

Il Capitano andando per fervigio della Curia per la Diocefi avrà carlini quattro il giorno, e cavalcatura.

I Curfori carlini tre il giorno per la Diocefi, fenza cavalcatura, e fpefe.

I N D E X

RERUM, QUAS HÆC SYNODUS HABET.

A

B

BAPTISMUS.

C

CLERICI.

CONCIONATOR.

CONFESSARIUS.

CONFIRMATIO.

E

ECCLESIÆ.

EUCHARISTIA.

ta

recte

EXORCISTA.

EX-

EXTREMA UNCTIO.

F

FESTI DIES.

FIDES.

G

H

I

JEJUNIUM.

IM-

IMPRECATIONES.

INDULGENTIÆ.

Luso-

MIS-

MISSA.

Mo-

ORDO.

P

PAROCHUS.

PŒNITENTIÆ SACRAMENTUM.

PROCESSIONES.

Q

R

REGULARES.

S

SACERDOS.

SACRAMENTA.

SANCTIMONIALES.

SANCTIMONIALIUM COLLOCUTORIA.

SEMINARIUM.

T

V

Z

Potiora errata, quæ irreparabili Typorum vitio irrepsere, ita corriget benignus Lector.

	ERRATA.	CORRIGE.
In epist.dedic.Fol.2.lin.8.& 9.	hujus	delè
Fol. 4. lin. 6.	exigitur	erigitur
Fol. 5. lin. 2.	faluberrima	faluberrimæ
lin. 3.	eœli	? Cœli
Fol. 7. lin. 8.	et	. Et
Fol. 9. lin.16.	El Ad	El Cid
Fol.10. lin. 4.	obftreticante	obftetricante
Fol.12. lin.17.	Ubi igifculum	Ubiligifculum
Fol.19.in not. lin.2.	1740	1470
lin. 7.	feqq. elogia	feqq. texit elogia

IN OPERE.

Fol. 4. lin. ult.	XI	XII
Fol. 7. lin. 8.	unde	et
Fol. 9. lin.21.	Ciciliano	Siciliano
Fol.11. lin.14.	tamen	dele
Fol.22. lin. 2.	gloriæ	gloria
Fol.29. lin. 5.	Nos ni	Nos ipfi
Fol.32. lin.18.	eapta	captæ
Fol.36.in not. lin.8.	Ciero	Clerc
lin.19.	petcaanti	pace tanti
Fol.37.in not.lin.1.	Gen. 20	Gen. 2
Fol.39. in elencho Feftorum cum fola obligatione audiendi Miffam, adde Feftum Inventionis Sanctæ Crucis		
Fol.52. lin.22.	cyatum	cyathum
lin.24.	betarumque	baccarumque
Fol.55. lin.15.	Lateranenfis Concilii octavi	Concilii Toletani octavi
In notis	Cap. 9.	Can. 9.
lin.19.	comedantur	comedantur admittimus
Fol.62. lin.14.	fit	eft
Fol.64. in not. lin. 2.	diftint.	diftinct.
Fol.71. lin.18.	plectetur	plectemus
Fol.72. lin. 3.	exibeant	exhibeant
Fol.73. in not.	2. 8. q. 1.	12. 8. q. 1.
Fol.93. lin. 1.	Et ibidem loci	Eo ibidem loci
Fol.102. in notis citatur Epiftola, quæ deeft in appendice.		
Fol.109. lin. 2.	duraturæ, nifi	duraturæ, celebrare non præfumant, nifi
Fol.114. lin. 3.	Epifcopos	Epifcopo
Fol.128. lin.15.	transferuntur	transferantur
Fol.128. lin. ult.	in fpiritualibus temporali	in fpiritualibus mancipatos, temporali
Fol.134. lin. 7.	difcedendi	accedendi
Fol.137. in not. lin. 5.	cum	eum
lin. 9.	de Penna	de Pœnitentia
in eadem	Lebrua	Le Brun
lin.ult.	invenifle	invexiffe

Fol.

	ERRATA.	CORRIGE.
Fol.142. lin.23.	imponantur	invehantur
Fol.143. lin. 6.	Ecclesiis	Ecclesiis
Fol.153. lin.24.	festivitatibus	festivitatibus
lin.25.	quibus	quibus
Fol.156. lin.25.	reperiri	reperire
Fol.167. lin.27.	addiscere	addisci
Fol.180. in not.lin.9.	Alenensem	Rhemensem
Fol.182. in not.lin.4.	Constant	Coustant, & sic semper alibi corrigatur
Fol.187.in not.lin.11.	attributo pro	attributo, ubi pro
Fol.201. lin.16.	substantialibus	substantialibus
lin. ult.	Pauli IV.	Pauli V.
Fol.207. lin.23.	ostium, infans	ostium, si infans
Fol.210. lin.24.	præter incestus quem admiserint, Nobis	præter crimen incestus quem admiserint, id Nobis
Fol.218.in not.lin.4.	Allasio	Allatio
lin. 5.	contentione	consensione
Fol.231.in not.lin.ult.	tribuuntur	tribuunt
Fol.237.in not.lin.6.	Anicephoro	Nicephoro
Fol.238. lin. 9.	judiciis	judicii
Fol.243. lin. 6.	ad diem Ascensionis	ad Dominicam in Albis
Fol.253. lin.24.	ii	iis
Fol.270. lin.22.	supernas	superna
Fol.285.in not.lin.8.	Altentii	Astensi
Fol.289.in not.lin.5.	ex obligatione	ex oblatione
Fol.294. lin.18.	ægrotis	ægrotus
Fol.300. lin. 4.	habere, quam	habere satius est, quam
lin. 7.	Sacerdotium	Sacerdoti
Fol.303.in not.lin.4.	1710	1610
Fol.306. lin. 9.	declaratio	ordinatio
Fol.314. lin.13.	requisitæ, si quæ	requisitæ, ad detegendum si quæ
Fol.315. lin. 8.	lato in eos	in eos lato,
Fol.319. lin.17.	Pentite	Pentite vocantur
Fol.324.in not.lin.8.	concludendum haud	concludendum non est, haud
lin.18.	Rigidissima	Rigidissimam
Fol.226.in not.lin.ult.	casus	causa
Fol.335. lin.23.	jacturas, quas	jacturas nihilominus, quas
Fol.336. lin.24.	Christi comitari dignetur	, vexillo Christi comitari digneris
Fol.340. lin.penult.	sern debe	se debent
Fol.350.in not.lin.7.	Gaboa	Gabaa
lin. 9.	Babylonis	Babylone
lin.13.	possidius	Possidius
Fol.535. lin. 4.	sacramental.	sacramentali
Fol.354. lin. 4.	discolis	dyscolus
Fol.368. lin.10.	, & novissimè	. At novissimè
Fol.404. lin. 3.	notum sit	notum est
Fol.412. lin. 1.	genusalia	genus alia
Fol.419. lin.24.	curiæ	curæ
Fol 4.. lin.11.	Romano	Reverendissimo
Fol.449. lin.24.	volta	vota



